

A1-2-16
CB:



2681

14 2279

EX LIBRIS



INCUNABLE

RECANTO DO
LIBRO VELLO

Real, 86 (tienda 5). Telf. 226572. La Coruña

I A N I N I C I I
E R Y T H R Æ I

D I A L O G I
S E P T E N D E C I M.



P R Ä S T A T

C O L O N I A E V B I O R V M
Apud I O D O C V M K A L C O V I V M
& socios. C I D I C X L V.

Dialogi hi dignissimi sunt, qui iucem aspi-
ciant. Coloniæ, Décemb. C I C I C X L I V.

Henricus Francken Sierstorpffius, SS. Theol.
Doctor, Metropolitanæ Colon. Presbyter
Canonicus, Gymnasii Laurent. Regens;
librorum Censor.



TYPOGRAPHVS
LECTORI.



Vm vidiſſem , ſuperioribus
annis , Iani Nicii Erythræi
Eudemiam mira voluntatū
consenſione laudatam accep-
tamq; ab omnibus fuiſſe , qui
judicio uti ſolent in rerum
aignotione non depravato ; ſubduxi mecum
rationes meas , nihilq; ab tua , benevole lector ,
aut etiam utilitate mea , facturum me putavi ,
ſi ejusdem viri Dialogos , miro leporum ſale
conditos , & caſtigatiſſima puriſſimaq; diſtio-
ne conſcriptos , tibi legendos offerrem . Nempe
coſtitabam , prætantißimum ſcribendi genus
illud eſſe , quo , veterum inſtar , argumentum
aliquod ſeu libero ſeu numeriſ aſtriclo ſermo-
ne pertractandum fuſcipitur . Nam que , præ-
ſertim in homine docto , laudantur , elocutio-
nis venuftas , rationum ſcita diſpoſitio , rerum
que omnium accurata diſjudicatio ; longe me-
ius in ejusmodi ſcriptis ſe produnt , quam in
ſcholiis , animadverſionibus , coſmentariis ,
variisque lectionibus & cenzuris ; quibus poſt-

* 2

quam

quam homines nostri totos se, tanquam infeli-
ci pistrino, addixerunt, desit apud nos præ-
stantium compositionum majestas adorari; e-
loquentiae fructus omnis, qui in persuadendo
delectandoque maximus esse solet, neglectui
tandem habitus est; illucque tota studiosorum
natio se convertit, ut, quasi poplitibus succi-
sis, erigere se ad altiora non possent, in apici-
bus censendis, in depravatis, ut sibi plerum-
que fingunt, vocibus sanandis, in mucidis co-
dicibus versandis, & ejusmodi similibus nu-
gis ac quisquiliis, meliores horas impendant;
eo eventu, qui sepe ab aliis improbetur, aut
ipsos inter se committat, quasi de regno con-
tenderent. Cum videamus contra, Orationes
Mureti, Bencii, Perpinianii, Carmina Sanna-
zarii, Vidæ, Fracastorii, Utopiam Mori, Iani
nostri Eudemiam, Manutii, Sadoleti, Politia-
ni epistolas, Barclaii opera, & quæcumq; tan-
dem proprio marte ab hominibus præstantissi-
mis accurata sunt, placere, laudari, & quam
vim ad demulcendos animos eloquentia obti-
neat, quam facile se pulcherrimarum rerum
amatoribus insinuet, quam deliciis illorum
sit accommoda, manifesto testari. Nec alia cer-

te de causa fictitiis tot Amatorum & Heroium
facinoribus, quamvis maxima parte rudi Mi-
nerva, & genio ferme nullo exaratis, tantum
nunc popularis auræ tribui, mihi persuadeo,
quam ob elegantium scriptionum inopiam,
quibus homines, curis fracti, possint se, tan-
quam in viridantibus hortis, reficere. Nam
quis ejusmodi Philologorum nostrorum libros
esse nescit, ut, cum Theologi, Medici, Iuridi-
ci, ingenium semper arrectum postulent, tum
ipsi, quorum amoenitas longe major esse debe-
ret, non ingenium modo, sed hominem totum,
in gravissimarum difficultatum equuleo de-
tineant, & suaveolentium florum loco, spi-
nas tantum & tribulos ostentent; quibus de-
territi, qui laxare animum cupiunt, quid mi-
rum est, si, cum alio divertere non possint, in
Romaniam, ut joco dicunt, proficiuntur, &
fabulis assuecant, quantumvis illepidis, &
inficitis; quia saltem legi solutamente possunt,
& à studiis, à vita molestiis, à mordacibus
curis, animum avocare. Quamobrem, ne tibi
in posterum oblectamenta desint aequa jucun-
da, ac honesta, & utilia; efficient opinor Ia-
ni Nicii Dialogi, plenissimi florum, delicia-

rum, urbanitatum; expoliti ad limam Cicero-
nianam, Plautinam, Terentianam; nati ea in
urbe, quæ, ut olim eloquentiæ principatum ob-
tinuit, sic de illo etiam nunc per Ianos, Simeo-
nios, Tortolettos, Guidiccionos, Tessios, Lottos,
Porcios, Camolas, Sacchos, Polinos, Vbaldinos,
cum quavis alia certare potest; non secus ac de
eruditione tum sacra tum profana, per Holste-
nios, Allatios, Merones, Vghuelos, Contilo-
ros, Martinellos, Moronos, Victorellos, & non
paucos similes alios; quorum monumenta li-
cet hoc usque, propter locorum distantiam, &
exulcerati temporis difficultatem, non appu-
lerint, audio tamen multa esse ac varia, & o-
mnino digna quæ manibus ingenuis terantur.
Hoc autem à me sine fuko & fallacia dictum
esse, fidem apud te facient præsentes Iani Ni-
cii Dialogi; & si te faventem illis præbueris,
epistolarum ejusdem centuriæ diverse, nec non
orationes, poëmata, & Dialogi decem de re-
bus sacrис; quos omnes libros concreditos du-
dum mihi fuisse, ut typis meis aliquando pro-
deant, non putavi ad officium erga te meum
pertinere, ut te diutius celatum tenerem. Vale.

GA

G A B R I E L I

N A V D Æ O , V . C.

I A N V S N I C I V S E R Y T H R Æ V S

S . P . D .



Vm aliquot ab hinc mensibus, Naudæ doctissime, domum meam venisses, ut librum eruditissimum de studio militari tuum mihi deferres; rogasti, quidnam agerem, quodve opus, studium ad se meum attraheret. Respondi, esse mihi præ manibus brevem quandam Dialogum, de Iustitia; non ut aliquam ex eo docti vel eloquentis famam nonmenque colligerem; sed ne inertia desidiaque diffuerem; vel potius, ut datum mihi à Deo ocium honesta ac liberali aliqua oblectatione traducerem. Laudasti consilium meum, & mihi idem auctor fuisti, ut plures similium argumentorum Dialogos scriberem, atque unum in corpus collectos emitterem, ac, si te audirem, gravibus, ac de rebus seriis agentibus, aliquot facetos ac jocosos insererem: ita enim fore, ut res severæ, quæque suavitatis habent minus, lepide dictis, tanquam blandis conciliatoribus, facilius lectoribus commendarentur; atque ut optime de juventute, atque adeo de Catholica religione mererem. Quid enim est, quod adolescentibus, his amœnioribus studiis deditis, præstari utilius possit? Nam ajebas, apud exterias nationes, studiosis eloquentiæ nihil esse tam familiare, quam cujusdam auctoris Dialogos,

P R A E F A T I O.

gos, qui quamquam sint elegantissime scripti, doctrinam tamen continent, Catholicæ Religioni contrariam, unde illi, una cum Latini purique sermonis lacte, perniciocissimum virus exsugunt, quod animæ, per omnes partes fusum, interitum afferat. Hæc tu sapienter cum dices, statim arripui, nec dimisi tempus; atque ad ejusmodi scriptorum genus operam contuli; ac paucis his mensibus hos ferme Dialogos scripsi; non eadem eloquentia, qua ille, quam adolescentibus extorquere, ac de eorum manibus abiecere cupimus; sed lectorem simul juvandi delestandique voluntate studioque majore. Etenim ille scurrile atque impium jocandi genus persecutus est, quo veteres ac sanctissimi religionis nostræ ritus moresque irridentur illudunturque; tum, ut dici audio, narrationes effinxit, quibus Catholicæ disciplinæ præceptis auctoritas ac fides abrogetur: nos vero sermones, inter honestos ac familiares viros habitos, exponimus, quorum electione studiosi homines recreati, à labore atque ab omni contentione animi relaxentur, ad virtutem impellantur, & contra sycophantas & palpatores, adversis aliorum casibus edocti, cautores evadant. Sed, cum Dialogi isti fere sint de rebus notis & illustribus inscripti, de Iustitia, de Amicitia, de Amore; expectabit fortasse non nemo disputationes, ex intimis Philosophiæ fontibus hauistas, & subtiliter acuteque tractatas. Sed nihil demum in eis inveniet, nisi quod sit ab homine non hebeti, neque communium litterarum experte, fere prima illa puerili institutione perceptum. Neque aliter, mea sententia, factum oportuit. Primum, quia personas in his colloquiis induximus, quæ non sunt doctissimæ, verum

P R A E F A T I O.

rum nec illiteratae nec rudes , ac mediocriter , ut
diximus , à Philosophia atque à reliquis bonis ar-
tibus instructæ . Quamobrem , ut partes , quas il-
lis dedimus , recte tueantur , sit eorum doctrina
oportet modicis circumscripta regionibus , atque
in iis tantum includatur , quæ ad usum civium , ad
morem hominum , atque ad communis consuetu-
dinem vitæ pertineant . Deinde , cum nihil tam in
hoc opere , quam animorum oblectatio , cum ali-
qua utilitate fructuque conjuncta , queratur ;
quamnam , obsecro , oblationem animi lector ,
ex insuavium ac spinosarum rerum tractatione ,
contortis , concisis , & acutis disputationibus con-
texta , percipiat ? Nonne deterritus , ad alias ani-
mi remissiones ludosque se conferat ? Quam-
obrem , si Persius aliquis , hoc est doctissimus quis-
piam , huc avidum ac discendi sitientem animum
afferat ; recedat , alioque se conferat . Nam , mo-
neo , jejunior ac siccior , quam venerat , abibit .
Habet doctissimos in scholis magistros , quorum
sermonibus cupiditatem hanc suam explebit ; no-
vit capita scientiarum & fontes , unde , quantum
libeat , hauriat . Nos Læliis Decimis , nimirum
doctrina mediocriter præditis , scribimus ; hone-
stam elegantium litterarum studiosis oblectatio-
ne in afferimus . Cum dico elegantium literarum
studiosos , eos dico , quos Ciceronis ac veterum
in primis scripta delectant . Gigantes vero istos , qui
montibus , quos suis ipsis manibus coacervarunt ,
impositi , astris se inferunt , atque erepto ex supe-
rûm mensis nectare madent , cælo relicto , in hæc
inferiora , humilia , abjecta , delabi non postulo .
Quamobrem suis translationibus , ac sententiolis ,
unico saepe verbo conclusis , tanquam divinis epu-
lis , contenti , nostra hæc proletatia , plebeia , nec

P R A E F A T I O.

ipsum satis stomacho digna , iis , qui sic
uti nos humi serpunt, omittant. Tu vero doctissi-
mis tuis lucubrationibus , perge de literarum
studiis , de patria , deque hominum genere bene-
mereri. cumque domum ad me venire dignaber-
is; non ad doctum & eruditum aliquem virum
accedere , sed ad hominem , studiosissimum tui,
tuoque singulari ingenio , eruditioni , eloquen-
tiæ mirabiliter deditum , venire cogita. Vale.



I N.

INDEX · DIALOGORVM

- I. Convivium villa Syrorum.
 - II. De scriptore historiae.
 - III. De tolerantia malorum.
 - IV. De grandine.
 - V. De virtutis studio.
 - VI. Convivium villula Niciana.
 - VII. De justitia.
 - VIII. De amore.
 - IX. De amicitia.
 - X. De astrorum affectionibus.
 - XI. De senectute, ac morte non pertimescenda.
 - XII. Venus, Æneam à cade Helene prohibens, defensio.
 - XIII. De amore Crucis.
 - XIV. De Horatii in sororem saevitia.
 - XV. Nicias.
 - XVI. De spiritualis vita gaudio.
 - XVII. De poenitentia non differenda.
-

In Dialogorum auctorem tertissimum.

I A N V S.

Italia veteris pereat si lingua; vel uno
Ex IANO discas, cum Cicerone loqui.


N I C I V S.

Barbaries monstrum est ingens. tu NICIUS audie.
Vicisti: & quiris, te duce, victor erit.

E R Y T H R E V S.

A Plauto tu Varronis gemmatus in ostro,
Quam bene ERYTHREI nomen & omen habes.

Gregorius Ayala.



IANVS NICIVS
ERYTHRÆV S.

DIALOGVS

PRIMVS.

IO. BAPTISTÆ
ET ALEXANDRO
BRATRIBVS DE SYRIS,

Patriciis Savonensibus,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Itto ad vos sermonem, inter me & amicos quosdam meos habitum, Kal. Augusti, in suburbano vestro: quo convenimus, ut ibi essemus de symbolis, atque omnem animi hilaritatem, libero homine dignam, persequeremur. Neq; in hoc tam suavi colloquio, quod refero, Alexander, tuas partes desiderari sum passus. Nam justam tibi orationis partem dedi: quam accurate diligenterque persequeris. Scio, non defutnros, qui stylum, quo utor, irrideant, & tanquam humilem, abjectum, ac prorsus proletarium, contermant. At hoc mihi molestum esse non debet. Egone moleste feram, orationem meam vulgarem & abjectam ab iis haberi, quibus parens eloquentie Cicero humilis ac summissus orator videtur? Ajunt enim, humili eum serpere, ac se raro altius attollere, solos se, si diis placet, veterum scriptis explosis, & longo infra suum fastigium intervallo relictis, in facienda polienda que oratione, tanquam equos inscendere, & quasi classicum canere; immo sibi alas addere, atque in sublime, quantum potest, attollere. Neque mentiuntur in gloriando. Nam, ita in altum excurrunt, ut non ingenii mei modo, quod non me fugit quam sit hebes ac tardum, verum acutissimorum etiam hominum aciem, effugiant. Sed quid tibi vis? non omnibus, ut est in proverbio, datum est adire

A

Corin-

Corinthum. Sors mea , profectibus meis adversa , tantum
 mihi bonum invidit ; qua sors me , ab ineunte etate , vulga-
 rium atque pedestrium magistrorum inscitiæ atque inopia ,
 bonis artibus erudiendum locupletandumque commisit ; qui
 monihil sapere docuerunt ; quique omnes ingenii industriaque
 meæ nervos contendere in eo voluerunt , ut illud scriberem
 diceremne , quod posset intelligi ; idque , affirmabant , mihi
 eventurum ex sententia , si Ciceroni , Casari , Cornelio
 Nepoti , Terentio , atque in primis Plauto , fuisse per-
 quam familiaris . Quod nullo consilio ab illis factum , isti ,
 qui hodie tanquam dii eloquentia habentur , affirmant .
 Nam Plautus , cui Latini sermonis palmam tribuimus , ita
 nulla est apud eos estimatione , ita humilis ac pusillus vi-
 detur , ut quidam ex eis , cui ab aurichalco nomen est , cum
 ejus librum in mensa cuiusdam inspexisset , qui huma-
 niores has litteras profitetur ; Quid tibi , ait , negotii est cum
 auctore isto abjectissimo vilissimoque ? abjice eum hinc abs
 te , quantum potest , atque ad olitores , lanios , fartores ,
 ac cetarios rejice ; ita enim illi loquuntur , ut iste . Cumque
 ille dixisset , Quidnam respondebo Varroni , Romanorum
 doctissimo , qui quinque & viginti de lingua Latina libros ,
 tam accurate , tam docte , tam eleganter conscriptos , edi-
 dit ? hic , omnibus diis hominibusque approbantibus , scri-
 ptum reliquit , adeo sermonis elegantia atque nitore cete-
 ris Plautum anteire , ut , si Musas Latine loqui contin-
 geret , non alia quam Plautina lingua loquerentur ? Dic ,
 ait ille , Varroni , magnam eum esse pecudem , ac te eorum
 nihil credere . Quoniam (rursus aiebat ille) Ciceronem
 argumento refellam , qui disertis verbis affirmat , dicendi
 elegantiam obtineri , legendis veteribus oratoribus , ac
 poëtis , quorum princeps est Plautus , eo quod omnes pro-
 pe sunt preclare locuti , quorum sermone assuefacti qui
 erunt , ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine ?
 Quasi , inquit ille , Ciceronis nomine objecto , te mihi posse
 putas magnum quempiam terrorem injicere , aut eum exi-
 stimes aliquam apud me auctoritatem habiturum , qui ab
 hominibus hujus ævi rejicitur , quorum aures magnum
 quid , altum , & exaggeratum expectant ; quas nos sibi
 explemus : dic ergo Ciceroni , ut restim capiat , ac se sus-
 pendat . Et sane vir iste , in quo tantum eloquentia lumen

ac splendor emiteat, dignus est, cui non ab aurichalco, nam id est suis virtutibus longe inferius, sed ab auro, nomen imponatur, cui Cicero plumbum, vel foenum potius, videatur. At hic ex ea familia est, ex qua alter, interrogatus, quid sentiret de quodam qui eruditus in primis habebatur; Crede mihi, inquit, plane sunt inepti, existimare, quidquam in hoc genere reperiri posse, quod precium habeat, si non ab officina nostra prodierit; illinc petendum est, quidquid boni littera habeant, quidquid admirationes & clamores efficiat: nam si à nostris discesseris, continuo socios, scriptos, ac lapides omnes esse, reperies. Hac eo pluribus ad vos scripsi, ut, quod à me datur, & qui bonique consulatis. Etenim equum est, vos meminisse, me non ab ea esse disciplina profectum, qua volare homines doceat, sequi aspectui hominum oculisque subducere. Tum ego animi sum timidi atque pusilli; ac metuerem, Icari malo doctus, ne, ut cum maxime in alto essem, precipiti ad terram casu devolverer. Satis dedisse existimandus est is, qui, quantum habuit, dedit; neque plus ab aliquo exigendum, quam quantum vires ejus ferant; sed solum in id ipse detrudendus, quod facere potest. Valete.

CONVIVIVM VILLÆ

FRATRVM DE SYRIS,

Patriciorum Savonensium.

ERYTHRÆUS. VRANIUS. FOSSIUS.

THAVMAS. ALEXANDER.

ERYTHRÆUS.



Audeo vehementer, Vrani, villam istam tibi visam esse ita eleganteam ac venustram, ut prædicaveram.

VRAN. Immo plus dedit ex se venustatis mihi, quam prædicaveras: neque memini, me vidisse alteram, quæ ad situs amoenitatem, hanc aëris salubritatem habeat adjunctam, quamobrem minus me penitet,

* DIALOG. I. CONVIVIUM

tet, hoc anni tempore huc à vobis fuisse attractum. Nam cum plures amici mei sèpius me in villas suas, Vrbi propinquas, invitassent, nunquam potuerunt perducere; quoniam, neque pedibus illud iter poteram, quamvis non ita longum, ingredi, neque rheda aut equo vectus, ob renum imbecillitatem morbumque, conficerem.

At ea est loci istius pulchritudo, ut etiam cum aliquo valetudinis incommodo percipienda sit. Sed nescio quomodo, salva valetudine, arduo difficultique ascensu, huc me rheda trahi ac perduci contigerit. Hinc probe licet intelligatis, quanti vos vestraque jussa faciam: nam, quo vestris studiis obsequerer, non dubitavi, me salute inque meam in manifestum discrimen adducere.

ERYTHR. Merito te oinnes, de hac tua morum facilitate, amamus, quod, relictis rebus oinibus, amicam nobis hodie operam dederis, & hoc commune convivium tua suavitate condieris.

V R A N. Missa isthac faciamus. nam & ægritudines, quibus premor, & solicitudines quibus angor, & anni quos fero, omnem fere meo ex animo hilaritatem ejiciunt. itaque, si quam ego hodie, in hoc convivio, amcenitatem exercui, tota in me redundavit ex vobis, non autem à me orta est; qui jam dudum exarui, ex amcenis rebus atque festivis. Verum satiari non queo hac ruris pulchritudine ac venustate. ut ædes nitent! ut ambulacra pulchre munita cernuntur! ut vitium ordines oculos mire delectant! ut quadra, floribus herbisque olentibus consita, admirabili artificio, Syrorum stemmata referunt! ut defluentes è fontibus aquæ, ad irrigandum hunc locum, latè decurrunt!

ERYTHR. Sed quidnam inscriptio illa, affabre insculpta, ac parieti affixa, demonstrat? Nam, nisi me falunt oculi, quibus prospicio parum, videtur esse carmen, alternis versibus longiusculis.

V R A N. Est elegans epigramma, quod, adveniens, simul ut inspexi, perlegi: in quo villa ipsa, beneficia, sibi à domino collata, commemorat.

F O S S I U S. Rem gratam utrique nostrum feceris, ut etiam pro Erythræo spondeam, qui parum prospicit, si tu, qui melius oculis uteris, clara illud voce percur-

currens, in aures nostras immiseris: dummodo ne id tibi sit grave vel molestum.

V R A N. Egone graver in eo, quod vos cupere intellegam? Vacuas igitur ædes aurium facite; ut intromittere possim, quod legam.

Quæ tibi nunc, hospes, hilari do gaudia vultu,

Mærebam tristi squallida villa situ.

Obsita nam rigidis horrebant compita dumis;

Deslebat palis vitis ademta suis;

Arida nec varios fundebat terra colores;

Fulgebat nullo culta nitore domus.

Non tulit hoc fratrum pietas animusque Syrorum;

Ferre laboranti sed properavit opem:

Sustulit ac senium, fumosis adibus atrum,

Candentique simul fronte nitere dedit;

Inssit & aërias sociari vitibus ulmos,

Ac patulis letas luxuriare comis;

Tum vernare rosis, & quadra virentibus herbis,

Quas inter dulcis leniter afflat Amor,

Arboribusque gravi curvantes pondere ramos

Grandia, maturo tempore, poma dare.

Quod si, solicitæ jucunda oblia via vita

Dem tibi, pulchra magis floridiorque, cupis,

Vnanimes, opta, fratres, mea fama decusque.

Serius ut cœli templa beata petant.

E R Y T H R. Vera loquitur, nec mentitur in laudando eos, quorum opera, ex fordida, tetra, atque sumosa, speculo clarior, sive potius, ut ait ille in Mostellaria, claror merus existit. nam vidi ego paulo ante, quam ea in Syrorum potestatem, mancipii jure, venisser, prope incultam, desertam, atque obsitam frondibus & virgultis. At non hæc est summa laudum ipsorum: alia majora potioraque multo numerantur. Inest in eis emulsa sua ipsorum ingenua indeoles ad humanitatem, urbanitatem, liberalitatem, virtutesque omnes. Quid enim in illis, de his præstantissimis artibus, ac liberò homine dignis, desideratur? Num, quia in mercatura vertuntur, ut mos est virorum nobilium suæ nationis, hæc politissima studia negligunt? At in eis plurimum laborarunt ac præstant: quod exquisitissimi do-

ctissimorum hominum libri indicant; quos, ut videre potuistis, elegantibus in pluteis dispositos, ac reti ferreo circumdatos habent. nimur verenetur, ne quispiam fortasse, lucri magis, quam litterarum, studiosus, sui eos mancipii faciat; ideo tanquam vallo & munitione protegunt. Nun, quia negotiatores habent circa se plurimos, minus, ingeniosos homines ac litteris deditos, amplectuntur, colunt, ac laute, cum est opus, accipiunt? At nemo accipit melius, nemo majorem illis habet honorem.

Fossius. Nota prædicas; nam si de symbolis tantum convivium celebrassemus, nulli profecto legi sumptuariae fraus facta esset: hoc est, nisi Alexandri benignitas subvenisset, ac nitidiuscule nos curasset, tritam atque vulgarem nostrum convivium viam comineasset. Deus bone, quid ille obsonii, quam lauti, quam nova arte conditi, nobis apposuit! quod non dubiam modo mensam, hoc enim est usitatum, verum etiam milvinam, ut ait ille, suggereret. Tum, quænam vini, cum novi tum veteris, varietas, bonitas, suavitas, copia! Mihi quidem, quod nos attulimus vini, nautea visum est, præ illius Liberi lepore, vinique flore. Et sane, si quis veterum illac transisset, ubi convivium agitavimus, omnes nos Fanniae, Didiæ, Liciniæ, ceterarumque sumptuariarum legum, reos fecisset.

Erythr. At hoc parum est præ eo, quod ille ex se benignitatis, cum usus veniat, dabit. Sed nihil est quod malim, quam immigrare in animum meum Ennii, Varronis, vel Homeri ingenium: profecto, nullo unquam tempore, hoc loco, Syrorum villa deesset, nec minus diurna fieret, quam quercus Variana, aut arcis Athenarum olea, aut tenera ac procera Deli palma, aut multa alia multis locis memorabilia, quæ poëtarum versibus celebrata manebunt seculis innumerabilibus. At hoc est optare, quam sperare, facilius. Sed cur non sillas poscimus, & interea dum calor se frangat, suavissimis inter nos colloquiis damus operam sedentes? Est enim locus amoenus, apertus, ac frigidus; ubi aér, à flatu, à sylva, veniente, impulsus, cum incredibili suavitate digeritur.

Foss.

F O S S I V S . Recte admones: sic agamus. Quam vellem, Olertus adesset , qui suo nos cantu oblectaret ! qui quidem , si huc venire potuisset , neque in patria iussus esset exulare , nihil profecto nobis ad summam hujus diei hilaritatem , amoenitatem , festivitatemque decesset. Sed vereor , ne , quemadmodum de Orpheo fabulosis Græcorum carminibus traditur , si hic auditus-esset, latitantes ad sese propinqua in sylva feras attraxisset. Sed doleo, talem virum in eam fraudem esse delapsum , propter quam Vrbs nostra tam diu , voce illa suavissima, atque eruditis auribus digna, careat. Quod si decreverat amori operam dare , (quod cum omni hominum generi turpe, tum eunuchis foedissimum est,) saltem publica incessisset via, nec per fundum septum fecisset semitam; hoc est , ut ille in Circulione interpretatur , à nupta abstinisset.

E R Y T H R . At Olertus ab illius admonentis præceptis non aberravit. nam, si recte memini, servus ille admonet herum minorem suum, ut curet , ne in amore sit intestabilis. at ille , quacunque incessisset via , semper fuisset intestabilis, nec metuisset, ne sibi fieret quod mœchis solet.

V R A N . Si testes non habet , qnibus arceatur , habet crumenam cui abdomen adimitatur. nam, ut dici audio, damnatus est dare mulieri , quam abduxit , dena quot mensibus scuta. Sed , quemadmodum res sese habuerit, adhuc scire non potui: verum , utut ea fuerit , quod capite multatus non sit , aetum est bene, pro noxia.

E R Y T H R . Si tibi est lubido scire, quod nescis; eccam habeo hic in fæculo epistolam , suo chirographo scriptam , quam mihi super ea re misit: cape , ac tute hinc narrato tibi , quod quæris.

V R A N . Recita tu , obsecro , qui eam sâpe legisti: nam ego in unoquoque verbo hastarem titubare inque.

E R Y T H R . Mos tibi geretur ; audi igitur.

Olertus Erythræo S. D.

Credo , te fama & audizione accepisse , quali me infortunio , adversa rebus meis , fortuna mactaverit: quod si tibi notum est minus , faciam te de eo certiorem , his litteris. Mense Iunio superiore , cum noctu à cœna , vi-

S DIALOG. I. CONVIVIVM

tandi æstus causa , urbem obambularem , ante ædes sce-
minæ primariæ, in cuius tutela lateo, honoris illius gra-
tia , cantiunculam cecini : sed ea completa , admonitus
sum à pedissequis ejusdem , ea cantione graviter fuisse
offensum scrutarium quendam, qui sub illis ædibus, una
cum uxore ac liberis , habitabat , cupidum in primis
existimationis bonæ ; quod eximia pulchritudine domi
filiam haberet, paulo ante à viro relictam ; itaque mini-
tatum esse , si rursus ostium suum occentassem, me lapi-
dum hospitio exceptum iiii. Ego cui hospitium illud non
placeret , non parum excandui , ac volui experiri postri-
die , num verba illa verba essent , an ad rem conferren-
tur; ac illuc cum advocatis accessi, cecini: nec quisquam
plus mihi molestus fuit , quam tibi, qui non affuisti: im-
mo ex eo die cœpit me pulchra illa mulier amare. scin'
quàm? Quo evadat, vide. Postridie mittit ad me ma-
trem ac fororem , rogatum , ut virum sibi reducendum
curarem , qui , ob inanes nescio quas suspiciones , uxore
atque urbe relicita , in patriam commeaverat. Quod est
actum à me pro viribus. Verum , hac occasione fiebat,
ut mulieres illæ domi meæ essent fere quotidie : & in-
terdum dictabant , se subvereri , ne illa , parentis ac
fratrum importunitate coacta, fugam adornaret, & cum
amatorculo quodam , inanissimo nummorum , ac glo-
riarum plenissimo , quippe qui , forma Paridi anteire
se , prædicet , coloniam commutatum abiret. At ego
non antea earum sermonibus aures admovi , quam ipsa-
met mihi, feriis vindemiarum in suo prædiolo , quo me
invitaverat, idem exposuit , ac syngrapham simul osten-
dit , in qua ab illo impellebatur , ut ipsi se fugæ comi-
tem adderet: sed ipsam , se , famam, & existimationem
suam non alteri potius commissuram , quam mihi, affir-
mavit. Ego , veritus , ne amoris meo vanitas, dissidium,
ac distractio contingeret ; nam tum illam amabam , sed
non aliter , quam in germanæ sororis loco; decrevi , pu-
dicitiam ejus sartam & tectam , ut ajunt , ab omni la-
be detimentoque servare. Itaque vii Idus Novembr.
ipsa conscientia , hora prima noctis , redeuntem ab æde sa-
cra cum fratre , in angiportu ad forum Columnæ , ma-
nu prehensam abduxì ; ac noctis beneficio occultatam,

hone.

honestæ cuidam mulieri, bene ac pudice custodiendam tradidi; quo demum viro suo, quem esse bonum virum ajebat, restituerem ac redderem. Neque in raptione (si tamen raptio dicenda est ea, quæ sit summa cum raptæ voluntate,) quisquam adfuit, præter me. Quem non cessant clamare impurum, raptorem, adulterum. Sed invenusto homini cuncta infeliciter cadunt, quæque bene fecerit, vitio vertuntur. Ego scelestiorem rebus meis annum nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit. Vale.

V R A N. O misellum, cui pro benefactis tam insignis injuria redditur! At dignus est, cui ob servatam mulierum pudicitiam quotidianus in Capitolio cibus præbeatur; qui honos apud Græcos maximus habebatur. Sed quid vultis? omnes boni de Rep. sublati sunt mores: qui quidem si valerent, hic ornatus esset ex suis virtutibus. Sed quænam hominis vox est ita dulcis, ut cum avium cantu, quo aër hic obstrepit, æquari conferrique possit? Quamobrem eo contenti simus; neque melius desideremus. Eodem accedit, quod loci frigiditas, his caloribus maxime oportuna, omnes prope in nobis aliarum voluptatum cupiditates mitiores efficiat.

F O S S I U S. Ita se res habet, Vrani, ut dicis. Nam adeo fervidissimi hujus diei æstus hodie hinc absuit, ut ab aliquo curioso, in summa æstate, æstas ipsa quæri fortasse potuerit. Primum, amœno atque à solis radiis remoto loco mensæ appositæ, ubi dulces, frigidulæ, atque in arborum ramos leniter incurrentes auræ perflabant: tum, à ventulo faciendo flabellis, ex caudis pavonum confectis, sunt viri duo defessi: deinde, quæ vis, quam ingens, nivis allata, qua non modo vinum proxime ad glaciei rigorem accessit, verum etiam peponibus, ficis, prunis, malis Perficiis, aliisque fructibus, est frigus inductum! Sed quid est, Erythræ, quod te in cogitatione defixum aspicio? Revocasne tibi in memoriam faciem aliquam narrationem, qua ocium nostrum oblectes?

E R Y T H R. Cogitabam, si hac ætate, qua nunc sum, tam elegans prædium me habere contingere; utrum majorem inde voluptatem an ægritudinem exciperem,

propterera quod nullos habeo cognatos, quibus, à morte, bona mea, dicam, inter se ut partiant.

F O S S I V S. Nonne licet tibi, ex hac juventute, adolescentem aliquem eligere, honestum ac probum, ac tuis consimilem moribus, ad quem bona tua morte perveniant? Sed si es occupatus in querendo, hoc te querendi labore expediam, atque hominem tibi dabo, studiosissimum tui, sed rerum tuarum longe cupidissimum, qui que heredis tui honore ac nomine affici mirabiliter expedit.

E R Y T H R. Credo, esse aliquot, qui rei meæ inhinent, quam putant esse amplam; sed ego scio, quam ea sit paucilla. At isti minime Horatiani Tiresiae præceptis imbuti videntur. Nam nemo eorum, mihi mittit munera, nemo ad prandium abducit, nemo ad cœnam vocat. nam isti mali aucupes essent, etenim nemo eorum ab aucupio domum, refertus præda, rediret. necesse est facere sumptum, qui querit lucrum: ante aream offundunt cibum, qui palumbem expertunt; nam si semel sit captus, rem solvit. Extra jocum; ego, solitudinis meæ memor, Vranio, cui magnam rerum mearum fidem habeo, negotiam hoc dedi, ut aliquem mihi inveniat, quem bonorum meorum heredem instituam. Itaque quem ille dederit, continuo accipiam, & in filii loco habeo.

V R A N. Din ego hanc provinciam recensavi; sed demum gerundus mos fuit amico. Verum, Deo dante, perficiam, ne illum, se meam fidem fecutum esse, poeniteat. Sed, his omissis, venerant mihi in mentem ludi festivissimi, quos, adolescentibus nobis, his ipsis Augusti feriis, de se dedit homo ridicule insanus, Aulus Vacca, qui aliquot abhinc annis est mortuus.

E R Y T H R. Novi hominem; atque ejus diei hilariatem in memoria habeo. nam, si recte meministi, tecum una interfui. narra rem, obsecro; nam est ridicula.

V R A N. Immo tu istis enarra. multa enim mihi exciderunt, quæ tibi forsan hærebunt.

E R Y T H R. Cum hac conditione, quæ sciam ac potero, proferam, si tu deinceps doctos Galli illius dolos.

in

in quibus multi hæserunt , tua ista mirifica narrandi venustate proponas. nam sæpius pollicetus es mihi , eos te enarraturum : sed adhuc , pace tua dixerim , sublestam tuam hac in re fidem inveni.

V R A N. Accipio conditionem ; ac fidem do , me servaturum in eo , quod præmisserim , fidem.

E R Y T H R. Sed date mihi hanc veniam , ut crus ntrumque altius attollam , atque in transversum proximæ mihi sellæ lignum imponam. nam proximis Bacchanalibus eum ibi dolorem contraxi , ut adhuc abigi nequeat.

F O S S I U S. At unde , tempore omnium festivissimo , tanta in te mali vis ingruit?

E R Y T H R. Ab eo spectaculo , quod Barberini Principes dedere. nam dum angustius sedeo , neque me uspiam commovendi facultatem habeo , ossium commissuræ , nervique , incommodi plurimum contraxere.

V R A N. Multa à multis de eo spectaculo dici audivi : non enim interfui . sed fuitne illud ita sumtuosum , ita magnificum , ita admiratione dignum , ut fertur ?

E R Y T H R. O mi Vrani , non potest dici verbis tantum , quantum re ipsa , omnia quæ ad hanc usque ætatem data sunt Romæ spectacula , splendore , magnificentia , sumtuque antecessit. Non possum quin exclamem : O singularem nostrorum Principum benignitatem ! ô sumnum in suos cives amorem ! ô charitatem prædicandam ! Tantumne eos laborem capere , tantos sumitus facere , ut jucundissima eos oblectatione detineant , ut periculosis Bacchanalium diebus , à vetitîs atque vulgaribus voluptatibus abstractos , ad liberalissimam , ac regalis opulentiae plenam animi remissionem ludumque traducant ! quorum eatenus est progressa benignitas , ut non modo fortunatos quoscunque homines ac nobiles , qui ad id spectaculum , ejus pulchritudinis fama compulsi , accurrerant , hilari ac sereno vultu exciperent , spectatum admitterent , sessum adducerent , verum etiam novo atque admirabili humanitatis exemplo , atque in bonas artes studio , omnes pene , qui in aliquo proborum , eruditorum , & ingeniosorum numero sunt , sigillatim per nuncios evocarint , invitaverint , venientibus præsto fuerint ,

fuerint, honestum & commodum spectandi locum attribuerint.

F O S S I U S . Cum ego rerum pulchritudinem , illud artis miraculum , illud novum, inusitatum , incredibile optimorum Principum in suos amoris exemplum hisce met oculis hauserim: nonne illi laudandi? nonne in oculis ferendi ? nonne in parentum, vel si ita loqui fas est, in deorum numero habendi ? Cedo mihi tres alios , non solum ex nostra , sed ex omni memoria, Principes, cum istis moribus. Quotusquisq; ille est, qui, cum rerum potiatur, nihil à suis civibus præter ipsorum amorem ac benevolentiam experat?

E R Y T H R . Pergratum mihi est, te adfuisse : nam ubi in enarrando memoria me fugerit , ibi tu facito ut subvenias. Scio , me vobis rem pene incredibilem loqui : verum se ita res habet , ut dicam. Quis crederet, mihi, nullius fere precii homunculo, Franciscum Cardinalem Barberinum allegasse, qui me suis verbis invitaret, insuper habita ætatis , temporis, ac valetudinis meæ ratione nunciaret, se curaturum, ne mihi, tum advenienti, tum redeuenti , rheda deesset? At ita eveniat mihi , ut ejus in me meritis referre gratiam possim , ut ille plus ex se dedid , quam pollicitus erat. nam pro una plures mihi rhe dae præsto fuere; aliaque, ab eo, mire propensi in me animi significaciones prodierunt.

F O S S I U S . Quid? tu, te solum esse illi eximium, censes? At hujns honoris ac munericis socios habes quam plurimos , namque ubi aliquod probitatis , eruditioinis, humanitatis , ac literarum lumen elucet , eodem continuo ejus amor , benignitas , studium , liberalitasque decurrit. Quamobrem magnas tibi , bonorum omnium fons & origo Deus, magnas vobis, Cælites, gratias agimus , quod vestro munere is tandem nobis obtigerit , in quo ornando omnium mortalium concordia , omnium voluntatum conspiratio , omnium vocum concentus existat.

E R Y T H R . At communem hunc de ejus laudibus consensum , quem narras , ostendit nuper elogium , capitalibus litteris in celebrioribus Vrbis locis inscriptum,

F O S -

Fossius. De quonam elo^gio loqueris? nam plures, tum soluta oratione, tum versibus, in eum scriptos sermones aspexi. Quæso, si memoria tenes, fac nos ejus participes. At miror, quomodo illud notitiam meam effugerit.

E R Y T H R . Petit Roma, ejus viræ terminos in longum proferri, quo pietas, justitia, fides, quæ ipso rerum domino in terras, tanquam postliminio, redierant, quam longissimam apud nos moram efficiant. nam simul ac ipse decesserit, illæ quoque rursus exulatum abituræ essent in coelum.

*Dum regis imperio populos, Francise, revisunt
Vix tandem terras jus, pietasque, fides.
Hinc ad pacâ tibi venias ut sidera tardus,
Munere Roma tuo facta beata, rogat.
Namque, ubi te capiant nostri fastidia mundi,
Astra petent rursus jus, pietasque, fides.*

Fossius. Quis audeat contra dicere? Ita edito, ita aperto, ita illustri ejus laudes sitæ sunt loco, ut ne calumniandi quidem causa, invidi cuiuspiam malignitas, earum luminibus possit officere. nam quicunque ita sit projectus ad audendum, ut fictis criminibus hanc ab eo justitiæ, pietatis, ac fidei commendationem conetur evertere, continuo una omnium voce repelletur; cuius hæc summa erit, hic exitus, eum plane solum, in hac nostra memoria, in his moribus corruptis ac perditis, esse inventum, qui in ipso ætatis flore, in summa potestate, in pessimo aliorum exemplo, omnia voluptatibus denegaverit, omnem sibi præciderit licentiam libertatemque vivendi, ac severam indexerit legem innocentiae virtutumque omnium; qui directum illud ad laudem iter suscepere, qui desertam hanc viam & incultam, & interclusam jam frondibus & virgultis, propemodum aperuerit, strenue inierit, seque aliis, ad eam percurrendam, magistrum ducemque præbuerit. His vocibus qui se opponere audebit, ejicitur, exsibilabitur, explodetur. Reliquum est, ut nos tam elegantis, tam probi, tam singularis Principis usq[ue] dignos probemus, quod tum profecto continget, si, qui in nobis ingenio,

genio, eruditione, ac literis præstant, omnes ingenii industriaeque suæ nervos, ad id eximium perfecti Principis exemplum, omnis posteritatis memorie prodendum commendandumque, contendent. Quanta enim virtuti fiat injuria, si, quod munus Principibus persolutum est iis, in quibus, ocio ac luxuria diffluentibus, omnia erant propiora pecudibus quam hominibus, illi de- negetur, qui solus ita vivat, ut solus debeat imperare, qui summis in cælum laudibus elatus, non stomachum sed assensionem, non odium sed amorem, non risum sed admirationem, sit excitaturus!

ERYTHR. Cur Pub. Fontana, popularis tuus, cu-
jus mihi elegantissima carmina nuper legenda tradidisti, non in hæc usque tempora à Deo lucis usuram obtinuit? Quam ille uberem, quam amplam, quam splendidam nactus esset scribendi materiam! quam latum, quam in-
gens, quam patens, laudum præstantissimarum spaciū offendisset, in quo divina vis ejusdem ingenii posset ex-
currere! Vterque profecto altero dignus extitisset; hic nimirum vir princeps, qui tam bono Poëtæ, laudum suarum præconium committeret; ille, cui tam illustris, declarandi ingenii materies obtingeret. Verum, illud postea incommodi in hac causa esse animadvertisse, quod nihil ex hujus nostri laudibus ita lepide, ita con-
cinne, ita diserte explicasset, ut id non multo elegan-
tius, ac venustius in ejus moribus, quam in suis versibus, expressum cerneretur. Sed, dum vestris studiis obsequor, ut causam doloris, qui mihi cruribus ineft, aperiam, ne-
scio quo pacto Barberinorum laus, tanquam æstus qui-
dam, abreptum me, à proposito longius abstraxit.

V R A N. Falleris, Erythræ. nunquam tam hæres proposito, quam cum Barberinorum laudes latam tibi ad egrediendum à proposito viam aperiunt. Verum, ora-
tione tua ingentē mihi, qui spectaculo non interfui, singula breviter, aperte ac dilucide cognoscendi cupidita-
tem commovisti, quæ majorem in eo admirationem ha-
buerunt. hanc igitur mihi sitim exple; neque verere, ne
nobis fabulandi jocandique tempus desit: etenim, ut vi-
deo, nondum meridies accessit. Deinde, statutum ac de-
liberatum est nobis, hoc diei & anni tempore, valetu-
dini

dini tam adverso , nullam quieti operam dare , sed omnipotens ab oculis somnum abigere .

E R Y T H R. Non defugio auctoritatem . sed , priusquam breviter admirabilia illa , quæ scire cupis , attingam , necesse est ut aliquanto latius illud , quod eas mihi sedendi angustias molestiores atque adeo intolerabiles efficit , exponam . delectabit vos illud accipere . nam est oppido ridiculum .

F O S S I U S. Loquere ; tui sumus : neque unquam , te dicente , aliqua audiendi satietate defatigabimur .

E R V T H R. Cum igitur , ut antea dixi , ejus theatrī sedilia aliquanto sint spissa , quo sessores nimirum quamplurimos capiant : quoniam meo fato acciderit nescio , ut ante me sessum veniret quidam , præter modum obesus , crassus , ac pygis in primis ita extantibus , ita prominentibus , ita tumidis , ut ventrem in tergo gestare , ac geminos in eo liberos habere videretur . hic ccepit mihi coxas , & ventrem , ita comprimere , in angustumque deducere , ut interdum vererer , ne illic crurifragio vitam amitterem , vel compressus disruptusque medius intestina diffunderem , quæ postea mihi inter multitudinis pedes essent colligenda , vel si invenire non potuisse , quod ea prætereuntium calceis hæsissem , ac mei auctio fieret , vñirem , intestinis perditis , vilius . sed non mihi deeram , verum humilibus ac supplicibus eum precibus rogabam , ut me , vitam , salutem , & incolumentem meam sibi commendatam haberet , ut tantisper mihi parceret , dum possem principi illi viro , qui me invitasset , gratias agere ; tum me , si ita libitum esset , comprimeret , protereret , enecaret . sed nunquam potui tam commode dicere , ut vel digitum quidem dignaretur se cominovere , vel ad dexteram , vel ad sinistram , cum locus facultatem daret , collativas illas nates , illam molem carnium , sive potius montes illos mali , deferre , ac depygem aliquem , suum in locum subrogare .

V R A N. Itane obstinate dabat ille operam , ut te misserum perderet ?

E R Y T H R. Credo , illuc ab aliquo invido fuisse immisum , qui ferre non posset , eum mihi honorem à principe illo viro habitum , ut nominatim me arcessiri jube-

reg

Tet. Verum, cum nihil illum meam gratiam facere, nec velle me salvum esse, animadverterem, ad res illas admirabiles contemplandas, quas nunquam mei nec cūjusquam acceperant oculi, me totum converti.

F O S S I U S. Credo, ut earum rerum aspectu, quæ simul aures & oculos dispari voluptate mulcerent, calamitatem illam tuam leviorem efficeres.

E R Y T H R. Et sane, nisi summa vis boni in illis rebus adesset, ac nisi odiosus ille identidem, quo magis ex propinquo aspiceret, exsurgeret, ac frontem, humeros, ventrem, scenæ, quantum posset, exporgeret; profecto illinc, factus ex humili superbis, hoc est, non pedibus meis sed aliorum humeris elatus, discessisse. Sed his omissis; primum, carmen quam elegans, quam doctum, quam nitidum, quam moratum, quam prudens! modi quam suaves, quam concinni, quam varii! ut ad aures grati veniebant! ut in animum influebant! ut verba atque sententias, quibus illi adhibebantur, ad vivum exprimebant!

F O S S I U S. Non mirum est, illud tibi carmen esse vi- suum in primis egregium atque venustum. Nam ex ejus artificis officina prodierat, quo nemo est hodie ad id genus carminis aptior; & qui, quod mirabilius videatur, perraro à negotiis publicis feriatus in hæc amoeniora studia divertit.

E R Y T H R. Iam teneo, hos esse perpusilli illius temporis fructus, quos mansuetiores Musæ, ex gravioribus ipsius occupationibus studiisque, laudabili furto, surripiunt. Actores vero, quod pene oblitus sum dicere, ut actione, ut canendi artificio præstabant! ut eorum unusquisque, cum suas partes ageret, in scena esse Roscius videbatur! Quod vero ad ornatum attinet, regali pene omnes in auro ostroque conspiciebantur. **Q**uis autem, scenarum apparatus, mutationes, prospectus, dicendo aslequi poscit? Modo enim fora, palatia, porticus, gymnasia referebant; modo, facta earundem conversione, hortos, viridaria, villas, fontes, aperiebant; modo nemora, valles, prata, decurrentibus aquis irrigua, oculis spectantium objiciebant; ubi forma egredia, ac vestitu splendido, Nymphaeum chori tum flores

res lectissimos decerpebant, tum suis ex illorum varietate capitibus corollas cultusque texebant, postremo de florum nobilitate atque præstantia in contentionem certamenque veniebant, cum singulæ singulos peculiari bus laudibus flores in cælum efferrent, certatimque suo flori, florum principatum arrogare, ac ceteris abrogare studerent. Quædam etiam ex improviso coorta tempestas meos oculos mire detinuit. etenim dum ingens virorum numerus, lepidis Nympharum choris immistus, saltationi operam tradit, primum visum est sensim solis lumen spectantibus eripi, deinde cælum nubibus totum obduci; tum plura ex illis, ventorum vi impetuque concisis, tonitrua, fulgura, ac fulmina erumpere; quorum unum fragore, rotatu, fulgetro, veri ita fulminis expressit imaginem, ut verum fulmen non ita verum esse videretur, ut illud erat fulmen simulatum auctum. Postremo cernebatur grando, imbræ largissima, præcipitans cadere, saltantium choros dirimere, atque hac illac disjectos dissipatosque, domos atque antra subire compellere.

Fossi n s. Quid nobile illud emporium visum est tibi? credidisse ne antea, quam tibi ad oculos venisset, posse artis inventa eatenus progredi, ut tibi animum oculosque surriperent, ac persuaderent, vera ea esse, qua non essent, teque ea videre, qua non videres?

E R Y T H R. Nunquam profecto mihi tanta rerū miracula in cogitationem cadere potuissent. Quoties, nisi ratio à veritate stetisset, id quod commendabant oculi, sibi tanquam verum animus tradidisset! Quoties sensus, inviti ac repugnantes, rationis judicio coacti sunt cedere! Rem miram & incredibilem; in dena atque eo amplius millia passuum, se oculorum acies videbatur extendere; intra quod spaciū, luci, nemora, colles, piscinæ, Euripi, amnes, littora, mare, & variæ ibi obambulantium vel navigantium species ostendebantur; tum virorum atque inulierum, villas suas, asellis, vehiculis, vel lecticis adeuntium; ac plures præterea tales argutiae; ad hæc, equorum, cursu inter se pugnantium, certamina, ac longus rhedarum ordo, qualem in officiis nostrorum Principum videmus, oculis illudebat, admirabilis

rabili artificis, omnium nostræ memoriae principis, arte, qui ingentia camporum atque mariam spacia intra breves unius aulæ terminos clausit. Sed in primis traxit ad se oculos omnium, sol, occidenti similis, qui, sensim se sub mare demergens, tenebras terris advocabat. Mercatus vero ipse, ut erat omnis fere generis artibus celebris! Ibi erant cenopolia, popinæ; ibi tabernæ vestiariæ: ibi acus, flabella, ollas, ephippia, ligulas videntium sellæ, atque alia innumera. Neque circulatores deerant, qui suis præstigiis, atque inaniloquis dictis, ære atque argento ociosorum crumenas emungerent. Visa est etiam nobilis mulier atque venusta, è lectica, in qua à mulis duobus ferebatur, descendere, seque mulierum viorumque choris, ad fidium cantum saltantium, inserere; quibus ex choreis rixa exorta, & gladiis vagina vacuis, inter plures, admirabili arte commissa, fine spectaculo fecit.

V R A N. Quæ à te referuntur, ea me voluptate afficiunt, ut non auribus, sed oculis prope modum videar accipere. ac nonnulla sunt, quæ à te exquirenda esse videantur; sed in aliud tempus rejicio. Tu ad Vaccam te refer, &c, quemadmodum ludus factus sit, nobis enarra.

E R Y T H R. Kal. igitur Augusti adolescentes aliquot coivimus, ut apud Melchiorem Crescentium, summa nobilitate summoque ingenio virum, cœnaremus. eo etiam venit hic Vacca; qui alienum semper cibum rodebat, ut mures faciunt, & tanquam canis venaticus, de odore, opiparas cœnas, & lauta convivia indagabat. Quem ut Melchior aspexit, homo facetus, &c ad jocandum aptissimus; Cur non, inquit, veteres illos convivas imitamur, atque aliquem cœnæ magistrum, vel talis, vel voce potius, præficiamus, qui leges in poculis ponat, qui primus sedeat, &c in singulis nobis imperium & auctoritatem exerceat? agite igitur, atque eum eligite, qui dignior sit ceteris, qui imperet; me quidem si audiatis, has Vaccæ nostro partes demandabitis; quis enim, in hoc prælio, quod cyathis & cantharis decertabitur, imperator inveniri, eodem præstantior ac melior, potest? Placuit omnibus ratio; omnesque in ejus sententiam, assensionibus suis, tanquam pedibus, iverunt. quam ille

pro-

provinciam hilari luctuque animo statim accepit; sperans, fore, ut unumquodque, quod esset in cena bellissimum, illuc, ubi ipse esset, advolaret. Tum Melchior, At non est, inquit, habitus, quem gerit, eo dignitatis gradu dignus, in quem vos eum extulistis; veniat aliquis cum regiae vestis insignibus. Ac statim delata est crassa tunica, vulpium pellibus subsuta, quæ inter hyperboreas nives agenti, faviente hyeme, ut cum maxime, ignem, non modo calorem, excitasset; tum torques aureus, decem pondo, ac capitinis indumentum item ex pellibus. atque, Habitus, inquit, hic, quem cernis in meis manibus, utpote regali fastigio dignissimus, cum hoc trito palliolo, quo tegeris, permutandus tibi est. Nec mora; pallio eum exuunt, tunica ex pellibus induunt; &c, quo ea corpori propius haberet, zona arcte præcingunt, collo torquem injiciunt, cedarin, regium capitinis insigne, eidem ex pellibus compositum addunt; postremo, in sella, quam pulvinus pluma farctus sequatur, inter vasa duo ænea, ignitis carbonibus plena, constituunt. Vix ea acta erant, cum cœpit misero sudor, à vertice ad talos usque, defluere: &c, quod erat illi ægrius, raro dabatur, quod biberet; idque calidum. Quamobrem clamabat; Date vinum, date usque plenis cantharis; jam diu factum est, postquam bibi; heu, siccus sum; heu, siti conficiar. Deinde, cum pelles, quibus erat involutus, spiritum eidem intercluderent, atque animam adimerent, rogabat, ut zonam, qua arcte erat præcinctus, vel solverent, vel remitterent, quo posset spiritus libere commeare. Illi negarunt; non enim decere, principem esse solutum, vel male præcinctum; proinde, si honores gereret, labores eisdem adjuncos æque perferret. Tum ille, Male sit, inquit, huic honori, qui tot sudoribus emitur. Atque id quidem, haud pro insano, verbum fecit: atque addidit, Ego post hac dignitatem istam, cui lubeat, remittam, atque imi subfellii vir potius ero, quam in summo princeps accumbam; neque aliis vinculis vinciri me patiar, nisi eschariis. Confecta cena, paulo ante vesperam, cum jam sudor thoracem, sagum, togamque penetrasset, multis cum funeralibus, ac duobus servis, qui vasa illa ænea cum

igne ante ipsum ferrent, atque identidem ori ipsius ad moverent, magno omnium cum risu, reductus est domum. Verum, quo conceptum illum ac totis visceribus hærentem ardorem abigeret, necesse fuit misero, ad Tiberim pergere, seque collotenus aquis immergere, & in flumine pernoctare: qui etiam, cum periculosa quædam loca iniret audacius, ut aliquanto frigidorem aquam inveniret, nihil propius est factum, quam ut à vorticibus, qui ibi latebant, abriperetur; ac nisi præsens auxilium fuisset, procul dubio in profundum abruptus, illud bibisset, quod ipsi futuræ sitis molestias adimeret.

F o s s i u s. Istuc etiam genere joci lusit vir quidam princeps, quem omnes novimus. hic, cum fervidissimo hoc anni tempore domi suæ spectaculum daret, sub pulpito, aulaeis coustrato, carbones ignitos quam plurimos substerni imperavit. quare, cum actores præter modum sudarent, ac propemodum adimi sibi animam sentirent, nec possent intelligere unde insolitus ille calor oriretur, pene sunt coacti ornatum abjicere, seque foras educere; sed cum eorum unus forte oculos in pulpitum dejecisset, micantem ex tenui foramine ignem aspexit; atque existimans, id quod erat, sub pulpito latere ignem, illuc se demisit, atque ad insoliti illius caloris cubile pervenit, ac sociis ostendit: quibus omnis repente admiratio constitit; ac viro illi principi, qui occulte post ostium stabat, & cachinnos efferebat, cœperunt mala multa ingerere, & stultitiam illi suam objicere. Et sane meritas stultitiae suæ poenas dedisset, si, hoc tam insano jocandi genere, magnificum illud suum ædificium, igne concepto, conflagrasset. Sed non potes Vrani id, quod à te promissum est, diutius nobis debere: quamobrem te in opus accinge, & narratione illa, quam, ex Erythræi oratione, festivissimam esse conjicio, nobis animum exple.

V R A N. Quoniam me deprehensum video, neque ulla fugæ ratio est; quid reliquum est, nisi ut promissa persolvam, ut expungatur nomen meum, ne quid debeam? Date igitur mihi operam diligenter. Erat in hac Vrbe, paucis ab hinc annis, vir quidam, natione Gallus, qui,

qui, quoniam in vietu, vestitu, ceteroque vitæ cultu, se laute nitideque tractabat, ingenuus ac nobili loco natus habebatur; eratque multis illustribus viris jucundus & carus: sed præcipue frequens in meritricum dominibus aderat; quarum unam, formam, opibus, & amicorum numero in primis nobilem, blandiciis, muneribus, donis, fecdere amicitiaque sibi devinxit; cuius opera, in suis nequitiis, de quibus mox dicemus, utebatur. In iis, qui tum eam amabant, erat Hispanus quidam, cuius parens, mercator in primis dives ac locuples, viro cuidam principi, quo tempore in hanc Vrbem venit, multa scutorum millia mutua dederat; qui princeps deinde, imitatus agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt, non solum pecuniam, mutuo ab eo acceptam, filio, de quo loquimur, redditum, quam ille statim in scenore collocavit; verum etiam multa eidem ecclesiastica beneficia, ut vocant, deferenda curavit, unde quotannis scuta ad duo millia facile caperet. Tanta igitur annua pecunia auctus locupletatusque, cœpit eam in meritricis illius domo profundere: neque propterea assequebatur, ut esset apud eam primus; nam Gallus priores ferebat. Quod cum inique pateretur, die quodam, hanc ad eam orationem habuit, Dic, obsecro, mel meum, cur Gallus apud te mihi præponitur? cur plus illum amas, quam me? num solus dona dat? num solus superat datis, ut haec illi ædes pateant magis quam mihi? Tum meritrix, ubi piscem, ex ea nassa, quam paraverat, cibum capere vidit: Lux mea, inquit, non pol, quod eum plus amem, aut plus diligam, ea facio; sed ita res est, ita faciendum oportet; ejus enim inter nos arcani conscientia sumus, ut pluris mihi esse debeat, quam quisquam alius: quod si minoris eum faciam, continuo litteres & similitates esse mihi sciām in mundo: at nihil minus de re mea est, quam inimicitias cum illo suscipere. His auditis, incredibilis cupidio Hispanum incessit cognoscendi, quodnam arcanum in se illud includeret. Itaque mulierem orare etiam atque etiam cœpit, ut ejus se quoque secreti participem faceret, ac, Pete, inquit, quidvis à me; nam continuo, si tua consilia mihi credideris, auferes. At illa, ab omni lucri cupiditate se esse

alienam simulans. Non mihi avaritia innata est, ait, sed meus in te amor facit, ut te impetrabilior, qui vivit, sit apud me nullus; attamen jurejurando à te cavero prius, ne ejus, quod tibi committam, cuiquam indicium facias. Ille, conceptis verbis, juravit, se prius vitam suam proditurum, quam arcanum illud cuiquam enunciaturum. Cui meritrix, Vide, inquit, anime mi, quam cordi carus sis meo: illud enim tibi committere audeo, quod ne parenti quidem meo, si revivisceret, crederem: sed, miseram me, adhuc pendo animi, res enim est magna, dubia, plena periculi, præsertim in hac Vrbe. sed amori cedam oportet, qui me urget, impellit, cogit, ut me, vitam, existimationem, ac fortunas denique omnes, tuæ credam fidei, qui meum es corculum, mea voluptas, meus ocellus. Dic audacter, mea vita, inquit Hispanus; fidei non melius creditur, quam mihi fac periculum; Harpocratem me esse factum dices. Tum mulier: Primum, inquit, tibi prædicto, neminem, post homines natos, magicæ artis seu necromantiæ peritia huic Gallo antecepsisse; nihil illū latet eorum, quæ fiunt, quæque dicuntur. quid multa? neque hujus sermonis est expers, quem inter nos soli habemus. sed non tamen exterritor, quo minus ea tecum fabuler, quæ te velle scire intelligam: nam adeo effictum me deperit, ut ejus iram non verear. Hic, media nocte, è complexu meo divulsus, è fenestra se ejicit, ac Lutetiam Parisiorum usque decurrit, & post tres, vel quatuor summum, horas, prout eum negotia remorantur, quibus operam datum excessit, in complexum meum se recipit; tenet, quidquid ubique terrarum agatur, sive apud Istros, Hispanos, Massilienses, Illyricos, Afros; arcana præterea multa comprehensa intelligentiâ habet, nemini præter ipsum nota; quibus sœpe res miras, ac præter naturæ ordinem, efficit. nam, quando pecunia est indigens, cum it cubitum, notas quasdam seu characteres in hac mensa designat. tum, media nocte, jubet me lecto excedere, & ad mensam accedere. obtempero, surgo, eo, ac totidem inde nummos aureos duplices aufero, quot antea ibi notæ descriptæ inhæserant: interdum etiam inanis redeo; cujus ille rei culpam in
ædi-

æditios rejicit, quod solito maturius, matutinis horis, signum campana deditissent: redeo deinde suo tempore, & quod volo invenio. Modo autem montes auri pollicetur, si secum inducam animum ire; etenim nihil mihi ad summam felicitatem defuturum. at ego, quamquam sim quæstuosa, quamquam corpus corpore aliam, animam tamen meam, quovis mihi lucro cariorem, salvam esse cupio.

F o s s i u s . O religiosam mulierem, cui salus æterna tantopere erat cordi!

E R Y T H R . Vt Vranus egregie malos meritricum mores describit!

V R A N . His auditis, Hispanus plane vehementer exhorruit; ac non modo fidem habuit, verum etiam summa vi orare eam coepit, ut se Gallo commendaret, ac traderet, & quoniam ille esset magus solus præter alios, perficeret, ut sibi Dæmonem ostenderet: se enim vehementer cupere os Dæmonis cernere, videreque, utrum sit albus an ater, simulque de rebus, ad se pertinentibus, sermones cum illo conferre; quod si daret operam, ut ejus sibi rei potestas fieret, tum omnia à sua liberalitate speraret. Verum, quia non ignorabat, mulierum manus oculatas esse, & solum credere, quod sub aspectum caderet, detracto ex femoralibus marsupio, auri pleno, os illi apernit, ac multos inde aureos nummos duplices in mulieris sinum evolare permisit. Quos illa exceptos, (quamvis cupiditatem suam diffimularet,) omnibus custodiis subjectos, ne revolarent, in crumenam suam, tanquam in vincula, rapuit: interim respondet, se esse facturam, & diligenter cum illo sermocinaturam. Paucis diebus post, mulier lepide consutis dolis effecit, ut apud se ambo ceñarent. At primo Galluscepit simulare, se ægre ferre, quod sibi ante oculos rivalis esset adductus, nec posse sibi cum Hispano convenire: deinde, tanquam mulieris opera, delinitus tribus coenis, quas ipsi Hispanus de suo opiparas dedit, porrectiorum frontem ostendit, totumque Hispano se tradidit; & quo, non modo amicitiae vinculo, verum etiam quadam quasi sanguinis cognatione, se esse cum illo conjunctum, ostenderet, commentus est, avum suum fuisse

Hispanum , atque ex eodem , quo ipse , oppido ortum.
 Idem mulier , se millies ex eodem audisse , confirmabat.
 Hispanus , cuius oculi , aures , opinio ad mulierem trans-
 fuderant , hæc esse Apollinis oracula , seque totum jam
 Gallum possidere , existimavit. At mulier , quo illustrius
 navatae à se operæ specimen daret , imperavit Gallo , ut
 Dæmonem Hispano in conspectum & in colloquium ad-
 duceret. Tum vero Gallus irasci , furere , in clamitare ,
 sua à muliere arcana prodi , ac palam efferti. At lepida
 se illi in collum rejicere , suavia impingere , blandiciis
 iram eripere , liquidiore inque eum , quam ventus est fa-
 vonius , efficere. Quamobrem jam æquior factus , Hispano
 rei magnitudinem ante oculos statuit , vitæ fortuna-
 rumque omnium periculum exponit ; si quis indicium
 fecisset : præterea opus esse pecunia ad eam rem , dixit ;
 quam neminem fas esset impendere , præter eum , qui id
 sibi beneficium gratiamque deposceret. qocirca , Hac ,
 inquit , censeo , cogitatione desistas , teque simul sumtui
 periculoque surripias. Hispanus contra , Nihil te , ait ,
 pecunia sollicitet , qua sit opus ; in sumtus , est Dei &
 majorum meorum virtute , unde illis suppeditem . quod
 autem metuis , ne id efferatur foras , facis tu quidem sa-
 pienter : sed supervacaneus est hic apud nos metus : soli
 sumus , nec venator aliquis adeat cum auritis plagis , qui
 consilia nostra excipiat : tum ego nobili genere natus
 sum , ac possum , quamvis millies sit moriendum , evin-
 cere , quæ sunt visa ut visa ne sint , quæ suut facta infecta
 uti sint. Tum Gallus , tanquam his rationibus vinctus ,
 manum dedit , ac , Mos , inquit , gerendus est tibi . ea-
 demque opera atramentariam thecam , & calatum cum
 charta , poposcit , ubi singula ad Dæmonis adventum
 necessaria descripsit ; vestis lineæ , carbaso nomine , te-
 nuiissimo candidissimoque filo , ulnas sexaginta , quibus
 interiores cubiculi parietes tegerentur ; tum pollubrum ,
 guttum , thuribulum cum acerra , & candelabra duo ;
 atque omnia hæc ex argento ; quæ eo gratiora Dæmo-
 ni futura essent , quo grandiora ac majoris ponderis ;
 item cereos duos , librales pondo , qui candelabris affixi ,
 in ara , quæ excitanda esset , elucerent ; postremo sex ul-
 nas serici Damasceni operis albi , quo solium sternere-
 tur ,

tur, ubi Dæmon sessitatus esset. Quæ statim Hispanus comparanda, & in meritricis domum deferenda curavit, ubi mira illa edenda esse existimabat. At Gallus multis illi rationibus persuadere conatus est, nihil esse tam alienum à rationibus suis, quam meritriciam domum; quippe quæ hinc & illinc alias ædes habeat adjunctas; eam eligendam esse, quæ undique ab aliis, quinquaginta saltem passibus, distet; deinde non quodlibet tempus esse ad eam rem aptum, sed cælum requiri, certo modo affectum, sideraque ita composita, ut Luna, è regione terræ sita, nec Iovis nec Veneris astrum aspiceret; proinde quiesceret; nam simil ac occasio ei rei visa sit, continuo se evocatum iri: interea storacis, aloës, camphoræ, & certorum quorundam aromatum, singulorum uncias ternas, ad suffitus faciendos coemperet.

F o s s i u s. Fortasse id sibi temporis sumsit, quo ociosus fugam adornaret, atque aliam, cum preciosis illis rebus, coloniam commutaret.

V R A N. Minime; sed paucis diebus post, per meritricem, certiorem facit Hispanum, se longum cum Dæmonे sermonem habuisse, diuque cum eo velitatum esse, sed tandem, post longas concertationes, adegisse illum, ut constitueret, se esse venturum; proinde pareret se, in posterum diem, paulo ante lucem eo venire, ubi Dæmon suam ipsis præsentiam esset exhibitus. Vespero igitur convenienti ambo in meritriciam domum, cœnant, cubitum eunt, solus Gallus scortum accumbit, nam religio erat Hispano, cum illa concubere, si vellet Dæmonem oculis conspicere; ceteroqui futurum, ut omnia in irritum caderent, neque Dæmon præstaret fidem in eo, quod promississet; Gallo autem nullam esse ejusmodi formidinem, quod ipsi pax esset cum Dæmonе. Itaque necesse fuit Hispano, rivalem suum cum amica ludentem aspicere, ac pati. Mane surgunt, domo exerunt, properant, ac villæ cujusdam limen intrant, sequi inde in cubiculum inferunt, carbaso illa tenuissima & candidissima, de qua diximus, tectum; quod cubiculum, è regione fenestræ vitreæ, quam culcita Gallus stipaverat, & supra telam injecerat, aram habebat, ubi

totum illud argentum erat expositum, cereique fixi candelabris hærebant: quos statim Gallus accedit, ac circulum humi descripsit, novis & inusitatibus characteribus notisque distinctum; in quem Hispanum conclusit, antea admonitum, ut, nisi fustibus ad cædem usque contundi veller, neminem ex Divis sibi in auxilium evocaret, nullas preces meminisset; tum, si quid facti, vel religiosi, tanquam puerō crepundia, sibi in collo penderet, demum abjiceret. At ille, quasi prædivinans, ita futurum esse, ea sibi detraxerat, ac meritrici servanda commisserat. attamen, cum veniret in mente, nullum sibi ad solitas preces perfugium esse relictum, totus horribat.

F o s s i u s. Quamquam hæc sint turpia, flagitiosa, execranda, ac suppicio digna, attamen, minus malum hunc hominem esse comperio, quam esse censebam Galum.

E R Y T H R. Perge; expecto, quorsum evadas. Mirabar equidem, Hispanum illum tam suisse fungum & bardum, ut tantam illi pecuniam crederet, cuius fidem perspectam non haberet. Nam scio, quam sit difficile, dare verba Hispano.

V R A N. His actis, ut dixi, primum Gallus, fumo bene oleni, qui ex thuribulo afflabat, chartam, à se domo allatam, ac rubris inscriptam notis signisque, perfudit; tum Daemonem adjurare his versibus cœpit:

*Huc, Erebi regnator, ades; noctemque profundam
Ac loca sulphureis horrentia desere flammis.
Et, quo nostra celer venias ad iussa vocatus,
Eripiant subito nubes cœlumque diemque,
Ne tibi, candenti præcinctus lumine, Titan
Affuetos tenebris oculos, lucemque perosos,
Sublimis feriat, radiorum, ex æthere, telis.
Huc ades, atque tuos, quales nunc Tartara cernunt,
Terrificos vultus nostris obtutibus affer.
Non ego praripio rigida sua cornua fronti,
Non unguis adimo manibus pedibusque recurvos,
Evello caudam tetris nec clunibus amplam;*

Sed,

*Sed, ne majori quatiant formidine mentem,
Esse procul jubeo lateri socia agmina tantum,
Agmina Dirarum crudeli ab sede sororum,
Frons quibus, anguineo circum redimita capillo,
Infestas tumidi præportat pectoris iras.*

*Eja age, quid cessas? quid Iberi gaudia differs?
Qui ignota cupiens oculos saturare figura,
Et ventura simul vita perdiscere fata,
Exiguo inclusus gyro, tua numina poscit.*

*Per rapidas Phlegethonis aquas, per lurida Ditis
Ostia, perque acri crepitantes igne caminos,
Per chaos antiquum, adjuro te, ne mea surdus
Diripienda feris committas iussa procellis;
Sed propere properes Hispani occurrere votis.
Nam, moneo, si tardus eris, dabis, improbe, pœnas,
Expertus, diro qua sint in carmine vires.*

Verum cum his versibus, nihilo ille magis se commoveret, magna eum voce citavit, ut adesset, & oculorum aspectui sese subjiceret. atque ad tertiam vocem, teturum quoddam in speciem monstrum, ex fenestra illa vitrea, quæ unica erat in eo cubiculo, tanquam ex Acherontis ostio processit, vitro aliisque, quæ obstabant, ad terram abjectis. Erat portento illi color, Æthiopi similis; manibus ac pedibus prominebant ungues, aquilinis vel milvinis paulo maiores; cornua ad palmi unius longitudinem fronti hærebant; & insignis magnitudinis caudam pendentem è dorso trahebat. Conatum est primo, cultro bipalmari, quem gestabat manibus, in Hispanum irrñere; sed cohibitus est à Gallo, quem circulus alter includsum habebat; coactusque paratum sibi solium inscendere. Tum vero Hispanus expavescere, sudore perfundi, ac cupere aliqua evolare, si posset: sed omnes illi erant ad fugam aditus erepti, interclusique: & quamvis maxime patuerint, tamen non audebat se commovere, propter metum fustium atque plagarum. Verum ægre tandem impetratum est, summa Galli contentione, ut ab Hispano manus contineret, ac sessum incederet. Quod ubi factum est, cœpit Hispani postulata Dæmoni Gallus exponere. Ille facere se fastidii plenam, hac illac corpus versare, contumaci ore respicere: at cum primis postulatis

latis perplexabili, ambigua, obscuraque oratione, minus satisfecisset, interpellavit Gallus, ac conantem plura loqui prohibuit Hispanus; cui genibus nixo, ad talos usque sudor defluebat, cuique nihil longius videbatur, quam dum è cubiculo foras pedem efferret, atque è Dæmonis manibus elaberetur; ac, Tace, inquit, obsecro, nihil est, quod scire amplius expetam. Tum Gallus, jam suo functus munere, ab suo circulo ad Hispani circulum, & inde ad cubiculi ostium, rectam descripsit viam, characteribus ab omni parte munitam, qua via Hispanum, præ metu vix compotem sibi, in alterum cubiculum illi connexum eduxit: cum interea Dæmon, magnos fremitus ederet, atque in os homini involare contenderet; quos ille conatus, pro imperio ac potestate, cohibuit, atque ut quiesceret, neque loco se commovere, edixit. Sed postquam in cubiculum illud alterum exierunt, Gallus, clauso ostio, Dæmonem adjurabat, ut abscederet, seque sub terras, unde emerserat, abderet. Quæ dum ab eo magna saepius voce repeterentur, Hispanus, nova cupiditate incensus, accessit ad fenestram, proximam illi, unde Dæmon irruperat in cubiculum, quod diximus; quo eadem, qua venerat semita, redeuntem illum aspiceret. Existimabat enim, quod cauda & cornibus, tanquam alis, vectus, per apertos terræ hiatus,

Acherontia templo alta Orci, pallida,

Lethi obnubila, obsita tenebris loca

repeteret: sed nihil tale ejus pervenit ad oculos, quamvis apertos atque patentes; sed eos tantum, qui intus fiebant, strepitus auribus accipiebat. Quorum causam Gallus in Dæmonis pertinaciam referebat, ac, Vide sis, inquit, obstinatum tetræ hujus belluæ animum; ut etiam restat! ut se obfirmat! ut adhuc exigi expellique non potest! at vereor, ne tu, metu perterritus, ad vota precesque confugeris. Quod Hispanus à se factum persante negabat. Immo, cum sedato jam intus tumultu, vellet Gallus cubiculi fores aperire, vetuit ille, ac, Cave, inquit, facias; nonne sentis? adhuc intus est Dæmon; nam si foras evolasset, non potuisset oculos nostros effugere; etenim clauso cubiculi ostio, nullus, præter fenestram,

nestrām , ad exeundum aditus patet. Falleris , inquit Gallus ; nihil ille , abiens , eger ejusmodi auxiliis , sed parietes penetrat , & ab aspectus judicio remotus , qua lumen , excedit. Cubiculum igitur intrant , ac nihil ibi relictum inveniunt , præter cereos extinctos , atque humi jacentes. Nam vestis linea ac serica è conspectu evolaverat ; argentum , una cum Dæmone , à nemine visum , abierat. Mirari Hispanus , ac magnam esse vim Dæmonis dicere. Contra Gallus stomachari , irasci , clamare , ac dicere , Mirabar , ni res aliter abiret ; miserum me , cuinam posthac mortalium fidem habeam? cui credam? quodnam ob meum meritum à te decipior ? hucne demum mea in te beneficia redeunt , ut tam iniquā eorum mercedem accipiam ? itane , cælitum auxilium implorando , perfecisti , ut nunc apud inferos de capite meo comitia agantur ? videu' ut omnia Dæmon convalescerit , quæ nunc igni tradita , certum est in cinerem esse redacta ? at ego nunc sancte affirmo , me de hac re nemini posthac morem esse gesturum , etiamsi ipsemet Rex Galliæ supplicatum adveniat. Denique ita querebatur , ita se afflictabat , ut si damnum illud totum ad se pertineret , vel tanquam esset nescius , quonam illa , quæ defebat , convolassent. Itaque abeunt ; Gallus ad meretricem , præda refertus ; Hispanus domum , ut , labore , vigilia , metuque defessus , se lectulo traderet ; ubi triduo jacuit , pro certo existimans , veram sibi Dæmonis formam , non glaucoma , ob oculos fuisse objectum. Quo etiam tempore , ab amico quodam summo , ac populari suo , salutatus , cuncta quæ vidisset aperuit , eo ardore animi , ea vi vocis , ea verborum contentionе , ut ille , qui audiebat , verum nou æque verum esse crederet , ut falsum illud atque mendacium ; & simul cupiditate incredibili exardeceret , ea oculis percipiendi , quæ auribus accepisset : atque ita tum discessit ab eo , ut constituerit , amicitiam cum Gallo inire , neque labori aut sumtui parcere. Verum eo ipso die , dum attentius in hac eadem cogitatione defixus inhæret , casu fit mihi obviam , quæque de amico audierat quidque sibi propositum esset facere , paucis exponit. Hic ego cachinos extollere , amici simplicitatem illudere , & Gallum illum

illum magnum esse sycophantam dicere. Ille compino-
veri, irasci, meque incredulitatis arguere, quod iis, quæ
oculis perciperentur, fidem abrogarem, & quodammodo,
solem meridie non lucere, contenderem. Si vitrea,
inquit, illa fenestra tota ejus adventu comminuta est, si
ante ejus excessum integra, ac sine ullo vicio, suo loco
restituta, si nullus eidem ad exeundum aditus patuit,
nonne sit consequens, illum, nostris invisum oculis,
penetrasse sub terram? id ego nunc volo experiri, hac
ego re tam admirabili oculos pascere: ac meum erit, ca-
vere, ne mihi quisquam os sublinat, neque rem falsam
pro vera obtrudat. Tum ego, Age, inquam, ut lubet;
nunquam dices tam commode, ut mihi suadeas, Dæmo-
nem illum verum esse Dæmonem, & non potius syco-
phantam aliquem, qui secum integra vitra afferat, quæ
pro fractis substituat. Vin' tu facinus pulchrum facere?
confer te in illam villam, ubi ludi isti præbentur; atque
à villico, gratia, precibus, vel precio impetra, ut te in
eam domum perducat, qua Gallus ad magicas artes uti-
tur: nam, ita me Deus amet, ut sub ara fenestram aut
aditum aliquem invenies, quæ subditicio illi Dæmoni
clam commeatus sit in illud cubiculum, quaque rece-
dens, clanculum itidem sese subducat ex ædibus foras.
Placuit homini consilium; ac postridie, simul ut illuxit,
surgit, egreditur, in prædium illud venit, pulsat fores:
aperiuntur, intrat, salutat villicum, loci amoenitatem
laudat, aëris salubritatem extollit, rogat, num qua ibi sit
villa, num luculenta, num perbona. Respondet villicus,
esse satis commodam, sed non ita magnam. Tum ille,
Nummum hunc, inquit, unum aureum à me accipe;
age, duc me; cupio eam aspicere. Villicus, cuius fortas-
se ad oculos auri nunquam fulgor illuxerat, repente in-
cessit omnibus leticiis; gratias, quantas maximas potuit,
egit, ac simul se ferre dixit ægerrime, quod non posset
villam ostendere, cuius claves apud se quidam Gallus ha-
beret, neque mortalium cuiquam crederet. At si ea est,
inquit, tibi ejus aspiciundæ cupiditas; alia ratione ani-
mum explebo. Pergratum mihi, ait ille, feceris. Tuin
villicus, factam ex tigillis scalam, uni ex parietibus vil-
lae adinovit, ac, Duc te, inquit, sursum, atque in hia-
tum,

tum, quem ibi inveneris, infer; inde enim est commeatus in omnia villæ cubicula: tum singula, arbitratu tuo, perquire, contemplare, perlustra. Ille conscendit, hiatum intrat, ac se sub aram, de qua supra commemoravimus, venisse cognovit. Tum acumen, ut ajebat, meum admiratus est, quod illud suspicatus essem, quod si bì nunquam venisset in mentem: ac per scalas se demisit, neque verbum quidem ea de re fecit, ne quam villaco suspicionem injiceret; sed tantum, Cras, inquit, ego cum amica, & pauci quidam, nisi tibi incommodum est, huc venire decrevimus, ut jocis, ludis, ac commesationibus hilarem eum diem sumamus: tu vicissim da te nobis, ac benignum istum de te animū exprome. Villicus, qui tam latum in se liberalitatis fontem esse apertum intelligeret, Veni, inquit, quotidie, non solum cras, semper enim hæc tibi fores patebunt, ut tuæ. Postridie fert se illuc, cum scorto, eoque, quem Gallus fecerat arietem Phryxi, hoc est, auro abraferat: edunt, bibunt, ludunt, omnem amicitatem hilaritatemq; persequuntur. tum probe pransi & appoti, easdem, quas pridie, scalas conscendent, ac per hiatum illum in regionem astutiarum Gallici illius sycophantæ penetrant, & dum curiosus singula persequuntur, ad intima illius sycophantiarum cubilia perveniunt. nam, in angulo quodam, aquilinos ungues, chirothecis adsutos, cornua caliendo imposita, caudam, & reliquum omne fabulæ illius choragium, inveniunt. Non potest dici, quanta omnes illi sint voluptate perfusi, quos risus, quam effusos dedent, quam frequenter, Vranium calliditate atque malitia Dæmonem anteire, clamaverint. Postridie mane me adeunt, rem narrant, ac pro amicitia rogant, ut eam clam habeam, neque divulgem: nam præstantissima quoque ac nobilissima hujus civitatis ingenia, in his sycophantiis hæsisse, ac majori etiam dispendio, curiositatis suæ pœnas dedisse. Ac fuerat illis in animo, mulieri, quæ Gallo supparasitata fuerat, marcido putidoque vervecis abdomen os verberare: sed veriti, ne hujus vindictæ causa emanaret in vulgus, sententia destiterunt.

F O S S I U S. O lepidum Galli hominis ingenium! ò sycophantiam prædicandam! ò illos, quibus manus est

est adita , stultos , fungos , & bardos ! nunquam hominem quemquam ludificari magis facete vidi . Sed curnam istos , Dæmonis tanta mercede inspiciundi , tam ingens cupidus incessit ? Vide , quam dissimilia sint inter se hominum studia ac voluntates . Ego , si ingratias Dæmon aspiciendus esset , quidvis mallem amittere , quam perperi , ut tam horribilis bestiæ deformitas meos perveniret ad oculos .

E R Y T H R. At non debet istorum nobis simplicitas , sive stultitia , admirationem afferre , quod tam facile sibi verba dari sint passi . Nam sunt aliqui ita ad simulandum dissimulandumque omnia parati , ita dolis ac fallaciis instructi , ita ad persuadendum , gestu , vultu , oratione , à natura facti , ut possint etiam dolis sapientissimos homines in errorem inducere .

F O S S I U S. Vera prædicas , Erythræ . Nam audi vi , cum essem Bergomi , notissimum hominem , Longorio nomine , cui verba dare non magis quisquam potest , quam Vlyssi , aut cuivis alteri , cui cautionis atque prudenter plenum sit peclus , nebulonis impudentissimi arte , magna vi argenti fuisse circumductum .

V R A N. Tu quidem commovisti studia nostra , ut aveamus scire ex te , quænam tanta fuerit veteratoris cuspis malitia , audacia , confidentia , ut hominem cautum , ac minime solitum capi , suis fallaciis irretitum admutilaverit . Nam scitum est , periculum ex aliis facere , nobis quod ex usu sit .

F O S S I U S. Si ita vestra est voluntas , faciam vobis satis . Nam quid aliud hodie potius agamus , quam ut , lepidis ac facetis sermonibus , nobis ocium voluptatemque quæramus ? Animum igitur advortite . Vir quidam locuples , cum ab urbe discederet , scuta octingenta , quæ penes se domi habebat , apud argentarium nobilem deposituit . quod cum veterator quidam , nimis graphicus sycophanta , animadvertisset , cœpit ex cogitare , quemadmodum , de octingentis illis scutis , intenderet balistam in argentarium : sed quia eam turrim ac propugnaculum munitius videbat esse , quam ut à se capi posset atque perverti , existimavit , id facile sibi eventurum , si cum Longorii auxiliis suas copias conjungeret ; immo pro certo

certo credidit, salvis manipularibus suis, Longorii filius periculo se rem esse gesturum, qui Longorius quoniam insigne in ea urbe facellum excitaverat, & frequentes ad populum conciones habebat, atque alia pietatis opera exercebat, magnam sibi optimi ac religiosi viri apud omnes famam confecerat. Itaque simulat, se eum esse, qui pecuniam deposuerat, syngrapham scribit, in qua imperat argentario, ut totum illud argentum, quod sibi retulisset acceptum, Longorio ferret expensum. Nam si, inquit, illi dinumerabitur, isthac tibi nomine soluta res erit. Tum, cum hac syngrapha ad Longorium ivit, commodum, cum ille suo in facello pacem amicitiamque inter duos componebat, qui pridie rixati fuerant de amicula; ac nemo aliis aderat. Quo ubi pervenit, statim genua humi posuit, ac matri nostræ, hoc est terra, supplex osculum dedit; tum demissò capite, stupenti similis, adstitit, nec audebat oculos sursum attollere; saepe etiam ex penitissimo pectore suspiria evocabat; interdum os lacrimis rigabat; quas sudario siccabat; deinde digitis pectus pulsabat, evocaturus cor foras. Quæcum Longorius aspiceret, mirabatur, gaudebat, eaque concionibus suis referebat accepta. Existimabat enim, hominem flagitosum, ipso dicente, non potuisse obsistere, decrevisseque, ad frugem, ut dicitur, redire. Itaque, absolutis iis, quorum controversias composuerat, recta ad illum adit, ac, Pax tibi, inquit, ò fili; confide; Deum tibi propitium fore denuncio. simulque leviter illi caput palpo demulxit. at malus refudit. Ah, mi pater, inquit, quid agis? manum abstine, atque aufer te à me; homo sum inquinatissimus, fœdissimus, folidissimus; cave, ne candori tuo contagio mea umbrave ob sit. Tum Longorius, Aufer orationem istam ait; lacrimæ, quas fundis, possunt quasvis animæ sor des eluere; mundus fies, & quavis nive candidior; mea ego id promitto fide. At veterator, tanquam verbis illis confirmatus, suspexit in cælum, ac, Bene sit, ait, matri illi, que te in lucem eduxit; bene diei illi, quo tibi dicenti operam dedi; bene concionibus illis, quibus adatus novam & honestam vitam vetere ac flagitiosa mutare cogor; fer mihi auxilium, & tuam mecum operam

ad id, quod conor, perficiendum, adjunge. Bono, inquit Longorius, animo es; aude tua mihi consilia credere, mea isthac opella, quantulacumque ea est, tibi tota deferviet. Tum ille incipit: Aliquot ab hinc annis (miserum me) virginis cuidam honestae vitium obtuli, eamque penè in uxoris loco habui; nunc facinoris mei me punierit; nunc totus mihi displiceo. itaque decrevi consuetudinem istam, non dissuere, sed in totum dirimere distrahereque. verum quia sua eam pudicitia famaque spoliavi*, ne interea deserta vivat, eam volo honesto cuidam viro, cum dote octingentorum scutorum, in matronum dare. quapropter subduxì ratiunculam apud argentarium, quantum aeris mihi sit, & quantum alieni; atque inveni, tantum mihi deberi, quantum mulieri dorandæ sit satis. per haec te genua oro, per lacrimas meas, per benefacta tua, quibus apud populum frequens existis, ut negocium suscipias, ut duorum saluti consulas, ut duas animas, Orco addictas, ex Acheruntis faucibus extrahas. cape hanc syngrapham, ac pecuniam exige, fer una tecum, & custodi, interea dum ego cum viro de conditionibus dispuco, dum tabulas conficio, ac rem totam expedio. quod si ante, quam mulier in viri manum conveniat, humanitus aliquid mihi contingat, (nam incertum est, quam longa uniuscujusque nostrum futura sit vita,) te unum operi huic vicarium substituo, ut, quæ sint in rem mulieris, agas. Bonus Longorius, qui tantum saperet, five bonitate naturæ, five pecuniae studio, quod ex ea aliquid ad se redundaturum speraret; non intellexit, se ab homine nequissimo duci, & tanquam asellum, clitellis onerari, quibns illi prædam, sine ipsis periculo, veheret. Sed credidit hominis orationi, credidit precibus, credidit lacrimis, credidit syngraphæ quam videbat; ac sine mora argentarium adit, syngrapham tradit, ut argentum enumeret rogat. argentarius accipit, legit, atque, Hominis, inquit, manum non agnosco, sed fiducia tua fretus, qui tota es Italia notissimus, syngraphæ fidem non abrogo; cetero qui mihi suspecta esset: at vide, ne quid mihi detrimenti per eam eveniat. Longorius, sublatis in cælum oculis ac manibus, Quod, inquit, verbum ex te audio? humani

mani generis hostis hanc tibi suspicionem injicit, quo opus illud bonum disturbet, in quod pecunia ista erganda est, qui illam scripsit, omnes mihi conscientiae suæ aditus aperuit, cuius ego omnes rimulas perlustravi, ac nihil in eo simulatum, nihil fictum inveni: qui etiam præteritæ male actæ vitæ poenitentia ductus, eam vim lacrimarum effundit, ut iis pene obruatur, quamobrem sine ullo metu istuc argentum mihi dinumera. nam re-promitto, istoc tibi nomine rem solutam futuram. Argentarius credit, solvit. Ille una cum socio, qui statuta duplo est minor quam ipse, sed sagacitate atque astu aliquanto major, domum regreditur, non tam argento, quam dolis atque fallaciis illius, qui clittellarium eum fecerat, oneratus. Postridie egregius ille poenitens revertitur, rosarium manibus gestans, quod ad terrain usque pertingeret; quod primum ante aram recitavit, genibus minor; tum verba suspiriis ac lacrimis intermiscens, Pater mi, inquit, proh dolor, operam perdidimus, bona illa mulier à nuptiis, quantum potest, abhorret: veni heri ad illam cum eo, quem ipsi maritum destinaveram, hominem gravem, exacta aetate, & caudicu[m] non in postremis; atque impuram, manifesto in flagitio, cum adolescente oppressimus. tum ego, re tam improvisa percussus, Itane, clamo, tam insigne mihi ac probo isti viro, qui tuus futurus est vir, injuriam imponis? Tum illa, impudenti ore ac voce, Quælo, inquit, maritum istum inimicis meis dato; tum mihi nullum dederis: ego semper audiui, caudicos istos barba alba, cano capite, ingenii tantum viribus praestare, at mihi opus est eo, qui scapulis valeat. Ego iratus, Mox tibi huc bajulum valente[m] adducam, qui te, sublimem raptam, in Tiberim præcipitem agat. Atque ita ab illa discedo, ut quæ auxilium à se meum repudiaret. Sed bene nobiscum actum est, quod non cum opera oleum etiam perdidimus; hoc est, quod argentum salvum sit. Quamobrem, quod bene tibi & fraterculo tuo vertat, retine tibi scuta centum; reliqua septingenta mihi redde, quæ in aliis pietatis operibus locem. Hic videre licuit miram utriusque celeritatem ac diligentiam, unius in reddendo depositum, alterius in recipiendo. Nam ille fortasse verebatur, ne, si tantum

lum moræ intercessisset, mulier resipisceret, ac seni illi nuberet; alter metuebat, ne dominus pecuniae, quam interverterat, reverteretur, &, tanquam calamitas aliqua, prædam tam opimam interciperet. Itaque aguntur omnia raptim atque turbate. sed accidit, ut sycophanta immunis abiret, atque ea in miserum Longorium faba cuderetur. Nam vix mensis intercesserat, à conversione boni illius peccatoris, cum ille, qui pecuniam deposuerat, revertitur, ad argentarium venit, pecuniam deposit. ille, jam suo chirographo dinumeratam esse, ait, Longorio. Tum creditor commotus, Quod mihi chirographum, quem Longorium blateras? quem ego natum nescio. Ut in pauca conferam, copulati in jus eunt ad prætorem, rem narrant. Prætor in hæc verba judicium dat. Octavius, verbi gratia, judex esto. si patet, argentarium accepisse depositum, quo de agitur, neque illud, cui debebatur, reddidisse, condemnata enim. Iudex, re cogita, coëgit argentarium, male solutam alteri pecuniam domino renumerare. Qui argentarius deinde Longorium, quod rem solutam futuram repromiserat, pene, obtorto collo, in jus abstraxit: cui tandem post multas altercationes, Longorius, judicis decreto, adjudicatus est; qui, si voluit se è vinculis eximere, atque existimationi hominum vindicare, necesse habuit, scuta illa octingenta, ex piorum hominum benignitate collecta, argentario resolvere.

ERYTHR. O nugatorem execrandum, qui sustinetur, tam pio, tam religioso, tam probo viro imponere! Sed nemo astutia, calliditate, malitia, meo judicio, antecedat mulieri, quæ mala esse decreverit. Etenim vir, ad suas saepe sycophantias, aliorum ingenio utitur; nam, nemo solus sapit. At mulier, ut ait ille, olitori nunquam supplicat, domi habet hortum, unde, quod ad suas versutiloquas malitias ac delenifica dicta sit opus, assumat. At facta improbi istius veteratoris sanctitas pietatisque, revocavit mihi in memoriam, doctam mulieris cuiusdam, ad simulandum dissimulandumque omnia paratae, fallaciam ac dolum, quo foeminam clarissimam genere, opibus, forma, divitiis, pietate, ac religione cum primis, nostra civitatis, cui illa à cubiculo erat, iusit,

Iusit. Hæc primùm supervacaneum omnem à se corporis ornatum amoverat, capillum fere semper impexum, incomtum, nullaque intextum arte, calantica linea abdiderat; oculos ita abstinentes, ita semper ad terram dejectos habebat, ut ad nullas plahe voluptates colligendas eos attolleret, ut etiam sæpen numero invitata ab ipsa met domina, ut pompam, aut aliquam aliam rem ludicram vel lattam, illac transeuntem, è fenestra despiceret, responderet; Ah, quam male hac tua indulgentia vel misericordia oculis meis miserabilibus consulis, cum eos adversus Dei mei consilium ad res leves, inanes ac fluxas percipiendas impellis! multo illis esset rectius, si lacrimas luctusque indiceres: hæ illos deliciae in hac ærumnosa vita ac misera decent. Virorum vero omnium, non modo congressus sermonesque, verum etiam aspectus, videbatur horrere. A domesticis operibus feriatam, cave existimes, se languori vel ocio deditisse: semper opus aliquod faciebat. Aut enim subtegmen tenne nebat, aut aliquid acu pingebat: quod vero vacui reliquum erat temporis, totum in legendō vel recitando Deiparæ, ut ajunt, Officio collocabat. Cum vero cubitum iret, flagris se ad sanguinem usque cædebat: atque admonentibus objurgantibusque, ut mitius suo cum corpore ageret, neque immoderata illa castigatione perditum illud iret, Sinite, ajebat, me contumacem istam carnem, quæ tot pugnas dat, quæ recalcitrat, obedientiam abjicit, quovis modo compescam, ac rationis dicto obedientem esse compellam. Ne multa, ea indole virtutis & continentiae videbatur esse, quæ in paucis reperitur, ut aspernaretur oculis pulchritudinem rerum, ut excluderet auribus omnem suavitatem, ut omnem animi remissionem Iudumque despiceret, ut denique nihil in vita expetendum duceret, nisi quod rerum omniū effectori ac moderatori Deo placeret. Quibus rebus assequebatur, ut foeminæ illi clarissimæ, quæ suas operas conduxerat, esset in primis grata atque jucunda; ac nobilis illa foemina felicitati tribueret suæ, quod talis sibi famula obtigisset. Verum, ut cum maxime ad omnes virtutes, & ad castitatem in primis, videretur efflorescere, atqne expectaretur, dum rem ali-

quam miram , ac præter naturæ ordinem , patraret ; ecce
 tibi , conservæ indicio , certior fit domina , eam à quo-
 dam , in proximo , amari , ipsamque vicissim cum illo
 mutuum facere : nam sèpius esse animadversum , inter
 ipsos aspicere , nutare , nictare , atque alia multa facere ,
 quæ essent certissima mutui inter ipsos amoris indicia :
 quamobrem , antea eorum cupiditatibus obviam iret ,
 quam longius progrederentur ; nam semper fumo flam-
 mam proximam esse . Vix se prudens ac nobilis illa fœ-
 mina continuuit , quin delatrici illi in os involaret ; atque ,
 Abi sis , inquit , pessima ; tunc tam piæ , tam castam ,
 tam sanctam mulierem , falso audes probri atque dede-
 coris insimulare ? utinam ad illud exemplum omnes mu-
 lieres essent , ac tu quoque aliquid ex ea indole arripuis-
 ses . sed non est mirum : nam quotquot , tum viri , tum
 mulieres , præstantes sanctitate extiterunt , malevolo-
 rum calumniis obnoxiae fuerunt . aufer te hinc , neque
 mihi posthac cum istis mendaciis in conspectum prodi .
 Illa , tam minaci oratione , castigata , quievit , neque
 amplius mutire est ausa . **Quibus vero lacrimis , quibus**
querimoniis , quibus imprecationibus , quæ fuerat accu-
sata , se existimationi hominum vindicare studuerit , lon-
gum esset referre . Sed magnopere illi laborandum non
fuit . Ita enim , quæ erat de ipsius sanctitate opinio , alte
hærebatur , ut non ita facile posset evelli : ac vir religiosus ,
qui erat illi à confessionibus , plurimum eam dominæ
commendaverat , rogaveratque , ut amaret , diligeret ,
in oculis ferret ; nam vix posse alteram ejus noræ mu-
lierem reperiri . Verum res accidit , quæ corniculum ocul-
los confixit , sive potius glaucoma ob oculos dominæ
objectum discussit . Nam cum illi munuscula essent allata , &
in eis testudo contineretur , sumsit eam in ma-
nus , atque , ut est muliebre ingenium mite atque huma-
nun , retinuit eam occidi , sed asservari incolunem jussit .
post aliquot dies , cum cœnata iret cubitum , ac jam ve-
stem exuisset , neque , præter subuculam , corpori fere
quidquam hæreret , incredibili quadam cupiditate , ca-
litus sibi , ut ajebat , immissa , ejus testudinis inspicien-
dæ exarsit ; ac cubiculariæ , in cuius illa conclavi verfa-
batur , Eamus , inquit , viñum , quid agat testudo . cui
illa ,

illa, Quid credis? respondit; in aliquo angulo dormit,
 quin, amabo, te lecto commendas? ibi tibi erit rectius.
 non tu scis, quantum tibi, pene nudæ, tute facias malis?
 aër, aliquanto frigidior solito, acrius mordet. quam
 sepe, minori de causa, uteri doloribus, vel torminibus,
 vel pleuritidie, correptus est quispiam! Nihil agis, in-
 quid illa; certum est aspicere; eamus. Tum cubicularia,
 inter sacrum saxumque stare se novit, nec habebat quid
 faceret. sed coacta, præoccupavit ire, & cubiculum prior
 ingressa, paginas, quas in mensa habebat, cubito deje-
 cit in terram: sed non ita caute atque celeriter, ut om-
 nia notantem & animadvententem dominam falleret.
 Quæ, suspicione offensa, Quidnam, inquit, illæ sibi char-
 tæ volunt, de quibus me celatam esse vis? Recte, ait il-
 la; tantum preces quasdam continent, quas, ad peten-
 dam castitatem, animi demissionem, atque patientiam,
 recitare, cum eo cubitum, soleo: nihil tibi opus est
 iis, quæ tantos in iis virtutibus profectus fecisti, ut
 possis esse ceteris exemplo. At possunt mihi quoque esse
 usui, excepit domina; ostende. ac recusanti illi è ma-
 nibus eripuit. Quas cum legeret, nullas ibi preces de-
 scriptas invenit, sed remedia quædam indicata, adver-
 sus nocturnos earum metus, quæ solæ cubitant. Erant
 enim litteræ, mulieri ab amatorculo data, atque ad con-
 ciliandum ejus sibi amorem, ut sit, misere scriptæ.
 quarum postremæ significabant, se ea nocte, ex condicto,
 venturum; proinde daret operam, quemadmodum pol-
 licita esset, ut posticuli ostium ita esset aptum atque
 compositum, ut, quovis levi istu impulsu, aperiretut.
 Quæ res nobilem illam fœminam tanta formidine hor-
 roreque complevit, quantum maximum capere potuit.
 Nam ex eo posticulo per cochlidem scalam in ipsius pe-
 ne cubiculum perveniebatur. Ac sine mora, grallatorio,
 non cochleaceo per cochlidies illas scalas gradu, cum
 una ex familiaribus se demisit ad ostium posticuli, ut
 inspiceret, num aliqua esset illi facta injuria, atque illud
 invenit, sera excussa, pessulisque remotis, cuivis, qui
 digitum eidem admovisset, pervium fore. Tum vero,
 supra quam dici potest, expavit. Nam videbat, quod
 si impurus ille, quod conatus fuerat, perfecisset, se nou-

potuisse effugere sermones iniquorum. **Q**uis enim, qui de media illum nocte posticolo ædium illarum ingredientem egrediente inque conspexisset, non esset suspicatus, tantum illud flagitium ad ipsam, non ad aliquam aliam pertinere, quæ florenti adhuc ætate, ac forma esset in primis egregia; præterea, liberum eidem futurum, muliere adjutrice, suum in cubiculum penetrare, ac rebus omnibus preciosis convasatis, locupletiorem, quam venerat, se foras efferre? **Q**uamobrem ingentes Deo gratias egit, quod illam sibi intempestivam testudinis videntæ cupiditatem immisisset, qua imminentem sibi famæ, vitæ, ac fortunarum periculum suo à capite avertisset.

VRAN. Profecto, verum est, quod dicitur, neque equitem neque peditem quenquam tanta esse audacia, qui æque faciat confidenter quidquam, quam quæ mulieres faciunt, neque cuiquam dubium esse debet, quin ille audax, si sistere se mulieri potuisset, à qua amatorii epistolis, tanquam libellis venereis, citabatur ut adesset, turbam aliquam dedisset, hoc est, nobilissimæ præstantissimæque illi foeminæ magnam aliquam, in existimatione vel in re familiari, plagam infixisset. Sed quam parvæ saepè res magnum in utrunque partem momentum habent, vel ad utilitatem aliquam, vel ad datum! **Q**uis unquam cogitasset, ob testudinem, nihil bestiam, tantum nobilissimæ mulieri bonum evenire posse, ut se, rem, famam, & existimationem suam, hominis impurissimi conatibus eriperet? Sed date mihi hanc veniam, ut aliud mulieris alterius audacissimæ factus vobis exponam, quo maritum illusit: de quo, cum essem in agro Tiburtino, de iis audivi, qui ipsi prope vidissent.

FOSSIUS. De eo tibi dari veniam postulas, de quo æquum est nos tibi gratias agere? Narra, obsecro; nihil à te nobis gratius potest accidere.

VRAN. Rusticani homines, in pagis, cœnationes, in quas ab ostio statim ingrediuntur, cellas appellant: ibi dolia, vasæ, frumenti saccos, ligones, bipalia, atque alia id genus, condunt. In quodam igitur pago, Tiburtinæ urbi finitimo, superioribus annis rusticani cuius-

cujusdam uxor , mulier satis scita atque venusta, ex pro-sapiâ Cornificiorum , fere quotidie , dum vir suus rus-ibat in opus , amatorem suum in celâm ædium suarum excipiebat , ut , dum maritus fundum alienum arat , & incultum familiarem deserit , opus faceret. Verum , die quodam , dum mulier solito diutius in opere eum deti-net , ex improviso vir adest , atque ostium pulsat. Illa , nihil exterrita , jubet eum , quoddam post dolium , ostio proximum , se occultare ; ut , simul ac occasio se dede-rit , abeat foras. Tum accurrit , ostium aperit , hilaris ac festiva viro fit obviam , ac , Vin' tu , inquit , scire lepidum facinus , quo Trinia (id erat uxori rusticani alterius no-men) viro suo os pulchre sublevit? nam , si noris , cachin-nos continere non poteris . mihi quidem ludos maximos dedit. Dum vir ejus se domum ab opere recipit , nihil proprius est factum , quam ut eam cum amatore suo in cella ludentem deprehenderet. at illa , cui fallaciarum plenum est pectus , in dolos insistens , veste ab au-teriori parte , sursum elata , itidem ut ego tibi nunc fa-cio , viro caput obnubuit , ac mœcho exeundi viam aperuit.

E R Y T H R. O mulierem confidentem ac subdolam ! Nempe , dum viro vestem ob oculos objicit , quo totam illam fictam à se fabulam melius repræsentaret , ama-tori , quem post dolium occultaverat , quemadmodum abiret , ac vasa salva referret , ostendit.

V R A N. Rem tenes. Illud vero ridiculum , quod ma-ritus , postquam caput è veste expedivit , iratus illi , qui uxoris dolis se capi sivisset ; O fungum , inquit , & bar-dum , vel asinum potius , quam virum ; qui se à fœmel-la ludibrio haberi non sensit . bene sit Trinia ; ac nihil ab ea rectius factum esse ajo ; ita tractandi sunt ab uxori-bus viri isti , qui non plus sapiunt , quam sus occisa : mihi quidam illa , verba non dedisset ; nam sex totis horis prius id olfecisse , quam illuc adirem. Certe , respon-dit mulier ; nam tu plus naso vides , quam ille vir o-culis.

F O S S I U S. Lepida sane atque jucunda narratio , sed aliquanto brevior , quam aures nostræ requirent ; quæ multo longiorem à te orationem expectabant . Multa

audisti , multa etiam tu ipse vidisti , notatu digna . Exe-
cute igitur memoriam tuam , atque ex ea aliquid in me-
dium profer , quæ nos percepisse delectet . Sed disceda-
mus aliquando à malitiis fallaciisque mulierum . quod si
omnia , quæ audivimus , proferre velimus , non modo
hodiernum hunc diem , verum etiam totum hunc an-
num , nihil agamus .

V R A N . In præsentia , venit mihi in mentem festivis-
simæ cujusdam altercationis , cui ipsem interfui , inter
judicem quendam rerum capitalium , ex cohorte Præ-
toris , hominem sævum & iracundum , & chirurgum
Neapolitanum , ridiculum item hominem , & gloria-
rum plenissimum ; qui ob egregiam artem evocatus , at-
que adeo attractus fuerat Romanum , à foemina quadam ,
genere , opibus , affinitate atque divitiis hujus civitatis
facile prima . Hic , quo celerius dominæ imperiis præsto
esset , ædes in via longa conduxerat , judici , de quo dixi-
mus , annexas , magnitudine , fenestrarum ordine , forma
adeo illis similes , ac prope gemellas , ut ne medicus qui-
dem ac judex internosse possent , qui in eis habitabant:
nam uterque sapissime , astiorum similitudine decep-
tus , cum se introire putaret in domum suam , ædes alte-
rius ingrediebatur . Verum chirurgi ædium fores , non
solum sera , verum etiam pessulo intus cludebantur ;
qui pessulus funiculum habebat adnexum ; quem ille ,
cum foras in opus egrediebatur , tenuerat per foramen emit-
tebat , ut posset pessulum sursum attrahere ; atque funi-
culum , cum erat domi , intus revocabat , ne quis , se in-
vito vel inscio , intro pedem inferret . Verum , die quo-
dam , cum magnopere à quibusdam evocaretur , ut crux
fractum cuiquam obligaret , præ festinatione , ne illis
esset in mora , oblitus est funiculum è foramine foras
extrahere . quamobrem ab opere reveniens , omnes sibi
ad ingrediendum aditus præclusos offendit . & , cum pla-
ne essent ineptiæ , quidquam experiri placuit , id sibi optimum
esse factu , quod cuivis venisset in mentem , nimi-
rum aliquem per fenestras in domum immittere , qui ,
elato pessulo , ostium aperiret ; ac nulla interposita mora ,
bajulum , popularem suum , cum scalis evocavit : sed
dum à prætereunte quodam seducitur , ac de vulnerato ,
cujus

cnius ille curationi præterat , diligentem interrogatur , bajulus parieti scalas admovit , ac , deceptus similitudine fenestrarum , in domum judicis intrat ; ac loci ignoratione pererrans , in cubiculum venit : ubi iudex accusans amicæ operam dabat . Iudex manifesto deprehensus , supra quam dici potest , excanduit , ac lictorum partes agens , Siste te , ait , cohorti Prætoris . Bajulus , auditio cohortis nomine , terga vertere , fugam arripere , ac formidine cæcus , præcipiti per scalas lapsu devolvi ; unde , totis membris contusus committigatusque , per ostium domus se in viam ejecit , &c , quantum potest , in pedes protinus dedit . At iudex , ubi bajulum evolasse videt , ad fenestram accurrit , ac scalas parieti hærentes , &c chirurgum in via stantem aspergit ; à quo , pro certo creditit , speculatorum illum immissum , qui se cum amica cubantem opprimeret , & concubinatus reum efficeret . Tum , clamore sublato , Speculator , seu sur potius , ait , an nescis , me esse judicem , &c , quidquid est lictorum delatorumque habere in potestate ? quid tibi curæ est , quid agam , quam amem , qua cum cubitem ? profecto à me tibi rem malam arcessisti , jumento , ut dicitur , tuo . Chirurgus admirans , Sanusne , inquit , es , qui mihi imme- renti convicium facis ? quam tu mihi amicam , quos delatores , quos lictores nominas ? ut Deus superique omnes , te , amicam tuam , delatores , ac totam cohortem prætoriam , perdant . Ego te , ait iudex , si vivo , capit is perdam ; tunc impune tibi licere arbitraris , meridie ipso , per fenestras , in domum meam immittere , qui eam expilent ? At ego , subdit chirurgus , tibi animam adimam , qui non recte aedes in me dicere , eo quod introire jusserim , qui mihi ostium aperiret . Tot ego , inquit iudex , excruciantos necandoque ad carnificem dedi , quot mihi pili mento ac malis inhærent . At ego , subjecit chirurgus , plures , mea manu obtruncatos , in soporem collocavi , quam annus dies atque horas habet . Sed postquam multum velitati sunt inter se , iudex puerum vocat , atque , Puer , inquit , quære lictorum ducem , ut tecum simul una cum lictoribus veniat ad me ; ita rem mihi esse dicio . Chirurgus id agi intelligens , ut vincitus in carcerem raperetur , in ædes nobilissimæ illius mulie-

mulieris, quæ suas operas conduxerat, tanquam in aram confugit, cuius mulieris nec auctoritate nec gratia commotus est judex, ut induceret animum, credere, nihil dolo vel fraude fuisse commissum, sed per errorem factum, ut bajulus ille se in ædes ipsius demitteret. At ubi chirurgus videt, rem vorti in suo foro, ibique cum acerrimo sævissimoque hoste, iniquo tempore ac loco, rem esse, quantum potest, Roma relicta, aliam persecutus est urbem.

E R Y T H R. Iudicem ego istum probe novi, qui, nisi me oculi fallunt, (quod fieri potest, nam, ut scitis, propicio parum,) mihi visus est, ore ac pancratica totius corporis habitudine, non nihil Candidum referre; quamvis hic Nicolaus, rusticitate aque adeo horriditate vultus, judicem illum longissimo intervallo antecedat: nam ita est rudis, ita horridus, ita invenustus, ut si esset unoculus, Polyphemi potius, vel alterius cuiuspiam monstri, similis, quam hominis, videatur.

F O S S I U S. Quis istic Candidus est?

E R Y T H R. Ille, cum hirquina barba, qui se quotidie in domum Lepidi, nobilis viri, tanquam ad præsepe suum, recipit.

F O S S I U S. Cum Lepido aliqua mihi familiaritas intercedit, nam partem mearum ædium à me conductam habuit, at istum Candidum nunquam, quod sciam, me vidisse memini.

E R Y T H R. O si simul illum aspiceres! risum non contineres, at si barbara illa, neque Itala, neque Batava, neque alterius cuiusvis nationis, lingua loquentem eum intelligeres, tum vero cachinnos majores efferres. Quid dicam de hominis ingluvie? adeo escæ est magna, ut in prandiis, vel cœnis, octo hominum munus recte fungatur; adeo multibibus, ac merobibus, ut anni unius vindemia, si ejus facultas detur, non satis sit soli. Hic igitur rusticanus homo, rudis, pene ex ultimis terræ partibus, sine ingenio, sine eloquentia, sine arte, homines omnium mortalium callidissimos atque vafermos visitat, atque in eo, quod pepigissent, fidem servare coegerit. Qui semel ingressus est mare, continuo expertus didicit, quanta sit eorum pravitas, avaritia, fraus, qui sibi

lo remigibus moderantur; hos vulgo comites vocant; nam vectoribus tantisper blandiuntur, dum eos in triremis una cum rebus suis inducunt. etenim rogati, quid pro vectura sibi dari postulent, rem omnem in vectorum arbitrium rejiciunt, ac, Date, inquiunt, quod vultis; tria verba non commutabitis. sed, completa navigatione, continuo, tanquam Circæo aliquo poculo, ex hominibus in lupos, vel rapaces ejusmodi bestias, conversos eos aspicias: nam ter tanto ab iis per summam fraudem exprimunt, quam inter ipsos antea convene- rat; ac, si possunt eos inducere, ut eadem cum ipsis menfa utantur, tum eos auro ad cutem usque detondent. Hos igitur tam cupidos, tam inhumanos, tam fœdfragos homines, Candidus iste, quem supra defor- mavimus, ludificatus est dignis modis. Hic cum Ianua Romam iter haberet, obtinuit, ut ea triremi tolleretur, quam illustris vir Ianuensis à Rep. impetraverat. Itaque tribus aureis nummis cum ejus magistro sociisque deci- dere conatus est, ut se suaque ad Centumcellas salva de- ferret. Illi monstrum illud hominis intueri, inter se ad- spicere, in aurem colloqui, atque idoneum eum existi- mare, quem auro omni prorsus emungerent. At homo, vitio suæ nationis suspiciosissimus, sensit, se irrideri ab illis, idque ex compacto agi, ut ludos ipsum facerent, immo intestina quoque omnia è crumenâ sibi revel- lerent. Quamobrem acutior factus ad cavendum, rationem habere secum cœpit, non modo, quemadmo- dum se tutum ab eorum infidiis præstaret; verum etiam, quem dolum dolis illorum contra compararet. Excep- tus est igitur ad eam navigationem: quæ sex vel septem abstulit dies: nam vir iste nobilis, quo uxori diutius vo- lupe esset, multa loca amœna ac voluptuosa obierat. Atque in ea navigatione, tum mane, tum vesperi, apud magistri mensam uberem ac plenam, suo arbitratu & assatim ventrem implevit: existimans, tribus illis num- mis aureis & vecturam & victum pollucibilem ac lau- tum sibi deberi; illumque quadam quasi furti religione se obstringere, si ipsi minus multis obsoniis mensam in- strueret. ac, ne minus absumeret, quam in sumptus præ- buisset, quidquid unctius vel lautijs apponebatur, avi- de

de abstrahebat in ventrem: vinumque exoticum, ac delicatius ceteris, in se avariter ingurgitabat. Sed ubi tandem ad Centumcellas ventum est, Candidus, ægre frens, quod eo die, ob dolorem dentium, à mensa, ut consueverat, saturitate ebrius non exisset, ad magistrum tri-stis accedit, atque, En accipe à me tres nummos aureos, ut inter nos convenit, ac jubelis dari mihi res meas. Magister, causatus negotia, quibus tum premebatur, jubet eum ad illum ire, qui vicariam sibi operam daret. Nicanor obtemperat; it, suas res poscit, aurum præbet. Ille, iracundia elatus, Ludis nos? inquit: quibuscum tibi rem esse credis? profecto insanis. nam ne viginti quidem aureis nummis potes nobis satisfacere. etenim, quod singulis prandiis obsonii vorasti, quod vini hausisti, sensis nummis aureis emi non potest. vix obsonium aliquod veniebat in medium, cum tibi evolabat in ventrem: vix cenophorum, vini plenum, inferebatur in mensam, cum illud in ventrem, immo in cloacam potius, in profundum, in barathrum, infundebas. mare videbaris, quod omnes fluvios excipit. ac fuit, cum male metui, ne quasi lupus esuriens in me faceres impetum. ut Deus te perdat & ventrem tuum. At Candidus: Vos, ait, mihi insanire videmini, qui ab jure, ab æquitate, à more majorum disceditis. nonne tribus nummis aureis pacti estis, ut me meaque, ad Centumcellas delata habeatis: solvite in eo, quod pepigistis, si-dem. Ille, Abi sis hinc, ac, si ebrius es, inquit, crapulam edorini, ac redi. Tum Candidus, commotus, clamore sublato, Quin aurum, ait, accipitis? quin meas mihi res redditis? mox ego ulciscar vos probe. Atque, ipsis videntibus, ad virum illum nobilem se contulit, qui in puppi cum uxore sedebat: quem, quia sapius cum eo fabularus fuerat, vel de pedestribus ejus itineribus, quibus omnes fere perlustraverat urbes, vel de navigationibus, quibus, quasi mare, omnes insulas circuerat, aliqua sibi familiaritate adjunctum habebat. Venit igitur ad eum, ac ne verbum quidem fecit, vel de magistri improbitate, vel de rebus suis recuperandis. tantum pluribus illi verbis gratias egit, quod, honoris ipsius gratia, exceptus fuisset in ea triremi. Ille, ut sit, honorificis eum verbis

bis excepit, & paululum extra puppim prosecutus est abenatem. Tum Candidus, severo vultu in magistrum ac socios intuens, Daturine estis, inquit, res meas actum mihi, an non? si non datis, verbum amplius non addo. Illi, qui eum viderant tanto in honore apud Crimaldum esse, veriti, si negarent reddere, vel cum eo litigarent, ne illos etiam tres aureos numinos, quos accipserent, renumerare cogerentur, atque ille immunis abire permetteretur; dicto citius suas ipsi res afferri ac tradi jusserunt.

FOSSIUS. Non potuit facere elegantius quidquam rusticanus homo, & imperitus ac rufis, quam ea simulatione eum improbis illis metum injicere, ne contra jus fasque plures ab eo, quam pactum esset, exigenter. Atque haec simulandi ratio pluribus saepe profuit, vel ad magnum aliquod damnum evitandum, vel ad utilitatem percipiendam, vel ad amissam potentioris cuiuspiam gratiam recuperandam. Quo artificio, paucis ante annis, adolescentis quidam rediit in gratiam cum eo, a quo plus oculis suis diligebatur, sed, ob nescio quas offensiones, eundem sibi vehementer iratum ac prope inimicum esse sentiebat.

E R Y T H R. Hac oratione tibi vim ac necessitatem imposuisti, nobis explicandi, quoniam fuerit gensis simulationis, quo ille se in veterem amici gratiam amoremque restituit.

FOSSIUS. Quoniam me deprehensem video, non defugiam auctoritatem, sed geram vobis, ut potero, morem. I. C. quidam, annos natus ferme septuaginta, cui erat domi uxor decrepita; ob singularem jurisprudentiam, rerum usum, atque omnium fere bonarum artium scientiam, eo est apud omnes in honore & gratia, ut populi columen, bonorum praesidium, ornamentum ac decus Reipub. existimetur, ac dignus, qui ad summum honorum culmen ascendat. Hic domi suæ adolescentem alebat, propterea ut iis eum artibus perficeret, quibus ipse præstabat, ac pro se Iurisconsultum alterum civitati substitueret; in quo diligendo, patriam sibi caritatem constituerat, nec, quamvis jam ex ephebis excessisset, minus adolescentem amabat, sed magis

gis se adigi sentiebat, ut illum diligeret; adeo amoris Platonici legibus obtemperabat. Sed nullus est tantus amor, cui non interdum calamitas aliqua interveniat. Nam, die quodam, nescio quid illi velitati sunt inter se, atque adeo iracundia progressus est senex, ut illum omnino segregatum a se habere, omnemque de illo solitudinem ac benevolentiam ejicere, in animo fixum ac deliberatum haberet. Cujus dissidium cum adolescentis ferre non posset, lethalem ex ægritudine morbum se contraxisse assimulavit; & tanquam depositus, ac pene clamatus, in lecto decumbens clamabat; Vocate tabulationem, ut veniat ad me, nam volo testamentum facere, ac bona mea, cognatis dicere, interpartiant, corpus autem meum jubere, ut humi, unde communis est origo, mandetur. Arcessitur medicus; qui advolat; neque aves, neque venti citius quem priusquam ad ægrum servi introducerent, misericors ille I. C. qui omnem suo ab animo de illo amorem ejecerat, seductum oravit, ut magna illum cum cura curaret, neque quidquam prætermitteret, quod ad eam ægritudinem levandam pertinere arbitraretur; sibi enim fixum ac deliberatum esse, ad ægrum omnino non accedere, de quo jam omnem patris animum ejecisset: atque, Vtrum, ait, convalescat vel pereat, nauci non facio: mea quidem causa millies, si sit opus, intereat. Medicus, ægrotantis cubiculum intrat, ad lectum accedit, ægrotum salvere jubar, quid morbi sit rogat, brachium apprehendit, pulsus tentat, neque ex eo, quamvis paululum perturbato atque commoto, illum periculum subesse, intelligit: proinde bono eum esse animo jubar: nam fore, ut mox omnis etiam morbi suspicio abscederet. Ille non audire, oculos contorquere, cadaveris cuiusdam instar se componere, ad ultimum ventum esse, seque jam mortis faucibus abripi dicere, ac, perinde jam efflaturnus animam esset, intermortuis vocibus, I. C. sui nomen identidem usurpare. Medicus mirari, neque satis intelligere, unde tanta vis morbi prodiret: verum, ægrotantis oratione commotus, qui sibi salutem exulatum abiisse querebatur, I. C. adit, quo loco adolescentis res sint, narrat, se quidem nullas in eo adversæ valetudinis notas,

tas, nedum propinquæ mortis signa, pernoscere: verum quia fieret, ut sine morbo decederet, accurreret, ac bonis omnibus, exeuntem è vita, prosequeretur. Ac post multas preces, immisericos ille, tanquam per vim, attractus est illuc, ubi adolescens orco se destinaverat. Quem simulac ejus oculi morientem acceperunt, continuo ex pumiceis facti sunt largiflui, ac vim lacrimarum dederunt; &, tanquam pectoris gelu, ad aspectum adolescentis, velut ad solis radios solutum, in eas lacrimas isset, magna oris animique tranquillitas serenitasque successit; ac, Pax tibi, inquit, ô fili: eademque opera ori ejusdem osculum fixit. Vxor aspicere, stomachari, in fermento esse. Res mira: qui biduum cibo abstinerat, qui præceps ruebat ad mortem, qui animam agebat, ad illud pacis osculum oculos aperuit, cibum poposcit, ac, receptis viribus, recuperataque valetudine, sese incolumem è lecto ejecit. Medicus obstupefcere, calliditatem adolescentis admirari, male celatum I. C. amorem ridere, neque, eo die, modi aliquid ac finis ridendi facere posse.

V R A N. Omnino amor celari non potest: proinde flammæ similis perhibetur: nunquam enimflammam ita conclusam, ita constrictam, ita reconditam habeas, quin ea aliquando sua luce se prodat. Qui tamen amor non reprehenditur, si honesti fines non transeat. Nam bonum est, ut ait ille, pauxillulum amare sane; insane, non bonum est. Neque dubitandum est de tam religioso viro, quem ego, et si Fossius nomen reticuit, tanquam vos novi, ac rem totam de medico, qui curationi adolescentis interfuit, audivi: non est inquam dubitandum, quin ille, ex rationis præscripto amaverit, cum semper optimis viris deditus fuerit, omnesque religiosorum ordinum familias, atque eam in primis, quæ ceteris arctioris vitæ disciplina contineatur, summo sempér studio, benevolentia, atque etiam benignitate, complexus sit.

E R Y T H R. Injecta de Religiosorum ordinibus mentione revocavit mihi in memoriam ridiculum quoddam factum, quo quidam cœnobii cuiusdam fratres, alterius familiæ fratribus, bonum sane prandium incerperunt.

D

Quod,

Quod, quia ad auscultandum, ut video, vestra est benignitas, mihi ad enarrandum est comitas: neque inepte expectabo, dum mihi supplicetis, quasi non multo malum ego narrare hoc vobis, quam vos, qui datis operam, scire. Est quædam hominum familia, quæ, ut omnes vos arbitror scire, eo jure est, iis legibus temperatur ac regitur, ut tota à divina providentia dependeat. Itaque nec penum ornat, nec implet frumento granaria, nec cellam vinariam instruit, sed emendicato colligit, quod fratribus in unum diem sit satis: verum hominum misericordia sit, ut nihil habentibus nihil desit: sed beatus videtur, qui plura illis ad victum necessaria congerat; quibus non solum ipsi se alunt, verum etiam pauperum multorum inopiam sustentant: interdum etiam accidit, ut præstantes pietate, tunc viri tum mulieres, eos curent nitiduscule, ac mittant in macellum, qui pisces præstinent, vervecinam ac vitulinam carnem coëmant, sanguineos panes procurent, pretiosum ex cenopoliis vinum eligant, ut opiparum illis prandium ornent, ac meritum eorum gutturi gaudium præbeant. In agro igitur oppidi Italæ cujusdam celebris & clari, cenobium ac templum est fratrū istorum, magna præditum religione, illuc manipulatim, missi à locupletibus ac religiosis viris, munigeruli confluunt, quæque sint fratribus usui, præbent. In iis, quibus isti oculi sunt, matrona quædam in primis nobilis ac dives numeratur. Hæc, die suo natali, mittit illis, qui dicat, ne quid eo die in prandium colligant, neque in culina ignem accendant: nam se contum daturam affatim, quod edant, ac vinum missuram, quod in fæse, non cyathis, non cantharis, sed heminis, sed sextariis invergant. Illi, hoc nuncio mirabiliter recreati, domo pedem non efferunt, nihil querunt, immo, quod est allatum, repudiant; ex ipsorum instituto familiæ, quod eos vetat, eduliorum plus accipere, quam quantum ipsis eo die sit satis. itaque omnem prandii cogitationem atque provinciam in mulierem illam rejicinnt, Deoque gratias agunt, quod eo die unctius ipsis prandium parandum deferendumque curasset. Sed expectantibus fratribus, dum ad mensam plenam rostrum afferant, jam inanitate, intestina omnia crepabant: ac sapius

Sæpius ab ostio, à turri campanaria, ab omnibus locis,
 unde liber erat prospectus usque in ultimum agrum,
 speculantur, num quis suffarinatus cum prandio pro-
 peret, atque ipsis animum, vel ventrem potius, expleat:
 sed ne minem vident. Verum, cum prandii hora non mo-
 do advenisset, verum etiam præteriisset, neque quisquam
 appareret, tum demum se ludos esse factos intellexe-
 runt: ac nescio quid frustulorum panis atri ac sicci,
 quod muribus superfuerat, ægre invenerunt, eoque,
 ex jure hesterno, ac paucis quibusdam oleribus, ab
 horto quæfatis, famem, qua pene conficiebantur, ejic-
 iunt. A prandio non dimittunt tempus, sed plures
 per oppidum mittunt, qui panem & obsonii aliquid
 in cœnam cogant. quorum unus cum ad ostium ejus
 mulieris, quæ prandium pollicita erat, devenisset,
 quæfissetque illa, quænam tanta eos necessitas cogeret,
 eo diei tempore victimum emendicare, num fortasse ma-
 gnus aliquis suorum fratum numerus supervenisset,
 quibus cœna opus esset: ibi ille, Nullus inquit, nos hos-
 pes, præter famem, oppressit; quam tu immisisti; cuī
 maximæ voluptati fuit, nos immerentes Indibrio habe-
 re. Tum illa commota, Nonne, ait, bonum vobis pran-
 dium deferendum anteponendumque curavi? In somni-
 is, fieri potest, ait ille, vel sub linteo, ut est in prover-
 bio, ut tu istud nobis prandium, quod prædicas, coxe-
 ris: nam nemo nostrum ex eo, ne bolo quidem uno, fa-
 ctus est plenior. Redigis tu me, ait illa, ad infaniam: ego
 scio, quod lepide à me vobis obsonatum est, atque ex
 animi mei sententia, quid enim mihi lucri sit, mentiri, at-
 que vos fallere? Sed adest, qui hoc planum facere pos-
 sit. evocatoque servo illo, cui prandium deferendum
 dederat, rogat illum, quid eo sit factum, quo ve delat-
 dum. Respondet, quibus ipsa jussicerat, fratribus fuisse re-
 licium. Erras, inquit frater; nam, si quid delatum fui-
 set, mihi datum oportuit, qui sunt eorum, quæ mun-
 eri dantur, condus primus, qui que ex eis convivium
 fratribus paro. Ego, ait servus, si sis condus, vel pro-
 mus, vel atriensis, nescio; neque te antehac oculis con-
 spexi meis; verum, ut hinc discessi, montem versus iter
 arripio, ac cœnobinum ad lævam aspicio, & ante ostium

fraterculos aliquot ; qui rogant me , quo eam , quid agam , quid feram. respondeo , me religiosis fratribus prandium afferre. At tu , inquiunt , compendii viam fac ; nos sumus ; neque alii in his regionibus habitant. confisto , inspicio; atque , Fratribus , inquam , quos quæro , cuculli longius excurrunt , atque in acumen tenuius excunt. Sarcinatōris , ajunt , id factum est culpa , qui id , quod cucullis dandum erat , surripuit ; ideo tibi acuminis minus habere videmur. tum ego subjicio , Ut vobis ita esse credam de cucullis , quid dicitis de vestibus , quas illi cinericias habent , vos vero pene atris utimini ? Adeone hoc tibi magnum videtur ? excipiunt ; modo Pater noster Generalis est mortuus , ac nos , ejus honoris gratia , cinericias vestes deposuimus , atrasque suscepimus ; sed non ita multos post dies ad cinericias revertemur. His ego rationibus victus , prandium relinquo , atque abeo ; abeundi omnes uno ore imperant , ut multam tibi salutem suis verbis dicam ; se quidem Deum ac D. Franciscum rogatueros , ut perpetues data , nec vetula fias. Ac tandem matrona intellexit , locorum atque hominum ignoratione , ab alterius cœnobii fratribus fungo illi ac bardo data esse verba : & quoniam prandium illud pauperum usibus cesserat , iram , cuius alioqui potens non erat , continuit , fratrem illum bono esse animo iussit , ac donatum à se dimisit : verum postridie , prandium illis alterum , superiore laetius , misit , ac rediit cum iis in gratiam.

V R A N. Non est mirandum , si in iis , quæ ad dominæ mandata pertinebant , famulus ille sibi verba dari sit passus. Nam genus istud hominum , alienis in rebus , non plus sapientiae habere invenitur quam lapis ; in suis autem acuti ac perspicaces , docti cuiusvis hominis sagacitatem & acumen exsuperant . nam , si mandata alterius cuiquam deferenda sint , vel bene quid aut fideliter faciendum , continuo obliviousi fiunt ; si autem suum sibi negocium agendum , nimirum ratiuncula subducenda , quantum sibi æris debeatur ab eo , qui ipsorum operas conduxit , aut quid maliciose ac nequiter perpetrandum , memoria Themistoclem , vel Simonidem potius , qui primus artem memoriarum protulisse traditur , superant .
Expo-

Expositum est à me antea, quemadmodum Hispanus ille, quamvis ex ea natione, quæ callidissima & astutissima existimatur, & ante ipsum aliquot, nobilitate, ingenio, & sagacitate, civitatis longe primi, Gallo homini se deridendos emungendosque præbuerint. At homo rudis, infimæ fortis, atque ex eo servulorum genere, quos parafrenarios appellant, monstro quodam sibi objecto, non continuo Dæmonem illud esse credidit, sed potius nugatoris, præstigiatoris, sycophantæ, ac furis nominibus exornandum existimavit. quain rem vobis enarrabo, si causa est cur audiatis, ac non potius, audiendi fastidio defatigati, surgendum atque abeundum censeris.

Fossius. Nunquam, te dicente, fastidio aut saetate corripi possumus; immo ex suavitate elegantiae sermonis tui fiet, ut summam capiamus voluptatem: quemadmodum, tua videntes, ob eorum venustatem & artificium, satiari explerique non possunt, sed nihil eorum mihi contigit aspicere, præter unum parvum æs pictum, in quo inerat pictura hæc, quo pacto senes duos ajunt, limis oculis. Susannam ex occulto adspexisse, dum illa, veste deposita, adornat ut laveret; ac sarcinum in æde Vaticana, ubi Christus à Ioanne Iordanis aquis abluitur. de qua pictura, elegans epigramma scriptum legi: quod quia, ob ejus venustatem nitoremque, mihi vilum est dignum, quod ediscerem, recitabo.

Demittens oculos, supera de sede, Ioannes,

Vaticana polo proxima templa videt,

Artificum miris intus variata figuris,

Quos inter clara Calius arte micat.

Sed rutilas auro celsaque ex ære columnas

Dum stupet, & pictis heret imaginibus;

Cernit se, vitreas liquidi Iordanis ad undas,

Innocuum Christo spargere rore caput.

Miratusque suos picta sub imagine vultus,

Ecquis, ait, pictor protinus astra subit?

Quis mea respexit finxitque coloribus ora?

Cui Calum vivo tangere posse datur?

Post, ubi plena tuum sonuerint atria nomen,

Quodque operis summi Calius auctor erat:

*Ecquid miror, ait, solus si promere Calo
Calicolum formas Calius ipse potest?*

V R A N. Susannam, quam dicis, in ædibus Nicii, hominis summa mihi familiaritate usque conjuncti, tibi fas fuit aspicere; quod ego illi æs pictum, tanquam exiguum quoddam amoris in ipsum mei pignus muneri misi. Quod ad alteram illam tabulam attinet, in æde Vaticana, multis à me vigiliis atque laboribus ad summum pene perfectam, quid futurum sit nescio; ita eam à non nullis oppugnari audio. sed epigrainmate illo, quod memoriter recitasti, amice ac magnifice me laudatum putto; modo sit illud amicissimi mihi hominis judicii non benevolentiae testimonium. Reliqua mea opera, quæ quidem meæ sint domi, tuo tibi arbitratu licebit, ubi com modum erit, aspicere; cui semper ædium mearum fores magis patebunt, quam domus tua. Sed, his omissis, me ad meum mutus pensumque revocabo. Parafrenarius igitur iste, de quo antea commemoravimus, habebat in matrimonio mulierem, non malam, quæ insignem fulionicam faciebat, multisque illustribus, tum viris tum scœminis, operam suam, magna cum fide, navabat. quare fiebat, ut multorum ad eam concursus existeret, qui vestem illi suam lineam crederent. In hanc jam diu fu res quidam, in primis astuti doctique, tragulam injicere adornabant: sed frustra. Nam illa nimis erat parata ad cavendum, nec, cum vestem lineam in sole exsiccam exponebat, quemquam proprius ad eam patiebatur accedere. At illis non erat propositum, unicam mulieri subuculam, vel linteum unum avertere, sed universam vestem lineam, quam una aut pluribus diebus exsiccas set eripere. sed nihil illis procedebat, ut diximus, ex sententia. Verum, dum regionem consilii aliquam querunt, tum eam se invenisse arbitrati sunt, si possent aliquem clam in domū mulieris intromittere, qui concubia ipsis nocte fores aperiret, tum facile suis consiliis exitum, quem optabant, eventurum. Itaque postridie, prima vice, cum illa insignem vestem lineam nobilissimæ cujusdam matronæ lavisset, exsiccaset, complicassetque; unus surum istorum, ceteris confidentior, humeris culcitat gerens, ad domum mulieris venit, ja nuam

nuam pulsat. Illa aperit, ac rogat, quid velit. Fur supplici ac demissa voce eam opere orat maximo, ut in aliquem domus ejus angulum culcitam illam se patiatur inferre; etenim, eo ipso die aedes ibi vicinæ conductas habuisse, sed, dum eo res suas asportat, se clavem esse oblitum afferre; proinde tantisper domi suæ custodiis inclusam eam habeat, dum revertatur; mox se adfuturum cum clavi, & culcitam suam ablaturum. Mulier cata, iis quæ ab eo dicebantur, fidem non habuit; sed metuens, ne culcita furto cuiquam esset ablata, ac, si quadruplicator aliquis indicium ad prætorem detulisset, tanquam furti conscientia poenas legibus daret, negavit, sibi licere, quidquam, absente atque inscio viro, domi recipere; ideo aliud culcitatæ suæ hospitium inveniret. At dum ille orat, instat, urget, ut id sibi beneficium tribuat sine suo suuntu, sine labore, neque se cum eo onere veterem in domum reverti patiatur, ut illuc rursus cum eo redeat; animadvertisit mulier, calceum unum virilem ex culcita foras prodire; ac metuens id quod erat, ne in ea culcita, tanquam in equo Trojano, Ulysses aliquis includeretur, qui hostibus portas aperiret, atque Ilium caperet; irata, Aufer te hinc ab aedibus, inquit, nisi vis clamores tollam, & viciniam totam adducam. Ille deprehensus, quantum potest, in pedes se dedit, ne malam rem quæsisse diceretur. At ille, ubi occisam hanc rem videt, ut furunculum illum in culcita, tanquam involvulum in pampini folio, intortum implicatumque ibi relinqueret qui fores aperiret; alia via tam munitum oppidum oppugnare aggreditur. Scitis, quam sit meticulosa res mulier, quæ vanis imaginibus, ac spectris in primis exterretur: quod si in prodigiosa ac fœda aliqua forma se Dæmonem vidiisse arbitretur, ita interdum horribili metu perfusa de statu mentis dejicitur, ut pro lymphata ac pro cerita adjuretur. Ergo nocte alia, cum vir mulieris, à coena, natatum ad Tiberim issent, totum sibi corpus atramento fumoque perfudit, Dæmonis personam, fœdo horribilique aspectu, à chorago conductam, ori apposuit, & in cloaca ibi proxima se occultavit; sperans, occasionem sibi aliquam oblatum iri, in mulieris domum irruimpendi. Nec spes eum fefellit. Nam cí-

citer horam noctis secundam , mulier siti æstuans , sumto in manus aqualī , fores aperuit , ut ex vicini puteo aquam hauriret . cui terrificum illud monstrum , ex cloaca , tanquam ex Orco , prodiens , ex improviso tetram suam faciem objecit , eaque animum formidine oppresit , ut aliquandiu tanquam stipes aut lapis obstupuerit , hæserit , ac nullam vocem emiserit . Interim ille , impetu facto , una cum sociis , quos in insidiis collocaverat , domum irrumpit . At illa , cum panlulum se ex metu collegisset , illinc abscedere , quantum potest aufigere , clamare , ac passis crinibus dicere ; Hei mihi , hei mihi ; nulla sum , perii , salus exultatum abiit ; domus mea bacchanal est Dæmonum . Querenti clamantique fit obviam maritus , qui , natandi consilium aspernatus , domum redibat : quærerit , quid clamet , quid metuat , quid fugiat . Illa , Mi vir , inquit , perivimus ; cave , dominum accedas , sed fuge illinc quantum potes ; Dæmon , Dæmon , exclusis nobis , eam obsidet ; eum ego hiscemet oculis vidi , guttam haud habeo sanguinis . At vir , longe quam Hispanus ille prudentior , statim existimavit , præstigiatorem aliquem , suam frustrari uxorem , quo è domo aliquid convasaret . atque , Age inquit , eamus ; nullus est mihi metus à Dænone . Sed , cum illa recusaret venire , ac pergeret se miseram dicere ; accidit , ut illac lictores iter facerent . consistunt , scire volunt , quid illic turbæ sit : nam plures ed venerant . Mulier , Nulla mihi in vobis auxiliī spes residet ; res est , non cum hominibus , sed cum infernis monstribus , cum Acheronte , cum Orco ; potius adducite aliquem cum aqua lustrali , cum stola , cum cruce , qui horribili forma Dæmonem abigat , prinsquam omnes nos raptos ad pallida Orci limina attrahat . At maritus , Furis aut sycophantæ alicujus , inquit , tam scio hanc esse technam , quam me vivere : quæso , occurramus prius , quam præda onustus fugam adornet . Hunc illuc eundi laborem compendii fac quæso , ait mulier ; etenim non alias majore adversus fures prædio munita fuit dominus mea , quam nunc est . velim quidem nunc veniant fures ; nam in terrorem , in fugam dati , aliquid potius de suo relinquunt , quam quidquam de nostra re auferant . sapientius feceris , si aliquem ad-

adduxeris, qui domum nostram vacuam ab his terroribus reddat. Lictores, ne, moram ducendo, prædam è manibus amitterent, viarum exitus occupant: maritus recta in domum irrumpit; cum jam Dæmon ille, una cum sociis, præda refertus ibat, non ut ad inferos penetraret, sed ut aliquo se in popinam vel in ganeum abderet. Ac primo conatus est, terroribus eum repellere: sed ille, interritus, Dæmonem illum, brachio arreptum, retinuit. accurrunt hoc spacio lictores, comprehendunt, vincunt. ac licebat videre, eum, qui alios solet, variis implicatos vinculis, ad inferos trahere, vinctum ipsum in carcerem rapi. Ne multa; quæstione habita, demum de confessu, suspendio sumtum est supplicium. Re palam facta, non irridicule omnes dictabant, nullas esse posthac insidias à Dæmone metuendas, cum suspicio vitam finisset.

F o s s i u s. Magnam sane hominis confidentiam narras. At ille alter longe confidentior; qui superioribus annis, lictorum duci, ipso præsente acidente, ahenum ingens eripuit. Erat illi in impluvio domus suæ, ad fullonicos credo usus, ahenum sane magnum, ut dixi. Ad id cum fur in primis doctus ac subdolus oculos adiecisset, die quodam domum illam audacter ingreditur, ac sine ullo metu abreptum ahenum sibi in humeros imposuit. sed cum vellet egredi, lictorum ducem, cum quatuor è suis in ostio stantem, offendit; ac nihil commotus, Date, inquit, viam, si vultis, & cavete ahenum, ne vobis pallium inficiat. Illi humaniter homini decedunt, ac faciunt exeundi potestateim. Non ita multo post lictorum duci venit in mentem, querere ab uxore, cuinam ahenum commodasset. Respondet illa, neminem à se illud utendum petuisse: sed, Cur id, ait, me rogas? Quia, inquit dux, modo exeuntem quendam ab ostio, aheno onustum, aspeximus; &c, quo magis stultitiam nostram admireris, nos ipsi obseciores ostii eramus, atque latam eidem ad exeundum viam aperuimus. Ac prium paululum elati sunt stomacho & iracundia; sed statim, ab ira ad hilaritatem risumque traduci, admirati sunt imperterritum hominis ingenium atque malitiam, qui manifesto deprehensus, neque lictorum, neque du-

cis eorum , aspectum formidasset ; Ac si mihi , dux inquit , tam facetus fur iste daretur , nou modo nullo eum damno multarem , sed insuper præmio afficerem ; nimis ille quidem est graphicus nugator ac lepidus.

E R Y T H R. Non minus fortasse , quam isthic , fuit astutus & callidus ille , qui , me puero , ahenum vetulæ cuidam surripuit. Hæc , dum fur quidam suspendio pœnas legibus daret , ahenum , quod modo emtum domum referebat , humi collocaverat , atque intentos ad spectaculum illud oculos habebat. **Q**uod furunculus quidam animadvertisens , furtim subduxit , seque eidem rectum , spectandi scilicet gratia , imposuit. Mulier paulo post , cum illud quæreret , nec inveniret , furum fraude dolisque sibi fuisse ablatum querebatur. Cui fur ille , qui sub pedibus illud habebat , **Q**uanto ego rectius aheno , inquit , meo consului ! nam , in illud infiliens , & furum manus effugi , & de loco superiore sterilem prospectum usque ad patibulum habui. **Q**uod si idem à te esset factum , non nunc de furum improbitate querereris. His auditis , infelix mulier non est ausa mutire ; ac tacita fortunas suas querens , ac mala omnia furibus ingenerens , quo gravidas manus attulerat , inde steriles retulit.

F O S S I U S. O lepidum furem , elegantem , acutum , ac disertum magis , quam fuit Catullianus ille Salicippius ! Sed non video , cui eorum , quos adhuc commoravimus , astutia & calliditate debeat cedere is , qui panceis ante annis , adolescentem nobilem candelabro atque emunctorio argenteo tetigit. Hic adolescens pulchellus , venustulus , cincinnatus , cæsariatus , ita elegans spectator formarum est , ut nemo unquam ; præterea ob formam , qua se præstare ceteris credit , omnes sectari se ultro mulieres prædicat. Cum igitur , die quodam celebri atque solemnî , publico in loco , mulierum formas contemplatur ; planus quidam ac sagax , cui Introcinia vita sunt , animadvertisit , matronam , genere ac forma præstantem . aliquanto in eum familiariter oculos conjecisse ; ac se domum celeriter recipit ; capit calatum propere & chartam ; chirographum matronæ simu-

simulat, quæ juveni litteras det, in quibus eum efflētū deperire se dicat; atque alia ejusmodi, quæ scribunt eæ, quæ misere amant; scriptas obsignat, & post horam primam noctis, tanquam à matrona interpres ac nuncius, ad pulchri illius ædes accurrit; ejus convenientiæ aditum petit, impetrat; tum illi in aurem dicit, se à matrona cum litteris ad eum venire, ab eaque sibi mandatum, hoc negocii clandestino ut ageret. Ille, prælætitia gestiens, in interiorem partem ædium, & ab arbitris remotam, eum adducit, litteras accipit, exosculatur; ac dum eas cupidius legit, atque in eis, tanquam Narcissus, sicut in speculo vel fonte, nimiam suam pulchritudinē contemplatur, & quodammodo sui ipsius amore capit; ille qui litteras attulerat, sumto in manus emunctorio, dum simulat se candelam emangere, extinguit, atque, O factum, inquit, male! sed ne aliquem evokes, qui acutis naribus hæc odoretur; nam tute scis, quam cante ejusmodi merces tractari soleant: ego mox hic cum lumine adero. seque cum candelabro & emunctorio, factis ex argento, ejecit è cubiculo foras: at visus est esse ignis, qui omnia, quæcumque tangit, amburit, ipse autem in fumum & in auras abit. nam adhuc non est visus redire cum lumine. Verum amator, cum aliquantulum expectasset dum ille veniret, nec appareret, explorans iter manibus, se foras eduxit. Atque, Vbi iam, inquit, est ille, qui exiit huc cum candelabro, ut candelam accenderet? Respondent, simulac ab ipso discessisset, è conspectu evolasse, neque amplius esse vīsum. Tum ille, se fuisse deceptum, intellexit, atque, Ite citi, clamat, accurrite, persequimini furem, sisite, retinetere, candelabri & emunctorii, quibus me, dolis, circuivenerit, expertem facite. Sed stultus, qui fugientes umbras vel ventos se posse consequi putat. Illi iussa faciunt; sed post aliquanto, pulveris ac sudoris pleni, sed inanes à candelabro atque emunctorio, redeunt. At ille pulchellus, se verum esse Narcissum, agnovit, sed non in florem sui nominis, ut illum, sed in cucumerem, esse conversum.

ERYTHR. Si sic aliis cincinnatis ac cæsariatis amatoribus fiat, qui nulli rei nisi adulterio student, minus hic

hic amatorum sit, minusque ipsis rebus studeant. Sed quoniam id temporis est, surgendum censeo, & cum hac hilaritate urbem repetendam.

F O S S I U S . Proh Deus immortalis, ut mihi hunc diem dedistis luculentum, ut amoenum & jucundum! Sed quemnam ego venientem aspicio? quisnam illic est?

V R A N . Ni me oculus fallit, hic est Thaumas, Iani nostri minusculus frater, in quo tum parentes ipsius, tum fratres, omnem spem dignitatis ipsorum colloquuntur habent, qui nunc juri civili ac pontificio operam dat. Sed ecce ipsum; quid ferat, audiamus.

T H A U M . Salutem primum vobis universis propriam nuncio; tum Erythræo, cui à fratre missus sum nuncius.

E R Y T H R . Quid postulat à me frater tuus? Estne aliquid, in quo mea illi opera esse usui possit?

T H A U M . Primum, multam me tibi salutem suis verbis jussit dicere; tum, nunciare, libros illos duos, ab impressore amissos, esse inventos, ac propediem edendos; ita se accepisse à quodam, qui omnia profitetur scire.

E R Y T H R . Rem mihi non optatissimam nuncias. Nam nihil est, quod magis cupiam, quam eos funditus interire. Satis jam ex iis, qui me inscio atque invito prodierunt, doloris molestiæque exhausi, atque eriam, si est dicendum magis aperte, in reprehensionem hominum vituperationemque incurri. Quam velim, id, quod ad aures fratris tui venit, mendacio nitatur! Sed cur non hoc maturius te ad nos contulisti; ut ex hoc tam lepido tamque ameno rure, tu quoque voluptatem aliquam caperes, ubi nos hilares, ludentes, ludificantes, suavem hunc diem sumimus atque amoenum? Sed heus, agite pueri, afferte huc vinum, & poculum, unde hantriat, ac sitim sedatum eat, quam labor itineris ac diei æstus accedit.

T H A U M . De vino tibi gratiam facio. Non enim sum siccus.

V R A N . Immo bibamus omnes censeo. age, circumfer Albaeum illud, quo me largius in prandio prolui. nam

nam mihi visum est suavius ceteris. da usque plenis cantharis , ac siti occurramus , ne nos in reditu adoriatq[ue]r. cedo mihi cyathum. nam prior volo hos ludos committere. Bene mihi , bene vobis, bene iis, qui bonis nostris gaudent.

E R Y T H R . Cur non etiam iis , qui invident ?

T H A U M . Quamvis nulla me sitis urgeret ; attamen hic vini haustus de me optime meruit. Nam vinum istud vere flos Liberi dicendus est, atque, ut ille loquitur, merus Thionianus.

E R Y T H R . Quamquam ego neque sim multib[us], neque merobibus, nunquam tamen aquam vino anteponendam dixerim; verum à prandio, cum me sitis urget, eam libentius eo sedatum aqua, quam vino. Itaque hodie , cum adhuc siti fauces arerent , craterem unum, super hic inventi fontis aqua plenum , eduxi. quæ aqua ita se mihi salubriter atque suaviter in venas infudit , ut fateri cogar, me nunquam bibisse , quod meminerim, dulciss. Neque mirum : nam, eo die hic repertus fons dicitur , quo Thadæi Barberini, Præfecti Vrbis, liberi, in summam spem geniti , relaxandi animi gratia , huc pedem introtulerunt ; ut, quemadmodum apes ex floribus mella contrahunt, succumque dulcissimum atque subtilissimum ac saluberissimum ; ita etiam hæ , ut ita dicam, delapsæ cœlitus apes humorem hunc longe præstantissimum, è terra hac, semper nitida , semper florida, semperque virenti . eduxisse videantur.

T H A U M . Cur non mihi advenienti potius aquam hanc obtulisti , quam vinum? nam multo eam avarius in me ingurgitassem , quam ipsum nectar. Ac facile eadem me expleri contigisset , si huc maturius venissem, neque mihi duo quidam , ridiculi sane homines, prope ranti moram obtulissent ; qui nunciarunt , se certiores esse factos, Galileum utroque esse oculo captum. sed eorum unus, Oculorum, inquit, usi amisso minus erit aptus atque idoneus ad ocularia conficienda. Erras, inquit alter ; longa tot annorum exercitatione manus assuefactæ, nihil opus habent ad eam rem oculis ; sed eo statim advolant , quo magistri voluntas vocat. scio , me pene rem incredibilem loqui ; sed tamen ita vera est, ut de ea non

non sit dubitandum. post cæcitatem commentus est oculare , ceteris , quæ fecisset , admirabilius ; nam cetera illud tantum ostendunt , quod Solis , Lunæ , ceterorumque siderum orbibus continetur ; istud vero novum ultra omnes cæli orbes aciem extendit. **Quid** audio ? ait ille ; estne aliquid ultra cælum , quod sub aspectum veniat. Respondit ; innumerabilem Lunarum moles , tumuli , montes ; quæ senio confectæ , suam vim amiserunt. **Iam** jam sat , amabo , est , inquit alter ; abi sis hinc quo dignus es , cum tuis istic inaniloquis dictis , impudentibusque mendaciis. **Quis** unquam audivit , in mundo una Luna plus esse ? Ille , tanquam commotus , **Quam** inepte stultus es , ait ; nunquamne audisti , novam quot mensibus Lunam oriri , augeri , postremo tanquam maturitatem suam adipisci , deinde paulatim in senium vergere , senescere , ac confectam senio tabescere ? **Quid** putas Lunis illis decrepitis fieri ? si nescis , eo , quo dixi , tanquam in angulum conjiciuntur , à muribus blattisq; ut ita dicam , corrodenda. Idque ea oris ac vocis simulatione affirmabat , ut illum , assensionem suam cohibuisse , neque statim ejus dictis eam præbuisse , puduerit. Ego hac disputatione adeo sum delectatus , ut pene sim oblitus , huc , quo missus fueram à fratre , venire.

V R A N. Huic etiam persuaderi facile potuit , quod quidam docebat ; jocone , an serio , nescio ; Solem , cum vespere se abderet , non se ponto , ut est in fabulis , mergere ; nam aquis obrutus necaretur ; sed eodem , quo mane venerat , itinere regredi , ac in orientem rursus se recipere , ut inde postridie mane , cum nova cælum luce resulserit , solitum iter quadrigis vectus excurrat. **Quod** cum iis , qui audierant , novum atque incredibile videretur ; Nam , si verum hoc esset , ajebant , quomodo oculos nostros effugeret ? quomodo suus illum nitor pulchritudoque non proderet ? huic dubitationi occurrebat ille , hoc modo : Si terras nox occupavit , quomodo Sol conspicere in tenebris potest ? at his tenebris , tanquam pallio quodam , obvolutus , eodem se recipit unde discesserat ; ibique , quos quadrigæ habet adjunctos , pabulo reficit , ibi novum iter adornat , cum nox , tenebris ad se revocatis , diei locum relinquat.

F o s-

F O S S I U S . Multa sunt , quæ , tum ridicule ab hominibus urbanis prolata , tum stulte ab ineptis dicta , narrantur ; ut illud : Cum interrogaretur Philosophus quidam , vel potius , qui se Philosophum haberí volebat , num ex Philosophia , aliqua Dæmonis , hoc est , humani generis hostis notitia posset haberí ; Quidni ? inquit , nunquamne Dæmon Socratis tuas pervenit ad aures , cuius tam frequens fit mentio in Philosophia Platonis ? Hic ille est , quicum nobis acre bellum est atque perpetuum .

E R Y T H R . Quidam , cui Virgilii , Poëtarum principis , versus fama minores videbantur , ideo tam multis in cælum laudibus efferri eos ajebat , quod ab ipso essent confecti . nam si alius scripsisset , nullam fere apud omnes existimationem haberent . Cui quidam , qui adebat , stomachans , Dic , ait , obsecro ; priusquam Virgilius animum ad scribendum appelleret , eone inter Poëtas loco ac numero habebatur , in quo nunc est ? Minime , inquit ille ; immo ab omnibus ignorabatur . Quomodo igitur , excepit alter , versibus illis precium vel aestimatio oriri ab eo aliqua poterat , qui utrum albus an ater esset ignorabatur ? nonne fit consequens , ut dignum illud immortalitate ingenium suis versibus assecutum sit , ut principem inter Poëtas locum obtineret , ac celebre suum nomen omnis posteritatis memorie redderet ? Sed stultus sit , qui velit omnia , quæ à singulis stulte dicta sunt , persequi . Quamobrem in præsentia pausam faciamus . Nam alio tempore , ocium ubi erit , huic ludo ac deliciis operam dabimus . Sed ecce , Alexander Syrus huc properat ; non potuit commodius se nobis inferre , quo eidem gratias agamus de hospitio villæ , in quod apud illum hodie divertimus . Merito te , Alexander amamus , de villa ista lepidissima , cuius hodie tam benigne nobis copiam fecisti . Nam , si verum est dicendum , nusquam , nisi hic , cumulatius omnibus nos deliciis , amœnitatibus , hilaritatibusque complevimus .

A L E X A N D . Gaudeo , si quid vobis , propter me , evenit boni ; atque cum bene de vobis & similibus mereor , accipere non dare beneficium videor ; & sane vestris

auspiciis id arbitror me assuetum esse hodie , cuius jam diu cupidissimus fui.

ERYTHR. Fac nos hujus voluptatis tuae participes. Nam fortasse extra nos neminem invenies, qui tua solidius gavisurus sit gaudia.

ALEXAND. Didiceram ex historia Ensebii, magnum illum Constantinum , cum adversus Maxentium tyrannum exercitum duceret, in hoc monte confeditisse, neque, trepidantem, diffidentemque rebus suis, ausum esse collatis signis cum hoste decernere : cumque his angustiis premeretur, visam esse in cælo crucem, in qua scriptum eret, *In hoc vices*; tum illum, hoc ostento confirmatum, è castris legiones eduxisse, instruxisse aciem, & contra hostem movisse, ac demum ea vi corporis & ardore animi impetum in eum fecisse, ut summa oppressum formidine, in angustumque redactum, in eos se laqueos induere coegerit, quos ipsi tetenderat. nam Maxentius, ut scitis, expers animi atque consili, ac plenus terroris ac fugæ, in eam muscipulam irruit, quam Constantino paraverat. At non siebat mihi verisimile, tantum Imperatorem, tam insigni victoria potum, nullum grati sui erga Crucem animi monumentum posteris reliquisse. Itaque hodie, signo crucis munitus, eo me contuli, ubi illum castra metatum esse existimabam ; qui locus est in proxima Farnesiorum Principum sylva; cœpique solus diligenter exquirere: atque rimanti, inter capitula columnarum, lapides adesos, ac silices, angustus se quidam aditus aperuit, jam pene interclusus frondibus ac virgultis ; quem ego cum, hoc ligone, quem in manibus habeo, laxiorem efficerem, tantam fenestram aperui, quanta introire cupienti satis esset. Atque, ab hoc aditu januaque patefacta, penetravi in ædem, longe vetustissimam, ubi Christi Salvatoris, ac Deiparæ Virginis imagines piætæ cernuntur, antiquo opere factæ. sed quoniam hoc diei tempus est, non potni singula ex animi mei sententia investigare, atque perquirere; sed totam hanc rem, Deo volente, in crastinum differo. interim, totus hilaritate lætitiaque redundans, huc me recepi.

ERYTHR. Nimirum cepisti hodie fructus, pietate tua

tua dignissimos ; atque ut pro istis respondeam , utpote quibus ætate antecedo , nihil potest nobis jucundius accidere , quam ut aliquid tibi contingat, unde hilaris lumbensque reddaris. Quamobrem non tam nostra gaudemus gaudia , quam tua ; Deuinque rogamus , ut ea tibi esse propria velit. Vale.

ALEXAND. Ego quoque vicissim valere vos jubeo , ac mei memores esse : sed censeo , rheda mea utamini , quam ad D. Lazari paratam invenietis. Nam pergratum id mihi erit , ac sine ullo meo incommodo fiet. Soleo enim , cum rus veni , libentius equo , quam rheda vetustus domum redire.

ERYTHR. Amice ac benigne facis , Alexander; sed de rheda facio tibi gratiam. Non enim temere me eidem committere audeo. Nam vereor , ne pro scorto à lictoribus comprehendar ; ut de fabro murario , à te in eandem rhedam compulso , tute narrasti. Magnam enim pudicitiae meæ notam esse inustam existimarem , quam à puer , ad id usque ætatis , servavi prorsus ab omni , non solum facto , verum opprobrio quoque turpi.

V R A N. O lepidum scortum ! ô pulchellum puerum ! cui , haud sane diu est , cum dentes exciderunt . at te famum esse arbitror ; verum ambages & ænigmata loqui existimo.

ERYTHR. Si te ænigmata audire putas , adest hic Oedipus , qui possit solvere. Amabo te , mi dulcis Alexander , injuriam , rhedæ tuæ factam , istis enarra , nosque hac etiam hilaritudine cumulatos domum dimitte.

ALEXAND. Semper letis aliorum successibus est comes invidia. Nam plures , quoniam æmulari non licet , invident. Sed sunt aliqui ingenio adeo malo , adeo iniquo , adeo perverso , ut iis , de quibus male nunquam meruerunt , facere mali aliquid studeant. Vident multi , omnes suos conatus frustra esse , ad illud amoris vinculum dirimendum , quo ego fraterque meus invicem nescimus : ideo malignitate eos onerare contendunt , quorum in nos benignitas defluat , in primis boni & honesti viri de nobis famam apud eos convellere ac labefactare conantur , qui rerum potiuntur. Vident præterea , nos , à negociis feriatos , huc advolare , & quoniam suo

ex ingenio mores aliorum probant, putant, nos huc amicas adducere, agitare cum illis convivium, commessari, pergracari, atque animo, ut dicitur, obsequi. Quamobrem exegitant, manifesto in flagitio deprehensis nobis crimen aliquod periculumque conflare: & cum, die quodam, ab exploratoribus accepissent, nos ruri esse, ac pro certo crederent, ibi cum scortis, corruptelæ, ac liberis lustris, operam dare, sub vesperam, ad portam Vrbis, lictores secreto disponunt, qui redeuntem à villa rhedam aggrediantur, fstant, lustrant, &, quidquid in ea mulierum sit, in vincula rapiant. Forte fortuna redeuenti mihi à rure, in medio clivo, sit obviam faber murarius, senex, incurvus, tremulus, qui itineris labore defessus, prope afflictus humi jacebat. Quaro, quis sit, unde veniat. Respondet, se fabrum esse murarium, atque ex longinquo rure, quo ierat in opus, redire, sed oneris magnitudine, quod ferebat, oppressum, se esse coactum consistere, & paululum quietis accipere. Rogo, quid sit illud oneris, quod ferret. Respondet, annos esse prope nonaginta, sudorem & sitim. Ego, hominis misericordia captus, quoniam in equo sedebam, defero illi rhedam meam, proinde ad D. Lazari, ubi illa, una cum famulis qui mihi adversum venient, aderit, se conferret. Non recusat; surgit, gratias agit, venit, rhedam inscendit, impero rhedario, ut senem ad domum usque suam deferat. It ergo; sed vix inferum portæ Vrbis limen attigit, cum à turba lictorum opprimitur, ac circumfistitur. Dux lictorum prior vela allevat, manum fert intro, existiens, se illam ad teneram mulieris cuiuspiam elegantis papillam deserre.

Sed, dum puella candida,
Ceu cana nix & lilium
Vel lac coactum, cernere
Se censem ora credulus,
Frontisque, sub vernantibus
Semper ligustris, fulgida
Ridere bina lumina,
Et mille crispas annulis
Comas, decenter aureas,
Nitere sole clariss;

En tibi rugosa pandit se fronte senectus,

Et subit hircosi tristis imago senis.

Horruuit, aspiciens, Acheroni debita dudum,

Corporis horrenti pallida membra situ;

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem

Pressit humi, celerem corripuitque fugam.

Pendebant rari nudato vertice cani,

Dum tegeret turpes hispida barba genas:

Tum cito mors veniens, qua funere mergeret atro;

Orbibus habebant lumina nigra carvis.

In primis stomacho bilem vomitumque ciebat

Teter, ab efferto corpore missus, odor.

Dux lictorum igitur, ubi te corripuisse senem offendit, oppido Acherunticum, capularem, hircosum, anima foetida; in speculatores conversus, Ite, inquit, hinc in exitium, in cruciatum, in crucem, mendicabula hominum, atque flagitia; ut vos, & quidquid est ubique speculatorum delatorumque, magnus perdat Iupiter; ita me ludos fecistis. Nec mora; plenus iræ atque decoris, in malam rem abiit.

F O S S I U S. Si ad istud exemplum essent omnia scorta, omnis profecto luxuries, omnis nequitia, omnis libido, tolleretur è mundo.

E R Y T H R. Sed jam advesperascit; & uniuscujusqne nostrum ædes non parum distant ab hoc colle. iterum vale. Sed aliquanto mihi æstuosior, atque molestior, hæc redeunti, ac descendenti, via videtur, quam advenienti ascendentique visa sit.

V R A N. Hoc eo fit, quia mane siccii ascendimus, nunc appoti descendimus; tum frigidiusculus afflabat ventus, qui nunc plane resedit, postquam pedem è villa foras extulimus. Sed nubeculam illam vide, quemadmodum exemplo, tenuissimis ex vaporibus coacta, capitibus nostris immineat. Quam vellem, in liquidum aliquem nimbum dissolveretur! Libenter enim, madidum me ad rhedam usque venire, perferrem.

F O S S I U S. Bene optas. Nam frigiduli isti nimbi, superne demissi, qui nimios æstatis defendunt ardores, orbis tertæ deliciae, superum missilia, cæli munera, appellari merito possint. Atque hi fortasse sunt illi ro-

tes, quos Venerem, Amores, & Gratias, in eos, quos egregia ob merita diligunt, fundere, fabulosis Poëtarum carminibus legimus. Sed quidrides, Erythræ?

ERYTHR. Rideo, quia commovisti mihi memoriam imbris cuiusdam, qui in caput regiae propemodum nuptæ decidit, solemnibus nuptiarum suarum ludis, quos scitis fuisse magnificentissimos omnium, quos vidi-mus.

Foſſius. Quæſo, ne te pigeat, nobis exponere, quisnam fuerit imber iste, unde tanta tibi ad ridendum materia exhibeat. Ita enim pauxillulum istud mo-leſtiæ, quod hoc iter afferre videatur, ademeris.

ERYTHR. In eo igitur ita magnifico splendidoque spectaculo, quod non modo Romanos ad se cives, sed vicinarum etiam urbium incolas evocavit, (nam ſæpius est datum,) complurim scenarum conversiones sunt fa-citæ. Modo enim mare ſe in conspectum dabat, non pi-ctum totum, ſed magna ex parte, ex tela conflatum, ar-gento fericoque contextâ, quæ mirabiliter illud, cum leviter crispatur, undis affimulabat; modo ſe Orcus aperiebat, crepitantibus flammis infernisque monſtris prodigiisq; terribilis; modo Elysium nemus, ac fortuna-tissima illæ beatorum, ut eſt in fabulis, ſedes, omnium ad ſe oculos mire rapiebant; præſertim piæ, omnium fere ſeculorum, Poëtarum animæ, aurium atque oculorum ſensus, diſſimili inter ſe voluptate, oblectabant. Nam earum ſingulæ, ad fidium cantum, eo genere carminis, quo ipſæ in vita præſtiterant, novæ nuptæ lau-des ferebant in cælum; modo rursus inferum noſtrum hoc mare oculis inferebat, latum, ſcopulosum, ac mari-nis monſtris, pubetenus ex aqua extantibus, tanquam ab omni parte conſpersum; in quo etiam navis ferebatur, ſymponiacis plena, quorum personabant omnia vocibus, cantuque ſymponiæ: modo, diuincto cælo, conſpi-ciebatur Amor, hac illac, purpureis actus alis, excurre-re, ac Venus, Minerva, Iupiter, Mercurius, ſuo quic-que currū vectus, novæ nuptæ commodis & honoribus ſedulam & amicam operam dare. & alia multa cerne-bantur, quæ longum eſſet omnia referre, præſertim cum nim-

nimbus ille ad sese vocet, & quodammodo absorbeat orationem meam. Verum cum Nympha quædam, toto pelago, conchylio veheretur, atque inter alios versus, quibus ejus mulieris forma, venustas, præstantia, virtus, dignitas, ac prope divinitas prædicabatur, hos præsertim, maxima ac suavissima voce, concineret;

*Accipe lata sinu, calathis quæ lilia plenis,
Luteolosque rosis mixtos dat Gratia flores,
Ipsa quibus nivea texas redimicula fronti;
Accipe siderio cœlestem vertice rorem,
Quem tibi pulchra nitens, cali de parte serena,
Et Venus & posito diffundit filius arcu;*

cumque eam, quanta maxima poterat voce, compellaret, ut advenienti in se cœlestium munera imbrigrem & caput objiceret; ecce tibi de loco superiore, nimirum de suggestu, quo plures, spectandi gracia, convenerant, in sponsam, quæ subitus tanquam in prima cavea cum sposo spectabat, quæque divinum è cœlo imbre præstolabatur, foetida urinæ pluvia delabens, totum illi caput & sinum implevit; quæ urina, tanquam impetu facto, ab eo eruperat, qui nultas in vesica horas, velut in vinculis constrictam, habuerat. Sponsus irasci, furere, clamare, eique, qui illud facinus admiserat, plagas, crucem, mortem denique ministari. At licuit præstantissimæ illius foeminæ æquitatem & magnitudinem animi aspicere. Etenim adeo nullum commoti atque irati animi signum dedit, ut etiam effusissimos cachinnos ediderit, omnemque marito iram in tranquillo posuerit. Sapiens nimirum mulier intellexit, se non deam, ut fallo ille prædicabat, sed hominem esse, humanis casibus subjectam, ut ceteros. Mihi quidem tam magnos risus ea res dedit, ut quoties in memoria in redeat, eosdem cohibere non possim, ne ab invito prorumpant.

F o s s i u s. Multa ego sæpe, de nobilissimæ sanctissimæque illius foeminæ pietate, modestia, probitate, eruditione, narrari audivi, quæ, si de alia dicerentur, omnem propemodum fidem excederent, quamobrem non est mirandum, si ad illud incommodum, mole-

stiamque publice sibi illatam, eam animi æquitatem modestiamque detulerit. Sed jam ad D. Lazari venimus, nec rheda uspiam aspicitur: nolim equidem hoc diei & anni tempore cogi nos, quod reliquum est itineris, sine rheda conficere; Vraniū præsertim, qui & æger est & longius abest.

F O S S I U S . Jam jam ea hic aderit: libero te hoc metu. Sed præfētne huic Ecclesiæ idem Parochus, qui vinti ferme ab hinc annis eam regebat?

E R Y T H R . Præfēt, atque optima in primis valetudine utitur, ac mendacii eos coarguit, qui aërem hunc minus esse ajunt salubrem ac purum. Sed quid tibi venit in mentem, à me istuc exquirere?

F O S S I U S . Quia neminem novi, ad gratulationes, atque ad omnia anīlæ officia, magis ad amissim, ut dicitur, factum. Vtebatur hic familiariter viro præstanti ex nobili religiosorum hominum familia; qui, cum merito ad summæ amplitudinis locum perductus esset, simul ut audivit, domum ad eum, tantum illi honorem gratulatum, accurrit. at quanam oratione usum enim esse existimatis? accipite. Quantam, inquit, voluptatem capiam ex hoc honore, præter spem omnem tibi delato, (etenim, cuinam mortaliū, talis res, tam inusitata, tam nova, vel in cogitationem cadere potuisset? mihi sane ne suspicanti quidem cecidit,) verbis dici non potest; quamobrem in cogitatione tua, qui probe me nosti, relinqu. nam fraterculos tui similes si ad tenuem ac ignobilem aliquem Episcopatulum contingat obrepere, magnas opes & gloriam se esse adeptos existimant: cum autem in tantum te honorem attractum aspiciam, eatenus omnibus lœtiis incedo, ut progredi longius vix possim.

E R Y T H R . At tali prædictus ingenio atque eloqua-
tia, dignus est, qui ad Regem Philippum, vel ad Cæsa-
rem mittatur, ut adeptam illis victoriam, vel susceptos
ex uxoribus suis liberos, vel prolatos, usque in ultimas
terræ oras, imperii fines gratuletur. Quam enim apud
illos orationem, quam gravem, quibus instructam sen-
tentiis, quam acutis, quam ad eorum, ad quos mitte-
retur, dignitatem accommodatis haberet? Ac dignus est
etiam

etiam, qui quavis mercede à principibus viris, atque adeo à Regibus ipsis, conducatur, ut ipsorum liberos, quos in spem Regni suscepérunt, ad omnia vitæ officia, atque ad omnem morum elegantiam erudiat. Sed non est prætereundum, quemadmodum equiti cuidam, ex vetere gigantum prosapia orto, hoc est, terræ filio, in suo horto, me præsentē, ac præ pudore, ubi esse, ignorante, ignobilitatem suam imprudens objecerit; ad eum credo finem, ut honorem illum digno in loco collocatum esse ostenderet. nam eum ante illum diem viderat nunquam; neque ille, postquam natus fuerat, intra ejus amoenissimum hortum penetraverat pedem. Etenim, sumta in manus cruce, quæ illi, quasi puerō crepundia, in collo pendebat, O tempora, inquit, o mores! nemo antea, nisi summo genere natus, haec honorum insignia capiebat; nunc ea passim vilissimus ac sordidissimus quisque, sive sit pedissequus, sive lapicida, sive lanii, sive cocci, sive scorti, prope dixerim, filius, vel gratia vel precio consequitur.

V R A N. Bene, pulchre, recte; non potuit elegantius neque cumulatius istud in eo honoris insigne celebrare. Etenim illud est laudandi genus longe urbanissimum lepidissimumque, in quo cum ejus, qui exornatur, laubibus, ejusdem præterea dedecus & ignominia conjungitur. Sed mihi quasillum hoc fructibus plenum, quod ferro, pene brachium ab humero avellit; ita grave est atque molestum. & sane nunquam induxissem animum, hoc anni tempore, & hac mea tam imbecilla valetudine, hoc meam dexteram onere gravem reddere, nisi pruna, pyra, ac poma Persica, quæ gero, adegissent me, ut hoc, à domino vineæ, acciperem. Etenim nulla, quod meminerim, vidi, vel gustavi, neque formæ præstantioris, neque succi melioris. Et sane magnos, uberes, ingentes ex eo prædio fructus Syri cipient oportet. Nam haec, si sint venalia, quodlibet precium inventient.

E R Y T H R. Immo nullos ex eo fructus percipiunt.

V R A N. Hui, ex tanto prædio nullos? quo arguento? Nonne ego vidi, prope innumeros vitium ordines, uvis refertissimos? Nonne arbores aspexi, ita fructibus

graves, ut furcis ac palis fulcirentur, ne suo ad terram pondere ruerent?

ERYTHR. Ei rei argumenta dicam. Ideo domini nullis inde fructibus augentur, quia, quidquid percipitur, omne ad usum domesticum transferunt.

V R A N. Ludis tu quidem me, nempe, quia illa domi consumuntur, neque venalia proponuntur, nulla in eis vis fructuum intelligitur?

ERYTHR. Scio ego, haud videri hoc verisimile tibi; quia præter picturam, astrologiam, atque poëticam, omnium fere aliarum artium gravissimarum es rudis: verum haud dudum est, cum hæc doctrina, tam nova, tam incredibilis, tam inusitata, à doctissimo, eodemque religiosissimo viro excogitata est, atque reperta, & in vulgus prolata. Est vir quidam apprime doctus, probus, ac diligens paupertatis in primis, qui ad id, voti se religione obstrinxit, ut præter ædes, in quibus habitat, à majoribus suis sibi relietas, nihil possideat, quod moveri loco non possit. Hic igitur, tam severus, tam diligens, tam religiosus, paupertatis amator & cultor, preciosum, celebri intra Vrbis moenia loco, prædium coëmit: sed cum ipse ac vicinus ambigerent de finibus, constitutum est inter eos, quo die in rem præsentem veniretur: ac dies ex utriusque commodo sumitur, qui dies fuit nudius tertius. Veniunt igitur, ac secum una judices, qui ejusmodi controversiis decidendis præsunt, quorum unus religioso illi, Dic sodes, inquit, nonne tu is es, apud quem tantopere paupertatis studia vigent, qui præter unum teclum, quo te adversus noctium, imbrium, tempestatumque injurias recipias, tibi fas esse non ducis fundum, sive profundum potius, quod nunquam expleri possit, habere? unde igitur istuc est prædium? At ille, Nulla fit, ait, paupertatis legibus fraus, si prædium aliquod, vel urbanum vel rusticum, retineatur, unde fructus nulli percipientur. Quid sunt ergo, judex exceptit, fructus, si uvae, si pomæ ista, quæ pendere ex arboribus cerno, fructus non sunt? At isthac, respondit, usu domestico consumuntur, ex eisque numero quidem uno locupletior evado.

F O S S I U S. Quia nimirum ex eis se & familiam suam

suam alebat, ideo fructuum appellatione indignos esse arbitrabatur. At ego teneo, quid ille mereretur. Nimirum dignus esset, cui fundus ille quotannis insigni aliqua calamitate verberaretur, quæ, quod ipsum capere oporteret, interciperet, ac vera eum cogeret loqui. Per hanc rationem licebit eidem arationes, licebit oliveta, licebit molam, atque alia parare, quæ sunt ad usum domesticum necessaria. Sed si quasillus iste, Vrani, quem gestas, tanto tibi oneri est, da mihi illum ferendum. Nam incolumem tibi domi tuæ fistam. Sed vin' facere, quod maxime in rem tuam sit? Da mihi eum dono. Fœneratum enim tibi reddam, hoc est, qualum mittam, triplu majorem, plenum vineæ amici cujusdam mei fructibus, qui forma atque sapore tuis istis, quadrigis, ut dicitur, albis præcurrant.

V R A N. Non sum canis Æsopicus, ne tu mihi verba dare postules. etenim spem precio non emo. vel potius, non sum vir ille, genere & gratia clarus, qui ab homine Gallo, qui se magnum auri artificem assimulabat, tacitus est aureis nummis duplicitibus, ni fallor, ad ducentos.

E R Y T H R. De cane Æsopico, teneo, quid dicas; nam nota est fabula. Sed de homine isto nobili, quem anri tanta vi à sycophanta Gallo circumventum esse aīs, nihil adhuc aures meæ acceperunt.

V R A N. Hic ad eundem scopulum, ac canis ille, nāvem affixit. Etenim dum anri umbram sectatur, verum ac solidum è manibus aurum amisit. persuaserat huic Gallus quidam nebulo, se certam ac veram auri confiendi rationem, à nemine adhuc perceptam, tenere; verum semel tantum opus esse aureis ducentis, iisque duplicitibus, quo nimirum ars, quæ est imitatrix naturæ, naturæ ductum sequeretur. quos ille nummos inventos continuo Gallo dinumeravit. At Gallus, ipso præsente atque vidente, in ollam, pene modialem, variis herbarum generibus aliisque nugis plenam, quam attulerat secum, immisit; tum ollam, igni admotam, in fervorem dedit: sed postquam satis deserbuisse visa est, membrana os illi diligenter obduxit, vetnitque ante dies viginti aperiri; iis elapsis, quidquid in ollam demitteret, sive

aurichalcum, sive plumbum, sive stannum, sive lapidem, sive ligatum, continuo in aurum conversum extraheret; ac futurum brevi, ut Regem Attalum, vel Philippum, divitiis superaret. His actis, justit eum valere, seque foras eduxit, & exulatum abivit. Illi, qui Picos erat auro superaturus, nihil longius videbatur, quam dum viginti illi dies effluerent: quibus tandem elapsis, hilaris, ac præ latitia gestiens, membranam ollæ detraxit; tum, ut erat præceptum, aurichalci in eam virgulam summa cum cura demisit; nam verebatur, ne, si digitos una immergeret, eos protinus aureos retraheret, atque eorum usum in perpetuum amitteret; vel ut clam in conferta hominum multitudine à sectoribus zonariis surriperentur; vel quod caput est, metuebat, ne hoc indicio res fieret palam, ac multi, quibus non posset obfistere, in societatem ejus arcani vellent admitti: quam obrem sedulo dabat operam, ne quid illis ab auro noceatur. Verum, dum pro aurichalco aurum se esse sumtum existimat, dum paratus est clamare, ἐύρηκα ἐύρηκα, non alias se longius abesse ab eo, quod quærerat, inventit. Nam aurichalcum illud non ita fuerat aurichalcum cum est in ollam infusum, quam cum est ab ea detractum. Sed cum in aurichalco rem sibi infeliciter cedisse animadverteret, voluit experiri, num eo melius in stanno plumbove succederet. sed nihilo felicior fuit: etenim laterem, ut dicitur, lavit. Quamobrem ira percussus, autem illam calce subvertit, ut suos inde numeros aureos etiam cum aliquo intertrimento reciperet. O miram artis vim atque præstantiam, nugatoria inquam! quod olla in aurichalco, in stanno, plumbove perficere non potuit, ut ea in aurum converteret, in nummis illis effecit, ut ab auro transirent in plumbum. Nam magnus ille artifex, qui vere numeros plumbeos cudebat, cum numeros in ollam infundebat, simulabat, se aurum purum ac lectum infundere; sed adulterinum pro vero substituebat. Quamobrem, Fossi, alieno periculo doctus, abs te mihi cavero, neque tuis istis magnificis dictis, ac pollicitationibus, quibus canistrum, ter tanto majus, plenum pomis, præ quibus isti scenum videantur, spondes, in fraudem me illici sinam. Extra jo-

um,

cum : si verum est , neque more tuo delicias facis , ut te
poma isthæc delectent ; sume , comedē , tuo arbitratu, ut
libet : rem mihi gratissinam feceris .

F O S S I U S . De pomis facio gratiam: nam ego joca-
bar tecum .

V R A N . Quidvis , sive joco sive serio à me velis , im-
petrabis .

F O S S I U S . Benigne . At nonne dixi vobis , rhedam
nq̄bis præsto futuram ? En adest . eam igitur inscendamus ,
& nostras singuli domos repetamus .



D I A .

DIALOGVS SECUNDVS.

Nobilissimo doctissimoque viro,

MATTHÆO VAYERIO,
PARISINO,
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.



Ostulabat nominis tui claritas , magnitudoque doctrina & eruditionis , aliquod à me donum, hoc, quo te muneror, longe præstantius. Sed ardens illud studium conjungende tecum amicitie , quo flagro , me cum hoc munusculo ad te venire cœgit, nec expectare, dum aliud majorum vigiliarum opus à me prodiret, quod tibi dicarem. Sed quamvis donum sit exiguum , tamen, quia nonnulla breviter continet , historico necessaria magis quam ullum aliud; tibi visum est aptum, qui elegantissimum locupletissimumque de historia librum edidisti; cuius practica capita mihi interpretatus est Gabriel Naudus, vir longe doctissimus , mihiique amicissimus. Nec me latet , scriptiunculam hanc meam, in tua amplitudinem doctrinae, tanquam in mare . illapsuram , à quo obruatur. Verum id mihi non tam metum facit, quam spem addit, fore illam ex tuo quasi contactu meliorem. Nam quemadmodum flumina, mari permista, claritatem ab eo & saporem, & colorum mutuantur; ita etiam opusculum istud meum , ex se illepidum, inanum, insulsum , in tuam eruditionem & doctrinam velut infusum, plurimum ab eo leporis, amoenitatis , saporisque percipiet. Hanc igitur meam in te voluntatem ne asperneris: meque in tuo are numera. Hoc mihi gratius contingere nihil potest.

QVID

QVI-D IN S C R I P T O R E

Historiæ requiratur.

E U T Y C H U S . P L U S I U S .

E U T Y C H U S .



Vamquam divitias , quibus præstas , & opes , quibus polles , cogitans te beatum judico , Plusi : attamen lites quibus per- petuo implicaris , & occupationes qui- bus distineris , hanc mihi de tua felici- tate opinionem minuunt , ac prorsus ef- ficiunt , ut fortunis tuis , quantumvis amplissimis , minus invideam , atque ita in re modica vivam , ut eam fieri majorem non expetam .

P L U S I U S . Ego te semper , Entyche , fortunatum at- que felicem existimavi . Tu satis , à fortuna , rebus ad vi- tam necessariis instructus , procul à Rep. procul à curis , in hac amoenissima Vrbis parte habitas , tibi ipsi vivis , &c , tanquam in aliquo tutissimo portu collocatus , inconstan- tissimo rerum humanarum pelago alios ferri , alios agi- tari , alios mergi , sine periculo conspicis .

E U T Y C H . Sua est unicuique de hominis felicitate sententia . Ego mihi ac tibi beatus videor , quia nullis curarum , nullis litium molestiis , tanquam fluctibus , agitor : at sunt , semperque fuerunt , qui , sine negotiis ac litibus , vitam esse nullam existimant .

P L U S . Non est credibilis tanta , in hominum mente , perversitas , ut ibi quietem & tranquillitatem , quæ non potest à felicitate sejungi , constituant , ubi perpetuae fe- re semper tempestates turbulentissimæque deserviant .

E U T Y C H . Videris esse oblitus , quod Seneca , libro de brevitate vitæ , de quodam Turannio tradit , qui post annum nonagesimum , à C. Cæsare , publici muneri vaca- tione donatus , pro mortuo , à circumstanti familia , plangi ac deplorari se iussit , neque antea fibi restitutam esse vitam existimavit , quam vetus labor est redditus . Videris etiam minus legisse , quod Muretus , vir elegan- tissimi

tissimi ingenii, summa facundiæ, exquisitæque doctrinæ, narrat, de mercatore quodam Parisiensi; qui, cum vitam omnem in litibus transegisset, &c., capularis jam senex, fora omnia circumiret, Francisco Galliarum Regi sapientissimo humanissimoq; dignus est habitus, qui ob ætatem, procul à litibus atque molestiis, in ocio ac tranquillitate, quod reliquum sibi vitæ esset, exigeret; itaque omnes ejus lites & controversias se cognituru[m], & statim ex æquo & bono dijudicaturum spopondit: ille miser, qui suam in litigando felicitatem collocasset, Regis pedibus advolutus, cœpit orare atque obsecrare, ne sibi vitam vellet ante diem adimere, sed unam aut alteram litem reliqui faceret, in qua senectutem suam atque ocium oblectaret. Et ego novi non parum multos, qui, quo die, vesperi, nullam sibi scriptam dicam inventissent, proxima nocte nullam partem quietis acciperent: tantum, in summis curarum fluctibus, curarum oblectamentum & requiem inveniebant.

Plus. Ego sane remitto istis hanc voluptatem; ac vellem, si fieri posset, ne forum quidem aspicere. Verum id mihi, per creditores meos, non licet, quorum improbitate plerunque contingit, ut bona mea repete[re], ac persequi lite atque judicio cogar. Sed, his omissis, cuinam exercitationi studioque tam ocium tradis? nam prorsus te nihil agere, non possum adduci ut credam. Mihi enim, ut ait Cicero, qui nihil agit, esse omnino non videtur.

Eius tuch. Id quoque inter cetera felicitati meæ adscribendum censeo, quod eo sunt loco res meæ, ut nemini à me ocii mei reddenda sit ratio: verum, quia vix quisquam potest simul vivere, ac nihil agere, ego, ceteris studiis omissis, totum me ad scribendum contuli, non equidem laudem vel utilitatem aliquam aucupans, sed plane ut me oblectem.

Plus. Quid scribis?

Eius tuch. Quid putas? Orationes, epistolas, sermones, dialogos; interdum etiam versus, quamquam ad poësim non ita sim à natura factus; atque alia ejusmodi opuscula; nam majora opera, utpote magni laboris magnarumq; vigiliarum, nihil moror. Fit enim, si quod forte

forte longiusculum opus aggredior, ut statim ab eo, fastidio ac satietate, abaliener.

Plus. Miror, quod ad scribendam historiam animum nunquam adjeceris; præsertim cum hæc nostra tempora magnam rerum scribendarum tibi materiam objicerent. Evenerunt enim, hac nostra ætate, fere innumerabilia, satis digna, quæ, litteris consignata, posteritatis memoriae commendentur: bella aspera, difficultia, longa; tumultus, seditiones, Rerum. mutaciones, pestilentiae, clades, atque alia ejusmodi, quæ apud mortales gravissima, & in primis memorabilia existimantur. Quantum enim & quam latum eæ tibi res campum aperuissent, in quo hæc tua dicendi vis atque facultas posset excurrere?

EUTYCH. Arduum opus, ac longe meis viribus impar, nonquam mihi sum conatus impotere; prudenter illius consilii memor, quod Horatius scribendi cupidis præbuit,

*Sumite materiam, vestris, qui scribitis, eam
Viribus; & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant, humeri.*

Quod autem ais, si ad historiam scribendam animum applicuisse, eventum mihi ex sententia processurum, ideo quod verborum copia diffluam: primum, hanc in me facultatem & copiam, quam mihi, benevolentia, ut opinor, ductus, assignas, nullam agnosco; deinde, ut tibi concederem, istud ex me verborum flumen effluere, si nihil præterea aliud ad scribendam historiam afferrem, eo tantum instructus accederem, quod est minimum in historico; tam multæ enim virtutes in eo, qui scribit historiam, requiruntur, ut eloquentia vix postremum in iis locum obtineat.

Plus. At ego existimabam, nullam esse rem, quæ ab homine ingenioso & eloquenti litteris mandari non posset: præsertim Imperatorum res gestas luculenter ab eo explicari posse credebam, in quibus tradendis, satis est non esse mendacem.

EUTYCH. Est aliquid id quidem, non tamen in eo sunt omnia. Nam, præter fidem, multa afferat ille oportet, qui est scripturus historiam. Atque id ipsum,

ipsum, non esse mendacem in historia, major res est, quam arbitraris. Etenim est necesse, qui scribit, ut omnia plane perspecta & cognita habeat, vel quia ipse tractarit, vel ab aliis, qui ea tractarint, acceperit; si modo satis id est. Nam potest saepe contingere, ut, ea qui referrat, amore vel odio percitus, secus ac se habeant, exponat. Quid ille, qui, vel rumorem vulgi, vel falsam garruli cujuspiam narrationem fecutus, res parum sibi cognitas scribere audeat? quantum flagitiū admittet? quantos de se ludos dabit? in quantum hominum facētorum urbanitatem incurret?

P i n s. Si bellum, verbi gratia, sim scripturus, quod Ludovicus Galliarum Rex Christianissimus cum hæreticis geslit, quod ad fidem historiæ attinet, satis muneri meo me facturum arbitrarer, si haberem, qui docere omnia fideliter posset. Cur ergo addidisti, si modo id satis est? nam quamvis statim te ipse interpretatus sis, ac dixeris, ea quæ auditione accipiuntur, magna interdum ex parte mendacio niti; attamen, ex vultu, cognovi, te ad res gestas narrandas, non tam docentis fidei, quam oculorum testimonium exigere. Num rei cujuspiam veritas percipi aliter non potest, nisi oculorum beneficio teneatur?

E u r y c h. Quanto rectius liquidiusque affirmare ea possis, quæ oculis tute subjeceris, quam quæ ab aliis accepéris, qui vidisse se dixerint? Nam quis eos prohibeat, ex ipsorum libidine, quidquid in mentem veniat, fingere, te non audente refellere? cumque plura multo judicent homines, ut dixi, odio aut amore aut cupiditate, quam ex veritate aut præscripto, unius res gestas verbis extenuabunt, alterius augebunt; unum debita sibi laude privabunt, alterum falsa etiam cumulabunt. Deinde, si mihi sit, verbi causa, Rupellæ obsidio, oppugnatio, si prælia ibi commissa, si instructæ Gallorum actes, oratione narrandæ, ac pene oculis subijciendæ, quomodo tantum ego munus, rerum omnium imperitus ac ruditus, præstare sine eorum irrisione potero, qui rei militaris scientiam usi atque exercitatione didicerunt? ut non minns videndus sim illis delirare quam Hannibali peripateticus ille visus est Phormio, qui cum fere

fere à primis, ut ajunt, unguiculis usque ad ultimam
senectutem, in scholastico tantum pulvere, atque in eru-
ditorum hominum umbraculis, summo esset in ocio
versatus, neque ulla unquam ex parte rei militaris admi-
nistrationem attigisset; ausus est Ephesi, apud Hanniba-
lem, aliquot horas, de Imperatoris officio atque de omni
re militari differere, eique belli administrandi præ-
cepta monstrare, qui tot annos de imperio cum populo
Rom. omnium gentium victore, certasset. Vel si mihi
sint æstus Oceani tempestatesque narrandas, si classes
Regum amicorum, Rupellæ auxilio venientium, de-
scribendas, quid rerum magnitudine dignum eloqui pos-
sum, qui nunquam classes, nunquam triremes, nunquam
mare conflexerim? Præterea, cum pluribus in locis hi-
storicis in regionum descriptione versetur, quid ego
in hac parte possim, qui vix extra portam Flumentanam, vel Calimontanam, pedem extulerim? qui si cras
fortasse cum amicis meis rus me iturum dixerim ac con-
stituero, vel hæc sola cogitatio, quod Vrbe, vel potius
domo, exeundum sit, ea, quæ proxime consequitur, no-
ste omnem mihi somnum ab oculis abigat.

P l u s. Nonne ex tabulis Ptolemai, & aliorum
Cosmographorum libris, cum opus est, poteris regio-
num delcriptiones acceptas, ita tuum in librum trans-
ferre, ut prope ea in loca venisse videaris?

E u t y c h. Nugas agam. Atqui, cum me ad histo-
ricos legendos conservo, nihil est quod magis intelligen-
tiam meam remoretur, vel potius nihil est quod me ma-
gis perturbet, quam descriptio locorum, vel fluminum,
ea de causa, quia hæc mihi contigit nunquam aspicere.
At vide, quantum in hac re oculi possint, ut scriptores
egregios, quod melius possent urbium ac regionum situs,
stylo, tanquam penicillo, describere, longas peregrina-
tiones fuscipere, maria transmittere, atque in ea loca
venire, non pignerit. Crispus Sallustius, res Punicas
scribere aggressus, quo venustius &c ad veritatem aptius
ea, qua vellet, exprimeret, eam regionem adiisse ac to-
tam diligenter perlustrasse oculis dicitur. Facete Me-
fennio, apud Plautum, in Menæchmis, domiao sno, qui
fratrem quærens geminum germanum suum, Istros,

Hispanos, Massilienses, Illyricos, mare superum omne, Græciamque exoticam, orasque Italicas omnes, qua e-
reditur mare, erat circumvectus, *Quin nos, inquit, do-
mum redimus, nisi si historiam scripturi sumus?* Ut hinc
satis appareat, volentibus regiones describere, necessa-
rium esse in eas iter arripere, atque earum imagines,
oculis acceptas, oratione depingere.

P L U S. Si hac una tantum in re historia claudicaret,
ac ceteris partibus recto, ut dicitur, tali consisteret, pu-
tare in, scriptoribus ignoscendum, neque cum eis ma-
gnopere expostulandum.

E U T Y C H. Multum sane debilis ac manca ea futura
est historia, quæ in urbinum locorumque situ describen-
do, regionum ignoratione, à veritate, quantum potest,
aberret: præsertim si sint Imperatorum res gestæ nar-
randæ, in quibus explicandis referenda sunt itinera, qui-
bus suas illi copias duxerint, loca, ubi castra posuerint,
ubi prælio decertaverint, quid ipsis incommodi iniqui-
tas loci attulerit, quo se hostes ex fuga receperint, ubi
insidias locaverint. Ad hæc interfluentium amnium
cursus exponendi, valles, montes, silvæ, rupes, urbium
& castrorum situs, atque alia ejusmodi, presso eleganti-
que stylo, tanquam peniculo, delineanda. At quam fre-
quenter ac fœde labatur & cadat oportet, qui in loco-
rum ignoratione versetur! Fiet enim, ut ibi vallem
subsidere dicat, ubi mons sese attollat, atque ibi, per æ-
quatas agrorum planicies, magna vi agentem undas sese
fluvium evolvere, ubi nullus neque fons neque rivus
ad irrigandum locum excurrat. Iam vero ad reliquas
historiæ partes veniamus, quas Cicero, optimus omnium
earum rerum magister, quæ sint dictione explican-
dæ, libro secundo de Oratore, his verbis enumerat, *Vult
etiam (nimirum historia,) quoniam in rebus magnis, memo-
riaque dignis, consilia primum, deinde acta, postea eventus
expectantur. & de consiliis significari quid scriptor probet, &
in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum
sit, sed etiam quomodo; & cum de eventu dicatur, ut cau-
se explicitentur omnes, vel casus, vel sapientie, vel temerita-
tis, hominumque ipsorum, non solum res gestæ, sed etiam,
qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natu-*

Quæ cum ita se habeant, quo ore audebo Principeis vel Imperatoris cujusquam, quæ fuerint domi forisque, consilia proferre, qui non modo nunquam ad intimam ejus consiliorum cubilia pervenerim, verum etiam, utrum ater an albus homo fuerit, prorsus ignorem? Poterone rerum ab illo gestarum virtutes ac vitia laudare atque reprehendere, quarum rerum non modo perfectam exactamque notitiam nullam acceperim, sed vix earum auctorem, inanem vulgi rumusculum, habeam? Quis hominis cujusquam mores atque naturam se posse exprimere cogitet, qui arctissima vita consuetudine cum eo conjunctus non antea fuerit? Quid suam de rebus maximis sententiam exponere se velle polliceatur, qui nullam unquam Reip. cujusquam partem attigerit, qui nullo rerum, de quibus judicat, usu atque experientia polleat? Iam vero, qui, de bellorum exitu scribens, causas explicat, aut casus vel sapientiae vel temeritatis, eorum Resp. norit oportet, qui inter se bello contendunt. Exempli gratia, si vellem dicere, eum, qui, primo adventu, hostium copias profigasset, si uti victoria voluisse, omni eos imperio eversurum fuisse; non possem haec liquido affirmare, nisi mihi cognitæ essent ejus opes ac potentia, nisi pro certo tenerem, causæ æquitate, militum robore ac numero, ducum peritia atque virtute, auri argenteique copia, longe eum suis adversariis superiorem extitisse, qui non ita rebus omnibus parati, ac præterea nulla fere de causa, regnandi tantum cupiditate adducti, bellum non necessarium atque impium suscepissent: haec cum nossem, tum fidenter concluderem, si ad id, unde tam secundus flatus ostendebatur, dare vela volnisset, fore ut is facile omnes hostium suorum copias profigasset, eorumque urbes in suam potestatem redigisset. Magnus igitur rerum usus, magna cognitio, exquisita prudentia, ad scribendam historiam requiriuntur: quornm singula absunt à facultate mea longissime.

P l u s. Quid igitur esse dicam causæ, cur hodie tantum munus, ac tam arduum, iis præfertim demandetur, qui intra Religiosorum claustra ætatem agunt? num isti commissum sibi onus facile præ ceteris tueruntur ac sustinent?

EUTYCH. Si historiæ tractatio summum rerum u-
sum, ac præsertim summam rei militaris experientiam,
efflagitat, si incredibilem prope prudentiam, ut diximus,
poscit; quid tanta re dignum præstari ab iis possit, qui
non modo nunquam castra viderint, nunquam interiori-
bus belli consilii interfuerint, neque eos, qui ipsi inter-
fuerint, audierint, nunquam denique, ne minimam qui-
dem publici muneris partem attigerint, sed ne domo
quidem pedem extulerint, atque adeo ne hominum
quidem lucem aspexerint; in oratione mea non pono,
sed in existimantium arbitrio relinqu.

PLU S. Si eos arbitraris isto pacto, ut prædicas, cur
præsertim ad id opus conducuntur? cur non ad alios
potius recurritur, quam ad istos?

EUTYCH. Id hominum inscitia fieri arbitror, qui,
ut antea dicebamus, unicam historiæ laudem positam
esse putant in solo orationis cultu & nitore, in quo mul-
tum isti laborare dicuntur. Atque utinam illud genus
orationis afferrent, quod est historiæ in primis aptum,
fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili
profluens, plenum gravitatis ac prudentiæ. sed videre eos
licet, quemadmodum garriant, insaniant, orationis ge-
nus adament dulce & decoctum, sententiolis refertum
levibus, ac pueriliter magis quam acute conclusis, ple-
nissimum denique ineptiarum, inanissimumque pruden-
tiæ, &c, quod est intolerabile. Thucydidi, Herodoto, Sal-
lustio, Livio, ceterisque ex veteribus, palmam è mani-
bus se eripuisse existimant, cum florem, vel pomum, vel
hortos, vel fontem, vel alias ejusmodi nugas, scholasti-
co plane modo, ostentationis causa, describunt. Incidi
in unum ex ipsis, qui in delineandis deformandisq; malis
citreis ac limoniis, notissimis vulgatissimisque fructi-
bus, omnes ingenii industriaeque suæ nervos contendere-
ret, ac plures in ea re paginas consumeret. Audivi et-
iam alterum, ejusdem notæ scriptorem, in Sallustium,
Romanae historiæ principem, ac divinum hominem in
scribendo, scurriliter invehentem, illudentemque, velut
hominem nullius ingenii, putidique sermonis.

PLU S. At hic, me judice, imponendus erat in navi,
cum custodia, & mittendus Anticyras.

EUTYCH.

E U T Y C H. At magis admireris, si scias, quantus ille honor à suis habeatur. Non enim aliter, nisi deus historicorum appellatur. Plura etiam possem de istorum arrogantia profere; sed iis supersedeo, ne me Horatii, Persei ac Iuvenalis scrinia compilasse existimes. Neque solum historia, verum etiam tragœdia intra eadem claustra abrepta est, tanquam in vincula, quibus in carcerebus, etiam puerorum magistri, si diis placet, tragœdias docent.

P T U S. Quid? tragœdia etiam est paucorum hominum?

E U T Y C H. Non minus fortasse, quam historia. Nam, cum in tragœdia personæ inducantur, regali, ut inquit Horatius, in ostro conspicendiæ, virique omnium prudentissimi, qui fidele suis Regibus consilium de Rep. præbeant; quomodo Regis, quomodo prudentis amici partes tuebitur, qui non diu multumque versatus sit in aulis Principum, quiq[ue] eam Remp. in qua Reges illi extitisse narrantur, non penitus norit? *Consilium de Rep. dantis*, ut recte inquit Cicero, *caput est, nosse Remp.* Itaque, apud Græcos, tragœdiarum scriptores iidem fere fuerunt suarum civitatum moderatores, aut Regum maximorum familiares. Euripides in aula Archelai, Regis Macedonum, dintissime vixit; à cuius etiam canibus discerptus dilaceratusque narratur. Sophocles Atheniensium Remp. Prætor, qui honos apud eos summus habebatur, administravit. Ex Latinis Ennius, perpetius Scipionum, maximarum gentium victorum, cultor & comes in dividuis extitit. Ovidius, qui Medeam tragœdiam scripsit, ex qua præsertim, ut docet Quintilianus, licuit intelligere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset; utinam non tam familiariter Augusto ejusque filia usus fuisset: n[on] ille melius rei, melius famæ, melius saluti suæ consuluisse.

L. Annæus Seneca, & Senecæ Philosophi patris, ut aliquibus placet, & sua etiam observatione aulicos mores edoctus, incredibili majestate atque prudentia, in Octavia, Neronis saevitiam expressit, &c in aliis tragœdiis, Regum ac tyrannorum mores effinxit. At ii, qui sunt harum rerum rudes, Reges ac Reginas

ea s̄æpe loquentes faciunt, quæ opifices in tabernis, combibones in popinis, & mulierculæ in fullonicis blaterant. Nihil dicam de stylo, quo illæ scribuntur. Deus bone, quam multis obscuræ dictionis tanquam tenebris acutissimæ earum sententiæ obducuntur! ut verba, quæ lumen orationi debeant afferre, multorum illa interpretum explicationibus, tanquam luminibus, egent, quo possint intelligentiæ cuiusquā acumine percipi! Translata vero, quæ necessitas genuit, illustrandæ ornandæque orationis studium exceptit, delectatio jucunditasque celebravit, in quibus primum obscuritas fugienda est, tum videndum, ne longe simile sit ductum, deinde cendum, ne, quod transfertur, majus sit quam res postulet, vel durius quam aurium voluptas exposcat, vel invercundius quam in alienam domum venientis modestia desideret; hæc, inquam, translata, verbis dici tantum non potest, quam, re ipsa, sunt longe accersita, immania, impudentia, obscura, ut ad ea intelligenda opus sit Oedipo, vel, ut ille inquit, nisi Sibylla, ea interpretari non alias quisquam possit. Vivit adhuc vir princeps, qui, cum unnam mihi ex istis tragœdiis dedisset in manus, ut legerem, miratus est, unum à me diem prope integrum in prologo intelligendo esse contritum, neque tamen me esse assicutum, cum, in eo percipiendo, omnes nervos ingenii industriæque meæ contendissem, ut ad intimam ejus intelligentiam pervenirem. At fortasse inquiet, ex ingenii mei tarditate, vel ex mea potius inscitia ortum esse, ut quod vellem non assequerer, qui adhuc ne suspicari quidem potuerim, quæ sit Latini sermonis virtus, integritas, vis, gravitas, elegantia. Id si dicant, hæro, quid respondeam non habeo, vixtus cedo, manus do.

PUS. Mitte isthæc. num tu igitur, ut ad historicos revertatur, neminem esse censes ad scribendas historias idoneum, nisi eum, qui sit etiam versatus in rebus agendis?

EUTYCH. Ita censeo.

PUS. Num tales fuerunt ii, quorum scripta versantur in manibus?

EUTYCH. Omnes fere in suis civitatibus clari & magni

magni fuerunt. Atque ut de Pherecyde & aliis taceam, Herodotum, qui princeps genus hoc illustravit, versatum in Rep. accepiimus; à qua demum, sponte civium suorum invidiæ cedens, excessit, ac Thuriis in Italia præstantissimam illam historiam, quæ teritur omnium manibus, condidit. Thucydides, cui primas Græci deferunt, quod dicendi artificio, verborum pondere, sententiarum numero, ceteros facile vicerit tum eos scriptis libros, ut inquit Cicero, cum à Rep. remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum erat, in exilium pulsus esset. Theopompus & Ephorus, ex clarissima Isocratis schola, tanquam officina, egressi, tum ad res magnas gerendas, tum ad scribendam historiam, à magistro impulsi, se contulerunt. Xenophon quoq; Socraticus, à Philosophia profectus, & Rēp. gessit, & exercitus duxit, & præclara alia facinora fecit. Vnde Callisthenes tantam vim rerum varietatemque, de quibus scribebat, unde prudentiam, qua in scribendo uteretur, accepit, nisi ex consuetudine usque Magni Alexandri, cui sese comitem addidit? Longum esset singulos ex Græcis referre, qui in hac agendi scribendique simul laude viguerunt: sed paucos etiam ex nostris enumerabo, hac eadem scribendi gloria longe præclaros. C. Cæsar, populi Romani, omnium gentium victoris, triumphator eximus, summa eloquentia insignique prudentia, res à se gestas, suis scriptis, immortalitati mandavit. Et sane, nulla nobis illustrior neque uberior scribendi materia subjici potest, præter eam, quam res à nobis gestæ pererunt: ut hoc Phoenicem illum, apud Homerum, intellectisse crediderim, qui se à Pelio patre Achilli juveni comitem esse datum dixit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. Crispus quoque Sallustius Remp. suscepit, Quæsturam & Tribunatum gessit, Africam interiorem Prætor obtinuit. Et sane, non poterat tanta illi in scribendo virtus, non tam multis reserta sententiis oratio, non denique princeps inter historicos locus, sine Reip. tractatione, atque adeo sine orbis terræ procuratione, contingere. T. vero Livium, maximis districtum negotiis, ac peritum Reip. fuisse, declarant in primis, sermo ejusdem gravissimus, senten-

tiæ acutæ atque frequentes, conciones disertissimæ, plenæque prudentia, postremo illa ejus gravis, rei Romanæ, ob corruptos suorum civium mores, ambitione, luxuria, avaritia, pessum euntis, querela, quibus moribus offensus, se à Rep. removerat, atque ad scribendas populi Rom. res gestas traduxerat. Vnde autem Cornelius Tacitus sapientissimum illud dicendi genus, unde tantam vim prudentiæ, unde summum judicij acumen acceptum referre debuit, nisi ex Cæsarum aula, in quam, ad penetrandos intimos virorum principum sensus atque consilia, sese totum immerserat? Summa denique hic redit, ut prudentia, qua præsertim redundare debet historia, non aliunde in nobis, nisi ex rerum usu pariatur.

P l u s. Cum multa, hac ætate, memoratu digna extiterint, cur non aliquis ingenio, prudentia, ac rerum usu excellens, ea litteris tradit?

E u t y c h. Non desunt fortasse, qui scribant: at si ego omnibus illis laudibus, quas modo complexus sum, excellens existerem, nutquam hanc operam sumerem. Nam cum Antonius, apud Ciceronem, doceat, primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis; profecto, qui huic legi obtemperare conetur, verendum illi est, ne styli poenas graves acerbisque persolvat. Nam, si quid perperam, inepte, imperite, vel cum aliquo alio vitio, à quopiam factum exponat, continuo violatae alterius existimationis criminè condemnabitur, vel saltem, ut omnes dii adjuvent, quidquid ingenio studioque ac multorum annorum labore pepererit, tanquam Reip. perniciosum, edito prohibebitur, aut Vulcano mandabitur. fortasse non sine magna æQUITATIS justitiæque ratione. videtur enim ad communem summorum hominum contentum ac dedecus pertinere, si liberum sit cuiquam, Regis vel Principis cujusquam res male gestas, perpetuis monumentis consignatas, posteritati mandare. **Q**uod si Iovio, Guicciardino, aliisque ejus ævi scriptoribus, in hoc seculo nasci contigisset, vel ii perpetuo tacuissent, vel, nisi malam rem quærerent, ad alia studia se transtulissent,

fent, nec historiam omnino attigissent. Adeo existimationis bona studio flagramus. Quin etiam hodie, mercede conducti, summorum Imperatorum res gestas scribunt, quorum scripta ita in existimantium arbitrium veniunt, ut non modo sententiæ, verum singula etiam verba, artificis, ut ita dicam, statera, examinentur, ne quid fortasse in eis lateat, quod eorum famam, pro quorum gloria laboratur, offendat. Ut jam non aliorum res gestæ, sed præclara eorundem in Remp. merita, non floriarum, sed landationes & elogia mera, scribantur. Vide igitur, quæ fides penes ea esse possit, quæ non ad fidem historiarum traduntur, sed ex alterius libidine ac voluntate finguntur.

P l u s. Quandoquidem se ita res habet, ab historia abstineas censeo, &c, quo genere scriptionis potissimum lubeat, animo obsequaris.



F 5 DIA-

DIALOGVS TERTIVS.

HVGONI VBALDINO
V. C. Basilicæ Apostolorum principis Ca-
nonico , & Archidiacono,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



*N*tibi, Hugo clarissime, Dialogum, quem sum pollicitus de tolerantia malorum, ex meorum temporum ratione conscriptum. Multa enim mihi patientia opus est, ad eam vim morbi tolerandam, qua jam diu me habet obsessum, ac nondum adduci potest, ut deserat. Miraberis fortasse, id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: ac illud video te esse moleste laturum, quod eam tibi orationem affinxerim, que longe sit infra tuam doctrinam atque sapientiam. nam quanto tu plura ac meliora in medium attulisses, si vere, ac non à me inductus, has partes suscipere voluisses! ut me, cohortationibus tuis, ad tolerantiam malorum excitares! Sed, Hugo mi optime, dum meum animum confirmare, ne dolori succumbat, enitor, queso patere, hanc tibi ineptam, neque satis cum tua doctrina congruentem orationem adscribi. Immo, si tibi cordi sum ut praefers, si mei te miseret, quam habes in pectore constructam atque reconditam, ad hanc rem, argumentorum copiam, proferes, & ad meam utilitatem conferes. Meum erit deinde, que à te docte sapienterque dicentur, literis consignare, ne excidant; quo mihi aliisque, ad similiūm perpeſſionem malorum, usuiſint. Vale.

DE

DE TOLERANTIA M A L O R V M.

NICIUS. HUGO.

NICIUS.



Viamvis tuus in me amor notus mihi
semper fuerit atque perspectus, hodie
tamen ita enituit, ut de eo dubitare non
liceat. Venisti enim domum meam ad
me, ut tuo jucundissimo vultu, suavissi-
maque oratione, jacente meum ani-
mum excitares.

HUGO. Missa isthac face. quin tu dic breviter,
quid tibi evenerit, quamobrem consolatione mea indi-
geas.

NICIUS. Multis ac magnis, ab hac invaletudine,
qua mihi usum etiam pedum adimit, premor ærumnis
atque laboribus.

HUGO. Pulchre, te esse mortalem, atque ex Adæ se-
mine progeneratum, ostendis. nulli enim rei ita natus
est homo, ut ferundis miseriis.

NICIUS. Ego vellem quietam ac jucundam vitam,
atque ab omni dolorum molestia sejunctam.

HUGO. Rem difficilem, ac paucis concessam, exo-
ptas. Nam quotusquisque ille est, cui Metelli fortuna,
hoc est, constanter propitia, contingat? Nam, si velis
replicare memoriam temporum, unus aut alter, perpe-
tua hac felicitate usus, occurret; ceteros vero omnes,
humanæ conditionis velut torrente abreptos, &c in plu-
rimas ærumnas abstractos, invenies.

NICIUS. Pessime hominum generi, rerum natura
consultuit: Quod enim animal, ob singularem ejus digni-
tatem atque præstantiam, præcipua quadam charitate
complecti debebat, huic præcipuam legem injurie defini-
vit, atque ex omnibus unum elegit, quem irruenti-
bus undique malis, tanquam signum, oppoueret.

HU-

Hugo. At homini quidem, ab initio ortus sui, tranquilla atque affluens omnibus voluptatibus vita congerat; sed, sua ipse improbitate atque malitia, fese in profundum omnium malorum injectit.

Nicetus. Cur homo, qui præcipua divini amoris parte continetur, ut innumera Dei beneficia in eum collata declarant, non statim, ut decidit, erectus ab eo est, & in pristinum felicitatis locum revocatus?

Hugo. Quid ais? non id egregie ab eo elaboratum est, atque perfectum? Nam quis afflictum ac jacentem hominem erexit? quis eam nobis felicitatem perdit, quæ post hujus vitæ spaciū, fortiter decursum, acceder, nisi morte sua Christus Dominus, Deus simul & homo? nonne multo plus attulit, quam erat amissum?

Nicetus. Cur non eam etiam felicitatem recuperavit, hujus vitæ propriam, & in quam homo conditus erat?

Hugo. Quia, post Adæ prolapcionem, nihil homini expediebat minus, quam secura ac nullis casibus obnoxia tranquillitas.

Nicetus. Qui fieri potest, ut ea nocendi vim habeant, quæ omnium fere concessu, numerantur in bonis?

Hugo. Vnde accedit, ut vinnm, & condita eleganter obsonia, ægrotantibus noceant, contra, sitis, inedia, infuso, ac missio sanguinis, sanitatem & salutem apportent?

Nicetus. At ego ex optimis quibusque Philosophis didici, homini, qui constet ex animo & corpore, quique conservationem sui propositam habeat, nihil tam convenire, quam eam vitam, quæ sit animi & corporis expleta virtutibus.

Hugo. At ex illis duabus partibus, quibus hominem constare dixisti, utra illi esse charior debeat? eane quæ fragilis est atque caduca, an illa quæ stabilis, firma, nec communi ceterarum rerum fato subiecta?

Nicetus. Quis nescit, eam cuique cariorem ac jucundiorem esse oportere, quæ sit nobilior atque perfectior?

H u-

HUGO. Cum igitur sit animus corpori , longo intervallo , superior , nonne æquum est , ejus nos magis commodis utilitatique operam dare ? nonne longe honestius est , ejus nos juris defensores ac pro zugnatores existere , adversus eos , qui illius imperium usurpare , auctoritatem minuere , dignitatem affligere ac labefactare conantur ? Atqui in iis , quæ animum oppugnant , tanquam dux & auctor est corpus ; immo nullam nocendi vim habent , nisi à corporis robore & audacia animum ac vires accipient .

NICIUS. Non video , quid corpus peccet , cum suas omnes partes valere , vigere , ac naturales suos motus ususque habere , ut nec absit earum aliqua , neque ægra aut debilitata sit , optat . Nam illud videtur optare , quod naturæ ipsius conveniens est maxime .

HUGO. Si intra hos fines sua vota contineret , laudabile esset studium ipsius , vel saltem nullius reprehensioni subjectum : sed robore ac viribus præstans , progradientur longius , & contra rationis præscriptum (quo sensibus indulget) in vetitas atque impermissas res , cupiditates suas effundit ; quas sane contineret , si , ægrum & infirmum , rerum suarum satageret , hoc est , de salute cogitaret , vel , extrinsecus damno affectum , de remedio solicitum esset . Quod si velim recordari eos , quos res adversæ in officio continuerunt , prosperæ ac secundæ ab eodem abduxerunt , dies me deficiat : verum panceros & illustres , ex sacris litteris , proferam . Populus Israel , dum adhuc servitutis jugo premebatur , sobrius ac demissus , Moysis dicto audiens fuit ; at postquam in deserto , epulis cælestibus innitritus , ac rebus omnibus necessariis , ad satietatem , instrunctus , liberam ac deliciis affluentem expertus est vitam , Moysis obedientiam abjecit , projectique sese in omnem imperatorem atque nequitiam . Quid David ? qualis vir erat & quantus , dum à Saule insidiis expetebatur ! At , simulac regno potitus est , atque opibus ac divitiis locupletatus , nonne inventus est similis ceterorum , qui , prosperis successibus ebrii , æqui bonique fines excedunt ? Ecce autem , est ante oculos Rex Ezechias , quem à Rege Assyriorum , armorum ter-

tore

rore minisque perterritum, videbis probum, demissum, hunc stratum, cilicio coniectum, lacrimis madidum, in preces fusum; eundem vero, victoriis elatum, opibus auctum, divitiis ornatum, cernes tunidum, consumatum, Deoque minus obsequentem. Omnino sic comparatum esse videtur, ut res secundæ, & ad voluntatem euntes, animos tollant, communis conditionis notitiam admant, Dei memoriam ex animo sapienter evellant. Quamobrem dictum est illud à Moysi divinitus, *Comedens, & bibens, & impletus, memor sis Domini Dei tui.* Nullo enim tempore, magis videtur homo admonendus, ut Dei memoriā teneat, diligenterque custodiat, quam cum est satur. Nam sāpe saturitas, Dei oblivionem in eum inducit, qui immodico potu ciboque obruitur.

NICIUS. Cur, post Adæ peccatum, tanta insunt momenta, ad recte vivendum, in his malis, quæ ipse in humanum genus invexit?

HUGO. Quia hæc in primis appetitus nostros, qui post peccatum tanquam equuli effrenati vagantur, rationi costrictos tradunt, adeo ut vix commovere se audiant. Propterea inquit David, de rebus asperis & adversis agens, *Declinasti semitas nostras à via tua.* Sed libet afferre, quæ ad hunc locum adnotavit Augustinus. *Semita enim nostra erant in voluptatibus seculi, semita nostra erant in prosperitatibus temporalium rerum; tulisti semitas nostras de via tua. quid est, declinasti semitas nostras, de via tua? tanquam diceret nobis.* In tribulatione positi estis, multa patimini, multa quæ amabatis in hoc seculo amissitis, sed vos non dimisi in via, quam angustam vos doceo. latas semitas querebatis; quid vobis dico? hæc itur ad vitam sempiternam; quæ vultis ambulare, ad mortem pergitis. Hæc Augustinus. Quibus accedit, quod, quantum corpori virium admittitur, tantundem roboris additor animæ. Vnde Paulus Apostolus, *Tum fortior sum,* inquit, *cum infirmus fio.* Neq; quidquam tam propositum fuit Christo, quam ostendere, nullam esse fortiorem, contra arrogantiam, contra spiritus nostros, medicinam, quam per pessimum dolorum ac malorum. Quamobrem, in Euangilio, nihil nobis jucundum, nihil suave polli-

pollicetur, sed contra, omnia ardua, omnia difficultia, ac foeda promittit: nimirum odia hominum, jacturam bonorum, ignominias, adversam valetudinem, contumelias, exilia, carceres, crues; denique, quidquid horrendum ac formidabile excogitare tyrannorum saevitia poterat. Videbat enim, maxime his rebus tumorem superbiæ nostræ demitti, libidinis ardorem temperari, ac prope restinguiri. Tu autem, cum omnia tibi fausta ac felicia polliceris, illud promittis, cuius, in Euangelio, spes nulla ostenditur. Præterea, cum ea, quæ Christus velut optima elegit, tu ut pessima rejicis, quæque ille contra, ut mala, refutavit, tanquam optima expetis; perperam illum de rebus bonis malisque judicasse coarguis, ac pessime in te consulis, qui medicinam, ad tuos morbos curandos aptissimam, à salute tua repellis.

N I C I U S. Vis hæc morbi, quæ tot menses ita obstinate dat operam, ut me miserum perdat, cogit me rursus illud optare, quod antea optabam, videlicet, ut sua Christus morte eas à nobis ærumnas propulsasset, quibus ante peccatum Adami carebamus.

H U G O. Næ tu homo es impudens, qui te ab his malis eximi postulas, in quibus Christus Dominus, creator ac redemptor noster, pro nobis hærere, præclarum atque jucundum existimavit. Deinde, cur hæc à te conaris abjicere, quæ voluit nobis Deus, tanquam segetem ac materiam victoriarum triumphorumque, relinquere? Etenim, quibus ex meritis tibi coronam justitiae deberi contendas, si omnis pugnandi necessitas cesseret, si omnis plane hostis, quicum certes, suminovetur? Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

N I C I U S. Ego, postquam satis sunt ea calamitate attritæ res meæ, quam ob mea superiora flagitia atque peccata mihi Deus infixit, nihil me commeruisse meinini, quod tantam ejus in me severitatem exposceret.

H U G O. Numquid, ex eo tempore, tu sanctior factus es Iobo, innocentior Joanne Baptista? Num plaga, quæ tibi insidet, eā altius inhærret, quam utriusque illorum Deus infixit? Nam Iobus, cui, Dei ipsius testimonio, nemo par similisque inveniebatur, traditus est Dæmoni,

ni, qui omnibus eum vexaret injuriis, atque, tanta hac licentia sibi permissa, ita in eum acriter vim suam exercuit, ut nullum genus injuriarum aut malorum prætermiserit, quo non in eum debacchatus sit. ejus enim domos evertit, messes combussit, liberos enecavit, pecora interemit; nullum in toto ejus corpore vacuum ulceribus locum reliquit. Alterius vero, nimirum Ioannis, spectatam probitatem indignamque necem, non possum pluribus atque ornatiōribus verbis efferre, quam D. Gregorius Magnus exponat; qui in libris Mora- lium, utramque rem elegantissima oratione prosequitur. cuius tibi verba recitabo, si non piget audire. nam memoria teneo.

Nicetus. Mihi & lubet & pergratum est. Etenim nihil tam cupio, quam aliquid ex te audire, quod dolorem meum, si non tollat, at aliqua saltem ex parte leviorē efficiat.

Hugo. In eo igitur opere, quod dixi, ita inquit, Ecce autem, dum B. Iob vulnera cruciatusque considero, rebente mentis oculos ad Ioannem reduco, & non sine gravissima admiratione pēpendo, quod ille prophetia spiritu intra matris uterum impletus, atque, ut ita dixerim, prius, quam nasceretur, renatus, ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierum major nemo surrexit, ille sic Propheta ut plus etiam quam Propheta, ab inquis in carcerem mittitur, &, pro puelle saltu, capite truncatur, & virtute severitatis, pro risu turpium, moritur. num credimus aliquid fuisse, quod, in ejus vita, illa sic despecta mors tergeret? sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo & mel silvestre edit? quid Deo, vel de qualitate sui tegminis, deliquerit, qui camelorum pilis corpus operuit? quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? quid illum loquacitatis noxa polluit, qui disjunctus longe ab hominibus fuit? quando illum vel silentii culpa attigit, qui tam vehementer ad se venientes increpavit, dicens, Genimina viperarum, quid demonstravit vobis effugere ab ira ventura? Hæc Gregorius. Sed istorum, quos jure tam miris laudibus extulit, ærumnarum ac miseriarum non obscura est ratio. Nulla enim ipsorum merita tantam eis vim malorum concitabant; sed, ipsorum

rum cruciatu , posteritati omnium seculorum , quibus nati erant , in exemplum patientiae consulebatur. Etenim , ea fortitudo animi , ea virtus , nisi sic tentata esset , in occulto delituisse ; nunc autem , velut fax quædam , malis omnibus tanquam ventis exagitata , clarius enitescit. Vel dici potest , ideo eos gravius ad terram elisos esse , quo altius extollerentur , ac majoribus in caelo præmisdecorarentur.

N i c t u s. Nunquam profecto , tantam in te memoriae vim esse , existimassem , nisi hodie expertus didicisse. Deus bone , quot versus quam cursim recitasti ! quam apte ad rem , de qua agitur , quam scienter protulisti ! ut nunquam haesitasti ! Iam illud mirari desino , quod antea mirabar , summæ sapientiae laudem tibi , omnium conceisu , deferri , cum tantam vim rerum ac sententiarum , perceptam intelligentia , & comprehensam memoriam , habeas.

H u g o. Supersede istis rebus , atque animum ad ea , de quibus est nunc sermo , adverte. Tu , qui ita innocentiam tuam jactas , quæso , in tuos mores ac vitam acutius inspice , diligentius inquire , perscrutare , si quid in ea , tali ac majori etiam pena dignum , admiseris . nam , si iniquus in te judex esse nolneris , multa tibi occurrent , quibus conscientia teste evictus , justam in te sententiam dicas.

N i c t u s. Ego non sum tam audax , tam amens , tam impudens , qui me peccasse inficier : sed quia , ut antea dixi , divinae majestati satis poenarum dedisse existimabam , ideo meo in animo præteriorum scelerum memoria exolevit.

H u g o. Itane , præsentem poenam quereris , peccata commissa , quorum sordes , si ad infinitam Dei personam , cui præsertim injuria nostra fuit illata , respicias , nullis poenis nec vita ipsa elni possunt , non me ministi ? quia non statim peccato prope par poena successit , ideo te divinae severitati elapsum esse existimavi sti ? vel , quia interdum levi aliqua animadversione fuisti à peccando deterritus , idcirco arbitratus es , te omnibus periculis fuisse defunctum ? an Deum ignorabas in beneficiis tribuendis celerem esse , in poenis suppliciis

que irrogandis tardum? Deus, inquit Ecclesiasticus,
est patiens redditor. Non tamen hæc improbis patientia
quidquam de pœnæ gravitate decerpit, aut ullum eo-
rum facinus inultum impunitumque dimittit. Nam, ut
recte à sapienti doctoque Poëta est dictum,

Raro antecedentem sceléstum

Deseruit pede pœna clando.

N i c i u s. Ergo non licet mihi defere fortunas
meas? non licet conqueri, lamentari, quod plerunque
miseris est unicum in consolatione residuum?

H u g o. Audi consilium vocemque meliorem, alte-
rius, qui, quemadmodum tu ipse, peccaverat, sed, ca-
stigatus à Deo, didicerat, quid boni secum afferret, im-
missa ad correctionem vitæ, calamitas. Bonum est,
quia humiliasti me; ut discam iustificationes tuas. Quasi
diceret, inquit Augustinus, didici elatus iniquitates meas,
discam humiliatus iustificationes tuas. Sed iniquus plane
ne es præter æquum & bonum. Quid? peccatum tuum,
quod (si Deum intuearis, cuius, ut paulo ante dixi, di-
vina majestas, quantum in te fuit, imminuta est,) in-
finitam vim mali complectitur, leve ac contemnendum
tibi videtur, pœnam autem, patro sane animo ab eo-
dem tibi infictam, gravem & intolerandam existimas?
Quod si peccatum tuum in una, pœnam autem, quam
suffices, quasi in altera libræ lance constituas, secus fa-
teri cogeris. Nam ea lanx, quæ peccatum contineat,
erit, mihi crede, illa altera longe depresso, in qua pœ-
na collocetur.

N i c i u s. Si ex suis quisque meritis à Deo accipia-
tur, multis, quibus nunc bene est, pessime eveniat: sed
cur tam multi, qui in eodem, in quo ego nunc versor,
improbatis gradu consistunt, non etiam eodem cala-
mitatis jure comprehenduntur? vel saltem, cur, tot lon-
ge me deterioribus relictis, in me unum divinæ iracun-
diæ severitas irruit?

H u g o. Non possum ad hæc tibi planius respon-
dere, quam ipse Augustinus faciat. Ille igitur interro-
gationi tuæ satisfaciet; qui in explicatione Psalmi quar-
ti & septuagesimi, ad eum locum, *Nolite loqui adver-
sus Deum iniquitatem*, sic ait: *Quid solent homines di-*
cere?

cere? Vere non judicat Deus de rebus humanis, & est illum judicium Dei; aut, Vere curat, quid agatur in terra? tam multi iniqui redundant felicitatibus, innocentes premuntur laboribus; sed illi accidit nescio quid mali, castigante Deo & admonente, & novit conscientiam suam, novit, pro merito peccatorum suorum, aliquid se posse perpeti, unde argumetetur adversus Deum, quia non potest dicere. justus sum, quid putamus eum dicere? sunt peiores iniqui & tamen ista non patiuntur. Hac est iniquitas, quam loquuntur homines adversus Deum. Videate autem quam iniquum sit; dum vult, se justum videri, illum facit injustum. Qui enim dicit, Inique patior, quod patior, illum iniquum facit cuius judicio patitur, se autem justum qui iniquus patitur. Ex quibus Augustini verbis apparet, quæ tibi modo verba exciderunt, hanc habere sententiam, ut Dei iustitiam è mundo tollant, Deumque, iniquitatis nequitiaeque, coarguant: vel, quod verius est, indicant, te esse injustum, & loqui adversus Deum iniquitatem.

N i c i u s. Si neque homini licet conqueri de suis miseriis, neque se cum deterioribus comparare, qui, extra omnem pœnam, ociosam ac bonis omnibus afflentem vitam exigunt; quid mihi auctor es ut faciam?

H u g o. Quod Jobus, quod David, quod ceteri omnes fecisse narrantur, quos, in exemplum fortitudinis sapientiaeque, omnium seculorum ætas adspexit; quod etiam Christus in Euangelio, disertis verbis, faciendum edixit, qui, apud Matthæum, Christianæ virtutis præcepta tradens. Cum aliqua, inquit, vobis dolendi lugendique offertur occasio, cum gaudio ac voluntate eam arripite.

N i c i u s. Quoniam sermonis Christi, apud Matthæum, facta mentio est, fortasse eo loco Christus videri cuiusdam possit, in principiendo progredi longius, ac præsertim, cum de iis hominibus loquens, qui falso ad aliquod crimen consciuntur, Si, inquit, perfecuti fuerint vos homines, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete & exultate. Nam, si dixisset, Injuria & contumelia affecti, querelis & lamentationibus parcite; magnam quidem rem imperasset: non enim silice nati sumus, ut doloribus non

commoveamur, sed cum postulet, ut gaudeamus, ut ad res acerbissimas gravissimasque voluptatem atque lætitiam afferamus, videtur jugum cervicibus nostris imponere, quod ferri tolerarique non possit.

H u g o. Ne tibi hoc, nefas aut incredibile videatur; scito, jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ ita factitatum esse; primum ab Apostolis, qui virgis cæsi, à conspectu Concilii gaudentes discessisse narrantur, quoniam digni habitus essent, pro nomine Iesu, consumeliam pati: tuin ab illis Christianis, fortasse rusticani hominibus & iudeis, quibus Paulus Apostolus per litteras gratulatur, quod jacturam bonorum suorum, cum gudio sustinuerint: deinde à pluribus Martyribus, quorum inter varios cruciatus, inter sonitus crepitusque plagarum, nulla fere alia vox exaudiensbatur, nisi hilaritatis lætitiaeque plenissima: postremo ab ionumbris fere aliis, qui, tanta cum alacritate animi, paupertatem, injurias, contumelias, exilia, damnationem ferebant, ut iis solis delectari viderentur. Ac, ne sine exemplo id ab iis factum videatur, audi, quid loquatur David; qui Deo gratias agens, quod Dei beneficio, in summa calamitate, ingentem alacritatem expertus esset, *In tribulatione, inquit, dilatasti mihi Causam ejus lætitiae fuisse*, ait, latum & extensum quendam campum, in quem ex ea doloris angustia, & quasi contractione, pervenisset. Neque id veteribus Philosophis fuit incognitum, non iis solum, qui sumum bonum in virtute ponebant, sed iis etiam, qui, deinceps voluptate, negabant intelligere, quid esset bonum. Nam hujus sectæ dux atque auctor Epicurus, tantam sapientiae vim tribuit, ut, qui ea prædictus sit, si uratur, si excrucietur, si Phalaridis tauro includatur, dicat, *Quam suave est hoc! quam hoc non cur!* Possem etiam multos ex antiquis enumerare, in hac fereundi lande plane admirabiles: sed nostrorum exemplis, quibus abundamus, magis delector.

N i c i u s. Audio. At debuerat David, qui ex hac quasi contractione malorum ad summam sibi lætitiae latitudinem aditum patefactum esse gloriatur, aperire nobis hunc campum, vel saltem debuerat digitum ad eum in-

intendere, quo, ejus demonstratione edocti, eodem, sine ullo errore, perveniremus.

H U G O . At patefecit Paulus Apostolus, cum scribens ad Romanos, *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit*. Possimusne, per hujus vita labores & incommoda, in latiore patentiorumque campum evadere, siquidem per eas, ad res maximas lateque patentes virtutes, patientiam, probationem, ac spem futurorum bonorum egredimur? quis, praetanto lucro, non omnes, quotquot sunt ubique, labores & arumnas pro nihilo putet? sed quid, inquam, pro nihilo putet? nonne etiam cessantes easdem in se attrahat atque derivet? Potest etiam ita Davidicum illud intelligi, *In tribulatione dilatasti mihi*, hoc est, maximam, ex perpeſſione malorum, mihi lætitiam periferisti. Nam, quemadmodum dolor est contracțio animi, ita ex contrario lætitia est ejusdem effusio ac dilatațio; quæ quidem lætitia ex illa certissima æternorum præmiorum spe maxime oritur.

N I C I U S . At ego, hebes ac tardus, non possum ingenii mei acumine comprehendere, quomodo res diversæ, maxi meque inter se disjunctæ, sicut est voluptas & dolor, gaudium & tristitia, copulari possint atque conjungi. tu, qui es acutior ac perspicacior, edoce.

H U G O . Hinc maxime Dei vis ac potestas elucet, qui res diversas atque pugnantes con junxit, & quodam quasi fecdere amicitiaque constrainxit. Quid est tam inter se contrarium, quam ignis, flamas late diffundens, atque aura, ad leniendum calorem leniter afflans? & tamen, in fornace Babylonis, Deus rem utramque con junxit. Quid est tam inimicum leonibus, fame sitique enectis, quam humanitas mansuetudoque? & tamen utrumq; junctum copulatumq; Daniel aspergit, atque admiratus est, in lacu leonum. Atqui, ne putas, hæc me, ostentandi ingenii causa, ex meo sensu depromere, audi, quid D. Io. Chrysostomus, in commentatio ejus Psalmi quem modo commemoravimus, afferat. Et quomodo in tribulatione, inquit, fuit dilatatio? Quemadmodum in trium puerorum fornace, quemadmodum in lacu leonum. Non enim ex-

tinxit flammam, & tunc fecit, ut ipsi essent in campo libero
 & aperto; neque occidit leones. & tunc securos eos reddidit:
 sed & illic fornace vehementer ardente, & hic feris manen-
 tibus, justi difficultatis molestiam non senserunt, sed tuti &
 securi fuere. Hac Chrysostomus. Sed, ne semper necesse
 habeamus confugere ad miracula; nonne miles fert in
 bello labores? nonne fert famem, sitim, aestum, ac fri-
 gus? nonne excipit vulnera? nonne irrumpit in armatas
 hostium copias? nonne adit apertum vitae periculum?
 nonne millies morti se offert? quid? nonne sunt haec aspe-
 ra, acerba, gravia, difficilia perpessu? attamen, audebis
 ne dicere, cum ad bellum miles progreditur, tristem in-
 vitumque prodire? immo nihil videtur eidem longius,
 quam dum signum pugnæ, buccina detur, quam dum
 acies concurrant, & aperto marte cum hoste configant.
 tum tristis ille est, tum mœret, tum queritur, cum in
 tabernaculo segois inersque detinetur, neque aliquam
 fortiter agendi patiendiq; facultatem materiamq; nan-
 ciscitur. Vides igitur, sine aliqua miraculorum ope au-
 xilioque, rerum asperitate acerbitatemq; cum sum-
 ma animi alacritate & voluptate conjungi? Quod si facit
 hoc, in re militari, laudabilis quidam ardor, honoris &
 gloriae, quanto nos alacrius solidioris gloriae bonorum-
 que æternorum cupiditas in omnes hujus vitae fluctus
 impellet? At, si nihil aliud, illud certe, ut gaudeamus rebus
 adversis, efficiet; quod, hac in re præsertim, verus Chri-
 sti miles agnoscitur. Si nemo miles dignus est hoc no-
 mine, qui cum hoste congregi nolit, qui prælio exce-
 dat, quique nullum virtutis suæ speciem edat; ille
 Christiani nomine gloriabitur, qui cum humanis misé-
 riis, quibuscum omnis fere nobis res est, componi recu-
 set, qui semper in deliciis haberi, qui nunquam esse
 miser, velit? Quamobrem Augustinus ita eum alloqui-
 tur, qui nihil sibi mali in vita contigisse gloriatur: Si pu-
 tas, te non habere tribulationes, nondū cœpisti esse Christia-
 nus. & ubi est vox Apostoli, Omnes qui volunt pie in Christo
 vivere, persecutions patientur? Si ergo non pateris pro Christo
 ullam tribulationem, vide, ne nondū cœperis in Christo
 pie vivere. At, ne quisquam existimaret, posse sibi, vel
 cuiquam alteri, piam in Christo vitam sine aliqua re-
 rum

rum adversarum admisitione contingere; prorsus neminem, ait Apostolus, à Deo eximum haberi, sed omnes Christianos, quotquot adhuc fuerunt vel sunt vel futuri sunt, una eademque ferendorum malorum necessitate comprehendendi; quæ mala qui nondum expertus est, neque ipse scit quid sit esse Christianum, neque dat copiam existimandi, an sit dignus eo loco ac nomine. Quamobrem non minus possum cum eo agere, quam Seneca cum eo expostulat, qui, sine ullo malorum experimen-
to, boni viri nomen usurpat. ita enim loquitur in eo libello, qui inscribitur: *Quare bonis viris mala accidunt, cum sit providentia.* Vnde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffliuis? unde possum scire, quantum, adversus ignominiam, infamiam, odium, & populare, constantia habeas, si inter plausus senescis, si te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium, pronus favor sequitur? unde scio, quam equo animo latus sis orbitatem, si, quoscunque sustulisti, vides? Hæc Seneca. Sed quanto hæc verius Christiano illi viro ob-
jiciantur, qui omnium humanarum calamitatum se esse expertem & ignarum exoptat? Etenim omnia ea mala, quibus referta est hominum vita, sunt proprium filiorum Dei patrimonium. Quamobrem, qui, perpetua usus felicitate, nondum in partem aliquam ve-
nit tam locupletis hereditatis, vereri magnopere de-
bet, ut inter filios Dei numeretur. nam eos, quos ille filiorum numero habet, exercet, plagis afficit, acerbe ac duriter educat. Ac merito D. Io. Chrysostomus vetat nos misereri cniuspiam, qui ærumnis ac la-
boribus à Deo exerceatur; sed utilius misericordiam nostram in eos advocat, qui, flagitiis ac sceleribus cu-
muliati, secundo, ut dicitur, mari feruntur. Collu-
ctemur igitur strenue cum adversis rebus, &c., cum ab eis premimur, urgemur, non respiciamus mala quæ patimur, sed ad promissa nobis bona spectemus. Tu vero ne animum desponde. Nam magna mihi spes est, tibi fore in dies melinscule. Vale.

Nicu s. At ego omen accipio, ac de tuo isto hu-
manissimo sermone, mecum habito, ingentes tibi gra-
tias ago atque habeo.

DIALOGVS QVARTVS.

CASSIANO A PVTEO,
Equiti illustrissimo,

JANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



I, usque ab incunabulis ipsius doctrina veteris, velutius replicare memoriam temporum, non paucos cunctis fere seculis exitisse reperiemus, qui studia eloquentiae ab elegantia doctrine segreganda esse contendunt. Quamobrem hoc? an, quia res, utilitate maxime, dignitate præstantissime, ornatum orationis rejiciant ac respuant? Atqui natura comparatum videmus, ut, quo res majorem in se honestatem contineant, eo etiam ornatius & illustrius vestiri desiderent. Atque ut de ceteris rebus taceam; nonne in se quisque experitur, ut tum copiosior sit verbis, cum est sententiis instructior? Sed duplice de causa id ab illis affirmatum existimo. primum, quod desperarint, se posse ornatius efferre, que ipsi, intelligentia percepta, ac memoria comprehensa, retinerent. deinde, quod noluerint ea, qua obscuritate verborum tanquam tenebris obvolvissent, lumine orationis illustrari, atque illustrata palam omnibus ad intelligendum. & tanquam ad aspiciendum, anteponi: minorem enim sibi apud omnes homines autoritatem arbitrati sunt fore, si, que ab ipsis antea, tanquam à fontibus, hauriebantur, multo ea copiosius ac liquidius à disertis hominibus exciperentur. Quamobrem qui nitidos ac perennes eloquentiae fontes in latos & amoenos Philosophie campos conatur inducere, duplices sane laudis fructum assequitur. Primum, ea, qua exilius horridusque ab illis magistris ac doctoribus efferruntur, mul-

to nitidiora ubeioraque reddit. tum verborum elegantium lenocinio delinitos longe plures ad eorum cognitionem studi- umque compellit. Quo in studio quamvis eruditissimorum hominum etates & ingenia videamus esse contritas non alienum tamen duxi, meam etiam opellam ad eorum conatus adjungere. Atque in praesentia brevem quendam sermonem, cum amico meo, de grandine, habitum, & ut potui ornate conscriptum, ad te mitto: qui omnium, quos quidem nove- rim, eruditissime constantissimeque, gravitatem doctrinae cum sermonis elegantia conjungendam esse, defendis: neque solum id verbis, naturali quadam in hac humaniora studia propensione ductus, exequeris, verum etiam re ipsa prestatas ac perfidis: utpote cum non magis graviores discipline, quam eleganter scribendi facultas, tuam ad se operam attrahat. Hinc singularis illa humanitas tua, qua liberalissimis his li- teris praeditos, accipis, amplecteris laudibus ornas officiis be- neficiisque prosequeris, & cum est opes, re ipsa tueris: hinc tuus ille frequens ad Academias accessus: hinc illa insignis domi tuae bibliotheca, ubi litteris exculti omnes, librorum multitudine ac varietate invitati, multam in perdiscendo operam sumunt: hinc aedes tuae amplissima, in regium plane morem exculta, gemmis, tabulis pictis, aliisque præstantissi- mis rebus resertæ; quibus visendis, tractandis, laudandisque, qui illuc accedunt, satis expleri satiarique non possunt: hinc omnium, quicunque ab exteris nationibus, vel generis nobil- itate vel eruditionis laude prestantes, ad Vrbem accedunt, ad te concursus, & gratulatio; non enim prius Vrbem om- nium nobilissimam ornatissimamque, quam domum tuam, sibi visendam statuunt; non prius Vrbis pulcherrimæ mul- tiisque rebus ad visendum egregius prædictæ, faciem, quam os tuum intueri, sibi honestum ducunt, cuius celebre in patria nomen audierant. Sed erit alius de te dicendi locus: nunc, quos habui cum amico quodam meo de grandine sermones, si tibi non molestum est audire, referam.

DE GRANDINE.

NICIUS. AMICVS.

NICIUS.



Vid est, quod hodie, præter consuetudinem tuam, te parum alacrem video? vel potius, quid est, quod te tristem adipicio?

AMICVS. Quoniam heri ea calamitas fundum meum invasit, ut, quod me capere hoc anno oportebat, ipsa pene intercepit.

NICIUS. Eo tibi amoris benevolentiaeque nexu devinctus teneor, ut, tuis incommodis detrimentisque, non minus doleam, quam meis. Quamobrem, tua causa, ægre mihi est, eam vini, quod percepturus fueras, jacturam esse factam, quo nullum prope dixerim me bibisse præstantius.

AMICVS. Non eo ad te animo veni, ut tu, aequa atque ipse, dolendo sollicitudines allevares meas, sed ut audi rem potius ex te, unde hæc in nostros fundos pestis irrumpat, qnibusque ea causis procreetur; ut, damno affectus, saltem ex te aliquid discam, vel, si nihil aliud, tua oratione admonitus, in earum rerum memoriam inducar, quæ, prima illa puerili institutione, à magistris accepi.

NICIUS. Faciam tibi, quod potero, satis. sed doleo, me à te imparatum esse oppressum. nam si spaciun, me comparandi, fuisset, multo plura & exquisitoria in medium afferrentur: nunc autem ea tantum ex me, quæ in promtu sunt, audies, quæque semidoctus quivis intriviis circulisque garriret. at si reconditora desideras, ab iis quære, qui, in Aristotelis ceterorumque Philosophorum scriptis diu multumque versati, hæc à se peti putant oportere. Sed, cum tam soluto animo, hujus calamitatis causas exquisitum advenias, suspicioni locum aperis, nullo te ab ea esse damno injuriaque affectum.

Nam

Nam, si derrementum ad te aliquod pervenisset, tibi illud doleret, neque tantum ab eo otii esset, ut ea perquisienda curares, de quibus explorati nihil habetur, sed magna est inter eos, qui ea scire sibi videntur, lis atque dissensio: nisi tui auctorem damni tibi ideo demonstrari vis, ut acceptas ab eo injurias persequaris.

A M I C U S. Utinam, quæ tibi suspectio de me incidit, vera esset: profecto in hac cali tam adversa tempestate, tanquam in mari, non hujus anni vindemia elavissim. Verum, sciscitandis rerum causis, æquum mihi in rebus adversis parare animum studeo; qui nulla re ita sedatur, ut hac liberalissima sciendi voluptate. Est enim, ut ait Cicero, animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturæ: erigimur, elatiores fieri videmur, humana despicimus, cogitantesque supera atque cælestia, hæc nostra, ut exigua & minima, contemnimus: indagatio ipsa rerum, tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Neque Socrates, si mihi æquus esse velit, hæc requirenti, illud respondeat, quod ipsi adscribitur, ac fertur in primis, nimis, *Quæ supra nos, nihil ad nos.* At ego, plus quam mihi necesse fuerat, didici, magnam illis nobiscum esse rationem, quorum malignitate, horna mihi vina subrepta sunt, ad quorum suavitatem sitim sedare statueram. Sed quis me tanti unquam aestimasset, ut dignus Iovi videber, quicum, tanquam cum gigantibus, bellum gereret? At quodnam meum ob meritum, non video. Et enim ego,

Non stulte superas invasi comitus arces,

Alaque congestos construxi ad sidera montes.

Sed, omissis jocis, perge, ut cœperas.

N I C I U S. Ut in pauca rem conferam; totam hanc de grandine disputationem, arbitror, ex notitia loci pendere, ubi ea congelascit; eo enim patefacto, cetera se aperient ac prodent. Quem locum, placet Anaxagoræ, medium aëris esse regionem. Hanc sententiam Aristoteles, hoc præsertim argumento, refellit. Si locus, inquit, grandinis, media aëris regio semper esse statuitur, alterutrum erit necesse, vel imbreui ante, quam fiat

aqua

aqua, in grandinem verti, quod veritati repugnat, cum grande nihil sit aliud, nisi imber concretus in glaciem; vel ipsam aquam paululum, dum congeletur, pendere, nec suo deorsum pondere impelli, adversante rerum natura; quæ dependentem imbrem, ne minimum quidem tempus patitur, in sublimi consistere. Idem Aristoteles, quicum omnes fere consentiunt, grandinis confundare locum, proximum hunc nobis aërem esse concludit: qui aër commenatus ultiro citroque diversarum rerum naturis quasi campus extenditur. etenim hic acres ventorum pugnæ ineuntur: hic siderum vis omnium, vel ad teponem, vel ad rigorem, vel ad sœcunditatem, vel ad sterilitatem excitandam, excurrit: hic superioris aëris puritas cum terreni halitus pravitate miscetur: hic humoris crassitudo cum siccitatis tenuitate confunditur: hic modo frigus debacchatur, modo calor desævit: hic animalium haustus, modo spiritum, è sublimi, salubrem hauriunt, modo pestilentem excipiunt: hac via, expatri à terra halitus, in altum iter arripiunt, vel, qui sponte vapores non subeunt, solis vi extenuati trahuntur; qui simulac ad medium cæli spacium devenerunt, primum congregantur & inter se comprehenduntur, tum circa terram aliud quasi cælum obtexunt, postremo ab aëris rigore, suæ naturæ redditi, patrium in solum (licet mihi ita appellare locum, unde illi prodierunt,) tanquam postliminio revertuntur: quod si, in redeundo, nostrum hunc aërem calore tepefactum offendat, veriti novas caloris insidias, ne videlicet rursus extenuati sursum attrahantur, omnes ad se tuendum vires advo- cant, geluque contracto, summa vi sese jaculantur in terram. Hæc Aristoteles. Quibus expositis, aperte fatetur, non medium illam aëris sedem frigidam, sed hanc inferiorem calidam, congelantis imbris causam af- ferre.

A M I C U S. Hoc debet esse omnibus exemplo, quantum insana Principum ac superiorum, bella gerendi, libido semper in eorum, quos sibi subjectos habent, perniciem & damnum exeat. Ecce tibi; aër, ut inquis, calidus, quo suam attenuandi dissipandique facultatem exerceat, contra vero vapor, ut naturalem suam ad aquam

quam redeundi seque tuendi vim mordicus teneat, tanquam collatis signis, acriter vehementerque configunt; sed vapor in imbre redactus, & in glaciem conglobatus, præcipiti casu humum verberans, innoxii subiectæ sibi terræ arboribus, frugibus, vitibusque pestem, vastitatem & exitium affert: ne multa; illi peccant, meus agellus plectitur.

N i c i u s. Recte philosopharis. Verum in eo, quod ait Aristoteles, in hac postrema aëris regione calida, se glacie tanquam galea scutoque imbre armare, suffragari sibi inquit tempora, huic calamitati præser-tim obnoxia: vere enim autumnoque saepè grandinem ruere, multis acceptis damnis detrimentisque didicimus; quibus temporibus, proximus hic nobis aér, confusis æstatis hyemisque causis, ita se habet, ut neque siccitas nimia, sicut in æstate, vapores commeantes disjiciat ac perdat, neque frigus præstans, ut hyeme gelida, descendentes imbres tueatur ac foveat.

A m i c u s. Facile huic Aristotelis rationi assensio-nem meam adhiberem, nisi eidem resisteret, & quodammodo fidem abrogaret, experientia. Nonne multos saepè annos vidiimus, tum vere tum autumno, nullam ab hac peste frugibus vel vitibus calamitatem afferentes, excurrere? Itaque, aliam necesse est huic rei causam esse.

N i c i u s. Non ideo, quod autumnus verque ipsum multis imbribus subsecutis, sine grandine abeant, minime sunt ea tempora ad procreandam grandinem apta: verum idcirco illud accidit, quia deest ille gene-rantium causarum inter se concursus ac proportio, quæ rerum quarumcumque originem maxime continet. Quamobrem tolle illum aquæ frigidæ defluentis, circumfluentisque aëris calidi, quasi concentum, ad anti-peristasis quam Græci vocant efficiendam necessarium; omnem finul veri autumnoque imbris congelandi fa-cultatem ademeris. Quid putas esse causa, quod grando, saepius interdiu, rarius noctu descendant, nisi quia tum temporis ea aëris temperatio desideratur, quæ ad pluvi-am congelandam exigitur?

A m i c u s. Hac tua responsione omnis mihi dubita-tio

rio præripitur, atque, ab Aristotelis ratione, omnis falsitatis nota repellitur. Perge.

Nicetus. Postremo, ait Aristoteles, si nihil aliud, ipsa grandinis forma ac figura, ortus sui locum ac sedem ostendit. Quid enim ea pravitas ac deformitas, quæ sapientia in ea conspicitur, indicat, nisi illam, prope à terra gelataim, spacio caruisse, per quod, præcipiti delapsa casu, aptius perfectiusque rotundaretur? Etenim aquæ ea vis est, ut ejus dependentes guttae exiguis congregentur orbibus, quo ab omni adversarum rerum injuria tutiores ad ima volvantur. Tantam in unaquaque re natura ingenuit conservandi sui custodiam.

Amicus. Quam alte id se tuendi studium, de quo loqueris, unicuique rei est à natura infixum! Licet primum aspicere, unumquodque animal, simulatque natum est, adeo naturali hac in se benevolentia ductum, diligere ea, quæ sunt conservantia sui status, & alienari ab iis, quæ interitum afferunt, ut sævissimæ ferarum maximæque, vestigio hominis animadverso, à quo præsertim insidias metuunt, paveant, contremiscant, horreant, specus atque antra petant, se in latebras abdant, atque, admirabili quadam naturæ rerum potentia, antequam videant quid sit timendum, intelligent cur sit timendum. Deinde, quis hunc euudem amorem, se conservandi in naturæ statu, in plantis, quas terra nutrit, sol firmat, non admiretur? quæ, sensu carentes, interduin inter saxa vepresque conjectæ, radicibus tanquam pedibus ad terram perveniunt, ejusdeinque gremio se tradunt alendas, tum procerioribus immistæ plantis, ne ab iis obrutæ aspectum solis amittant, etiam supra naturæ suæ vires se altius attollunt, earumque fastigium, à quibus sibi timebant, exæquant. Quid? elementa ipsa, quibus in naturali sua sede constitutis, quies, ocium, salus, ac vita, ut ita dicam, ipsa contingit, nonne, ut eam attingant, nisi major vis obstat, obvia quæque impellunt, arcent, perrumpunt, ac via facta, eo majore ad eam impetu properant, quo ab eadem propius absunt?

Nicetus. Est plane, ut dicas; sed ad propositam disputationem revertamur.

AMICUS

A M I C U S. Gaudeo, me tibi hujus sermonis ansam detulisse. Nam sentio, revocari mihi in memoriam, quæ puer olim didiceram, quæque videbar esse oblitus. Nam, nisi me falli vel errare contingit, idem ipse Aristoteles, cuius tu sententiam conatis exponere, aliter in libris Meteorolog. sentit ac docet. Ait enim, ubi nubes liquatur in pluviam, vel in nivem molliter cogitur, ibi etiam gelare imbre in glaciem. Quibus verbis videotur officinam grandinis in media aëris regione colloquere atque statuere. Quamobrem, aut ille secum ipse pugnat, aut tu aliter ejus dicta interpretaris; quod vix fieri posse existimo.

N I C I U S. Recte objicis: adjuvo te: locum etiam ipsum Aristotelis, si meministi minus, in medium affero. Hoc videtur docere Meteorolog. Summa 111, Cap. i. Sed non est perperam Aristoteles levitatis inconstantiaeque damnandus. Nam, si in eum locum, qui ferrax est imbrium ac nivium, omnes conflandæ grandinis causæ convenient, quid prohibet, quo minus in eo grandinis etiam foetus concipiatur? Quod tum potest accidere, cum extrema pars nubis à calore aëris nostri perstringitur. Tunc enim fiet, ut inclusi ibidem imbre, per eam quam dixinus antiperistasin, prius glacentur in grandinem, quam ex utero nubis excedant.

A M I C U S. At unus adhuc mihi scrupulus residet, qui à te est evelendum. Nam, si grando est imber, frigore geluque constrictus, atque fieri potest ut, intra nubesclusus, in glaciem cogatur, videotur id confici atque esse consequens, nimirum posse aquam, contra naturam suam, sursum aliquandiu stare, neque, sua ipsam mole deorsum percitam, ruere; quod tu antea negasti posse contingere.

N I C I U S. Non propterea, quod imber aliquis in nubium gremio contineri dicatur, concludendum est, aquam contra suam naturam consistere, cæloque suspensi. Etenim, non in longitudinem & latitudinem solum, sed in altitudinem etiam, nubes quæque protenditur: quæ igitur aqua, in suprema nubis parte, ex vaporibus illuc subenuntibus collecta, perficitur, dum per reliquas nubis ejusdem partes, à calore obfessas, evolvitur, antea den

densatur in glaciem, quam decurso spacio nubem findat,
& in terram evadat. Quid est, quod tantus interdum
cum grandine fragor excipitur, nisi quia illa, in descen-
dendo, nubem, intra quam est, lacerat atque diverberat?
cur saepe etiam grando, mista umbri largifluo, subita præ-
cipitans cadit, nisi quia calor, unde imber congelascit,
non aqua proportione totam nubem afficit, sed partem
ejus remissius, partem intensius occupat? Nam, quæ
guttæ, verbi gratia, validiorē calorem, tanquam se-
viorem noctæ sunt hostem, acrius contra illum, suum
frigus exacuant, densiusque constringunt; quæ vero te-
pidiori cum aere, veluti mitiori cum hoste, congrega-
untur, lenius etiam agunt, nec, gelu contracto, firman-
tūr, sed liquidae, una cum proruente grandine, ad ter-
ram labuntur & cadunt.

A m i c u s. Omnino grando, mala merx est; idque,
quod me piget, non tam doctus dico, quam expertus.

N i c i u s. Non potest verbis dici tantum, quam
re ipsa hæc pestis rusticis rebus pernicioſa atque exitia-
bilis accidit. Nam herbas floresque contundit, fruges
evertit, atque, ut tu paulo ante dixisti, quos fructus rus
capere oportet, plerunque in multos annos intercipit;
&, quod admirabilius videatur, non solum integra ac
firma, sed magis etiam soluta ac diluta nocet. Nam,
super quas herbas liquata dilabitur, eas statim exurit at-
que enecat; ut non tam in aquam solvi, quam in ignem
liquari videatur.

A m i c u s. At ego existimabam, grandinem, solo
verbere ieluque, frugibus ac vitibus exitium afferre;
verum, dilapsam in aquam, tanquam exutam viribus
aridisque, vim aliquam ad nocendum habere, nunquam
induxi animum credere.

N i c i u s. Tota errabas via, nam grando ex quo-
dam est novo genere hostium; dissipata enim atque dis-
tracta, validior est ac firmior, quam unita atque cohæ-
rens. Neque ejus rei ratio latet in obscuritate naturæ;
in luce palam existit. Grandine enim dilabente, calidæ
exustaque exhalationis copia, quæ intra ejus venas co-
hibetur, tota se se ad enecandas fruges fructusque dif-
fundit.

A M I C U S

A m i c u s. Potestne tanta impendentis vis mali , antequam incidat, prævideri ?

N i c i u s. Si prævidere posse, quid faceres , si quis nunc te roget ?

A m i c u s. Aliquid facerem; remedia ad grandinem propulsandam exquirerem, sedulus adhiberem ; &c, si nihil in humanis auxiliis relictum sit loci, saltem ad miserias preces confugerem.

N i c i u s. Plerunque futuræ grandinis signa adeo sunt obscura, ut à quotidianis imbribus dignosci vix queant : verum , ita hæc pestis agere dolose non potest , ut ejus insidiæ à doctis & expertis hominibus non apprehendantur. Animadversum est enim , tum aërem hunc calidum, tum solito crassiores minacioresque nubes, fatales esse , ad messium vindemiarumque perniciem, subsequente iam grandine , infesta cum decidit , infestiore cum difflit, atque ex novo quodam genere hostium, ut diximus , acrius periculosiusque soluta quam integra , depugnante. Cujus repentina impetu , magis quam aliquo hostium incursu, nationes quædam exterritæ , ut de Cleonibus tradit Seneca , dispositis publice speculatoribus, ejusmodi signorum peritis , hostiis ac precibus, ejus se furori eximere conabantur. nam omnes repente, cassis albis agnis vel pullis , vel , quibus id ob tenuitatem facere non licebat , expresso acuto graphio è digitis sanguine, putabant, se posse eam propitiari facere suis agris atque vinetis. Stulto superstitionis exemplo; quasi illa pœcum ac pullorum vitam, & non potius terræ succum ac spiritum posceret ; quasi illa paucas crnoris guttas, ac non potius totum hominis sanguinem, annuis fructibus intercipiendis , daret operam ut hauriret atque exorberet.

A m i c u s. Age , si quam huic morbo medicinam habes, homini amico impertire.

N i c i u s. Quid tu me anum aliquam superstitionem, quæ scemellis fabulas narrat , vel circumforanenim aut nugare rem existimas , qui in triviis ac plateis ludos homines faciat ? Si tibi fieri fucum postulas , pete ab illis. nam , ære dato , pluribus te ejusmodi nugis onerabunt, quibus adversus grandinem non plus proficias .

quam si ad sepulchrum , ut ajunt , mortuo dicas jocum . Refert Plinius , putasse quosdam vanos homines ac stultos , cautionibus atque carminibus hanc ab agris pestem arceri ; quæ omnia usque adeo , homo sapiens , irridet , ut ipsum suis ea libris inferre puduerit ; non sine magna Catonis , Romanorum omnium sapientissimi , nota , qui scripta diligentissime memoriae posteritatique inmandavit .

A M I C U S . Hæc , quævis facta sint ab illis improbe , superstitiose , atque adeo impie , quod cultum & honorem , soli Deo debitum , rebus levissimis , atque adeo , ut est grando , fluxis tribuerint ; attamen , aditum quodammodo atque januam nobis aperuerunt , unde hæc atque alia ejusmodi supplicia , à Deo pro peccatis nostris immissa , effugiamus ; nimis in , si ad ejusdem opem , auxilium , misericordiamque confugiamus . Sed quoniam satis jam sum tuis eruditis sermonibus recreatus , surgamus censeo , ac , nisi es occupatus , hac diei tam amœna temestate deambulatum eamus .

N I C I U S . Nullum mihi est in præsentia negocium : sed quanvis essem occupatissimus , tua causa occupaciones omnes in aliud diem rejicerem , tibique soli operam darein .



DIA-

DIALOGVS QVINTVS.

R. P. F. CHRISTOPHORO
PUTEANO,

Totius ordinis Carthusianorum Procuratori
generali, & Carthusiæ Romanæ
Priori,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Vltis quidem nominibus Gabrieli
Naudœ plurimum debo; sed ea in
primis de causa, omnia illi bona cu-
pic, quod, sua commendatione, latum
mihi ad tuam amicitiam aditum
aperuit. Nam, quamvis de tua eru-
ditione, doctrina, probitate, sapien-
tia, non parum multa auditione ac-
cepissem; tamen, coram te adductus, earum virtutum fa-
mam longo intervallo infra verum esse cognovi. Etenim,
quid est, non solum in his nostris amoenissimis studiis; verum
etiam in aliis gravioribus disciplinis, in quo te summopere
eruditum, atque adeo perfectum, non deprehenderim? Hu-
manitas vero, quæ præsertim ad se animos hominum allicit,
ac, volentes nolentes, suos facit, ea mihi visa est in te, qua-
lis in homine, summo loco nato, summaque religione predito,
esse debet. Et, si nihil aliud, qualis in fratre Puteanorum
requiritur, quos, ob insignes omnium virtutum laudes, non
Gallia modo, sed Italia, atque adeo terrarum orbis univer-
sus, diligit, admiratur, colit, atque exemplum magnanimi-
tatis, eruditionis, sapientia, ac virtutum omnium habet.
Probitas autem, que prima religiosi viri laus est, si cui mi-
nus nota sit atque perspecta, in illud venerandum ostuum,

Christiane gravitatis sedem, oculos conjiciat. nam fiet, ut sibi continuo magnum religionis ac pietatis amorem conciliari sentiat. Sed quid mirum, si tanta in te probitatis laus eluceat, cum, ad naturalem bonitatem, ejus religiosæ familiæ disciplinam adjunxeris, que, tot seculis, ex ea die qua fundata est, ad hanc diem, suis semper institutis ac legibus obtemperavit, ac sui similis fuit, neque, ad collapsos ejus mores restituendos, nova edicta atque præcepta necessaria fuere? Haec igitur tam multæ tantæque in te virtutes, ita memet mihi eripuerunt, tibique addictum tradiderunt, ut, meo etiam in animo, meæ istius in te voluntatis, externa aliqua significacione declaranda, quasi quendam aculeum reliquerint. Atque brevis hic Dialogus occurrit, qui has sibi partes sumit, quas cum persolvet, qua soles, illum humanitate excipias, mihique aliquem in tua memoria benevolentiaque locum numerumque constitutas velim.

DE VIRTUTIS STUDIO, SE V

Soli illi prosperum vitæ cursum contingere,
qui, ab ineunte ætate, virtutis studio
se dederit.

IVCNDVS. MODESTVS.

IUCUNDUS.

 Go te, Modeste, fortunatum judico, qui hac ætatula tantum prudentiæ adeptus sis, ut non cum æqualibus tuis modo, verum etiam cum majoribus natu compareris. O beatum, qui te genuit! cedo mihi tres patres, qui sint liberis, tui similibus, prædicti. Licuit mihi uxorem dotatam ducere, licuit liberos educare, generi monumentum & mihi: sed quia in manu mea non erat, quales mihi liberos gignerem, meruens, ne tales contingere,

rent, qui senectutem meam iis crucibus sollicitam haberent, quibus plerunque patres excruciant videmus; propterea uxore libenter abstinui, & facile induxi animum, liberis perpetuo carere.

M O D E S T U S. De multis euidem audivi, qui dicent, se non mediocriter mirari, quod tu, genere honesto natus, neque à natura fortunaque bonis omnino destitutus, in summa cognatorum inopia, uxorem nunquam duxisses.

I U C U N D U S. Multa me uxore prohibuerunt, quae longum esset enumerare; sed duo in primis; libertas, quae, si semel amittitur, ecquando postea recuperatur? quae tum præsertim, dimissis manibus, evolavit ab animo, cum ea in ædes intromittiatur, quae sit oblatratrix, mala, stulta, indomita, imposque animi; quae, quoties ire vélis, te, ut inquit ille, retineat, revocet, rogitet, quo eas, quam rem agas, quid negocii geras, quid petas, quid feras, quid foris egeris; quae, prius quam galli cantent, te somno suscitent, ac dicent: Eme mihi, mi vir, inaures, annulum; eme vestem, qua nunc præsertim patriciae utuntur; nam earum, quibus induor, usus inolevit; jam pridem est, cum nihil mihi attribuisti in redimiculum, in collum, in crines; viden' illam, quae mihi genere est inferior ac forma? ut portat quid rerum! ut aurata, ut vestita incedit! ut gregem ancillarum dicit secum! quae denique hos, aut horum similes sermones quotidie serat; cuique ea sint cordi, quae tibi sunt odio, & contra, quae tibi cordi esse videat, ea sibi odio habeat; quæque tibi præcisam esse postulet omnem licentiam libertatemque vivendi, ita ut, ad coenam ne promittas, prohibeat, neve quemquam accipias alienum apud te domi, ac, prope dixerim, te pensum, à se datum, accipere postulet, inter ancillas sedere jubeat, lanam carpe re imperet.

M O D E S T U S. Ut recte eleganterque malæ uxoris mores deformati! Cedo, quid est illud alterum, quod te à re uxoria abhorrentem effecit?

I U C U N D U S. Metus, ut dixi, ne tales ex me filii nascerentur, unde miseriarum plus haurirem, quam voluptatis. Mitto, quod uxor insignitos mihi pueros potuisset

tuisset parere, aut varos, aut valgos, aut compernes, aut pætos, aut brochos. At id ludus jocusque fuisset, præut si improbos ac scelestos eduxisset. Etenim, sicut sapientia filii, gloria est patris; ita etiam liberorum stultitia atque temeritas, miseriæ, damno, atque dedecore eum afficit. At si mihi exploratum fuisset, eventuros liberos similes tui, appulissem profecto animum ad uxorem habendam.

M o d e s t u s. Benignitate, ut video, adductus, hæc de me prædicas, & ut à patre meo gratiam ineas. Nihil enim, in hac mea ineunte ætate, dignum invenio, quod tantopere laudetur: cupio quidem certe, honeste ac laudabiliter, eum, qui mihi datur, cursum vitæ conficere; ac propterea te consultum advenio atque rogatum, ut, quæ olim tibi eam ad rem usui fuissent, ne mecum graveris communicare.

I u c u n d u s. Mediocrisne tibi laus in adolescentे videtur, quod, omnibus rebus posthabitis, totum se in optimo vitæ statu exquirendo constituat, deque ea re consilium expetitum adveniat, ac paratus sit seniorum consiliis acquiescere? Sed cave, ex me tibi exemplum ad eam rem sumas. Nam ita vixi, ut plures dolendi ac pœnitendi, quam latandi ac gaudendi, causas mihi esse relictas intelligam.

M o d e s t u s. Supersede istis rebus jam tu. Multa necesse est audieris, multa perlegeris, multa etiam usu & experientia didiceris, quæ mihi novisse salus sit: ista hæc à te audire, nisi molestum est, cupio.

I u c u n d u s. Nunquam gravabor eo, quod tibi voluptati & utilitatì esse sciam; ita tu paterque tuus de me meriti estis: sed in præsentia non possum tibi neque melius neque utilius neque salubrius consilium dare, quam quod Tobias senex filio suo tradidisse legitur. Nimirum, Omnibus diebus vita tua in mente habeto Deum; & cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Huius præcepto si obtemperaveris, quantam tibi malorum pestem eripies! quantam præterea bonorum copiam adjicies! nam ex eodem, si timuerimus Deum, multa bona habebimus.

M o d e s t u s. At putant aliqui, præcisa sibi hac li-

ceq.

centia ac libertate vivendi , omnes simul ad hilaritatem aditus præclusos , & contra , latissimam ad mœrem lucretumque viam apertam.

IUCUNDUS. In vulgus quidem insipientium hæc opinio valet ; te autem eorum judicio stare nolim, nec, quod illi putent, te putare jucundum vel miserum. Eorum tibi judicio utendum est, qui cernunt acutissim , qui- que ea , quæ docent , non tam docti quam experri loquuntur. Nam omnes ii uno ore tibi narrabunt, nullam esse majorem voluptatem , quam quæ ex honesta & laudabili vita percipitur , nullum acerbiorum cruciatum , quam qui , à cupiditatibus nostris inustus nobis , visceribus intus inhæret. Et sane, qui, quavis specie voluptatis objecta, tradit se libidinibus constringendum, necesse est, ut in summis ac perpetuis animi doloribus vivat. Nam quædam voluptates omnino obtineri non possunt, quædam multam operam & impensam efflagitant, quædam plurimum etiam temporis exigunt ; quæ quia incensum cupiditate animum retinent , incredibiliter eum vexant ac lacerant. Hæc cum iis congruant, quæ docebat Socrates , omnium non suæ modo ætatis sed multarum eriam aliarum longe sapientissimus : qui, cum ad frugalitatem & continentiam homines hortaretur , ajebat, frugi homines & continentes plus, ex sua continencia, voluptatis haurire , quam ad omnes voluptates projectos, ex sua libidine intemperantiaque ; idque ob molestias & cruciatus , quos vita intemperans habet adjunctos. Deinde, nihil est tam alienum ab humana ratione, nihil quod magis belluarum naturam attingat , quam sensu moveri, atque ad id solum, quod præsens est, se accommodare. Non eo inficias , quin ea , quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, & specie prima acerime commovent , magnam vim habeant ad nos capiendos constringendosque; sed quia rationis participes consequentia cernimus , ac mala prævidemus , in quæ nos voluptates impellunt , ideo ab iis odio abalienamur ; at bellæ, quæ nihil fere sentiunt præteritum, neque futurum, toto in eas impetu feruntur.

MODESTVS. Cunctisne voluptatibus à me bellum debere esse indictum existimas , neque cum earum ali-

qua, ad animi remissionem ludumque, mihi esse tanquam in amicitia & gratia permanendum? Credo, si suscepisses liberos, fuisses Cæcilianus aliquis parens, vehementer ac durus, vel Terentianus aliquis Chremes, qui æquum esse censeret, adolescentes jam à pueris illico nasci senes.

IUCUNDUS. Non ego sum ille tristis ac ferrens, qui homini, adolescenti præsertim, omnibus interdictum esse voluptatibus censem: sed iis tantum esse carendum affirmo, quæ divinis iussis imperiisque repugnant, nec cum honestate consentiunt. reliquis utrius existimo, si eas tamen nec ætas nec tempus rejicit. Non enim omnes omnium sunt æstatum ac temporum; sed quemadmodum, ut inquit ille, alia ætas alios mores postulat, ita etiam alia ludorum genera adolescentia, alia senectus admittit. Nam, quæ adolescenti convenient, ut pilæ ludus ac follis, non ita senem addecent quæ vero senectus exigit, adolescentia ac virilis ætas, tanquam nimis severa, repudiat.

MODESTUS. Tum tu igitur nullam aliam voluptatem, nullam aliam animi remissionem ludumque, misero adolescenti relinquis, præter pilam ac follem? Nam mihi video, non Iucundum, sed aliquem vel Catonem, vel Zenonem, vel Socratem, vel si quid tristius unquam fuit, audire.

IUCUNDUS. Falleris, non ego voluptates omnes, adolescentiæ permissas, ad pilam follemque revoco, ac reliquias omnes excludo: illud tantum dico, ut, cum adolescentes, relaxare animos & dare se jucunditati volunt, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ; hoc est, ad eas auiini remissiones ludosque descendant, unde, si probi & honesti viri vel majores natu rescierint, nullam dedecoris impudentiæque notam incurvant.

MODESTUS. Vnde ego potissimum, honestas voluptates à flagitiis, permissas à vetitis, abstraham atque sejungam?

IUCUNDUS. Facilis hæc tibi erit atque expedita distinctio, si ex Aristotelis præcepto, voluptates, non à fronte, sed à tergo respicias. Nam commune est omnium

nium omnino voluptatum, ut in vultu, nimis cum adsunt, hilaritatem præferant, ac delectatione animum mulcent: at vero, quibus nobis uti non licet, id habent proprium, ut, simulac terga verterint, dolorem ac solicitudinem linquant. Quas igitur voluptates recedentes mceror ac pœnitentia consequitur, iis Archita Tarentinus nullam pestem capitaliorem hominibus à natura datam esse dicebat.

M O D E S T U S. Minime est à nobis optandum, ut totam rem hanc experiendo discamus. Longe enim utilius est atque salubrius, nullam voluptatis veritatem notitiam habuisse, quam eam, postquam sis expertus, odisse atque refugere. Quamobrem malim, mihi dari certam aliquam notam, qua, sine ullo experimento, honestæ voluptates ab improbis, ingenuæ ab illiberalibus dignoscantur.

I U C U N D U S. Bene ac sapienter optas. Verum, mihi nulla melior inter eas distinguendi ratio occurrit, præter eam, quam Philosophi quidam excogitarunt; qui non ineleganter voluptatum duo genera fecerunt, alterum naturalium, inanum alterum; naturales item partiti sunt, in necessarias & non necessarias: ac naturales promptæ & parabiles expleri facilime possunt, & multa suavitate animum complent; inanes vero, innumeris pene difficultatibus oblitæ, & ægre obtinentur, & magnos in animis, doloris ac pœnitentiæ, reliquunt aculeos. Præclare Demosthenes, voluptates istas à pœnitentia non esse disiunctas, ostendit tum, cum audita magnitudine precii, qua Lais meritrix noctes suas venditabat, exterritus, inquit, se dolorem ac pœnitentiam tanta mercede non emere. Quamobrem vir probus, naturæ finibus contentus, intra naturales ac necessarias voluptates continere se debet, neque ad inanes ac non necessarias egredi. Ita enim in magna voluptate semper erit, neque illas dolendi ac pœnitendi causas sibi relinquet. Quamquam inventi sunt plures, partim propter regnum Dei, partim gloria, partim ambitione adducti, qui omnia semper, quæ jucunda vindentur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati, denegarunt,

qui tamen confessi sunt, se voluptatem maximam fuisse adeptos, omni prætermittenda voluptate. Quamquam, quænam major inveniri voluptas potest, quam quæ virtuti ip̄i cohæret ita, ut ab ea divelli non possit? Qua per fusus voluptate Diogenes Cynicus, se Regem Persarum longe vita fortunisque anteire, prædicabat; sibi enim nihil deesse, illi nihil unquam satis fore; se ejus fortunas non desiderare, quæ satietatem nullam afferrent; illum suas consequi non posse, quæ animum explent, & cupiditatis ardorem extingunt.

M O D E S T U S. Satis jam philosophatum arbitror. dic; quæ sunt tandem istæ voluptates, quas probis & honestis viris, congruenter naturæ viventibus, non adimis? earum saltem genera, si placet, enumera; ne ab eam à te incertior quam venerim.

I U C U N D U S. Recte admones. Volenti igitur relaxare animum, omnis tibi primum iudicjusque conceditur, liberali homine dignus; unde nimurum rerum turpitudo ac verborum obsecritas absit; tum, tempestiva convivia, non luxuriosa atque magnifica, sed temperata atque modesta, nec cum æqualibus tuis solum, sed etiam cum majoribus natu, doctis ac prudenteribus viris, quo non tam ciborum varietate corpus, quam docti cujuspam sermonis suavitate animum repleas: deinde ad honestam delectationem, latissimus tibi rerum rusticarum campus extenditur; & sane, nec ad exercitationem corporis, nec ad voluptatem animi, quidquam mihi videtur esse jucundius: postremo suppeditabunt, & palæstra & studia venandi, honesta exempla incidendi. Sed non est necesse, nominatim omnia perseQUI, quæ percipi honeste possunt. satis, cum erit opus, ex tibi se offert, earumque perficiendarum modum & finem ratio ipsa præscribet. Potius id agamus, ut, quoniam diximus honestam ac laudabilem vitam odio peccati ac virtutis amore contineri, demonstremus, quid damni ex peccato, & quid utilitatis ex virtute, proveniat.

M O D E S T U S. Id ego vehementer audire cupio.

I U C U N D U S. Ea peccati vis est atque natura, ut, nisi continuo per penitentiam extirpetur, multa dein-

deinceps alia ex sese progeneret, adeo ut nullus postea sit finis peccandi nec modus. Id adeo, quia libidines nostræ sunt ejusmodi, ut si earum uni aditus detur, ab hoc aditu januaque patefacta, omnes gestiant foras erumpere, seque, nisi cohibeantur, in omnibus vetitis rebus & impermissis effundere. Quo sit, ut nullum sit facinus ac flagitium tantum, quod peccator ille perpetrare non audeat, qui à præcipuo Dei auxilio, sua culpa, defertur.

M O D E S T. At ego audivi à doctis ac religiosis viris, hanc peccatoris derelictionem esse maximam omnium poenarum, quæ à Deo inferuntur. Quæso, ne graveris, hunc mihi locum arduum atque difficultem, non modo in scholis sed etiam in concionibus agitatum, exponere; sed vocabulis communibus usitatissime, quo id, quod dixeris, assequi intelligentia possim: tum dic paucis, ac non longos logos trahe, si quidem nolis ea, quæ mihi in aures infuderis, à me statim effundi.

I U C U N D. Geram tibi morem. Nihil enim est mihi grave, quod te velle scire, quodque, perceptum, alicui tibi usui esse intelligam. Principio, ubi animus, ut Plautus loquitur, hominem perculit, hoc est, ubi appetitus, rationem sibi servire atque obsequi, impulit, nisi continuo, qui peccavit, vulnus à se, animæ suæ inflatum, divinis auxiliis sanare contendat, vel si altius illud hærere & corrumpi ac putrescere sinat, plerunque, justo Dei judicio, ab iis auxiliis desertus, quæ repudiat atque contemnit, suis ipse libidinibus constringendus distrahitusq; permittitur, vel, ut efficacius D. Paulus ait, traditur in desideria cordis ipsius.

M O D E S T. Ain' tradit? Deusne satellitis cuiusdam personam, in extremam hominis perniciem, suscipit?

I U C U N D. Tradit, hoc est, sinit, permittit, patitur, quo suæ eum libidines attrahunt, ruere. Ea enim hujus verbi, eo loco, vis est, ex Chrysostomi interpretatione atque sententia. Sed haec tenus Deus irati potius patris, quam infesti inimici partes exequitur, ac perinde agit ut Rex, qui filium minus sibi obsequentem habeat, scelestum, damnosum, qui suis fœdis factis magnum inferat generi suo dedecus; quod videlicet cum exuli-

exilibus , latronibus , ac perduellibus suis societatem inierit, iis se dederit , eorumque mores imitatus , se sceleribus eisdem contaminaverit . Non enim eum revocat, re, consilio, aut opera juvat ; sed in iis periculis ac laboribus deserit , quos flagitiosa illa vita habet adjunctos; quorum pertæsus , aulae ocium , delicias , honores & coimoda , furtis ac latrociniis anteponat , atque ex latronum castris in paternam Regiam domiciliumque se conferat . Simili eos ratione , qui, cupiditatibus inducti, de via decesserunt, tantisper Deus errare permittit, quoad scruposa , salebrosa , spinosaque voluptatum via defagati atque perterriti , pedem referant , & ad frugem, ut dicitur , redeant . Quod si ille , qui peccat , usque adeo præceps amentia feratur , ut malit in illis miseriis versari , quam libidines suas , longius progressas, revocare , atque intra rationis terminos cancellosque constrictas habere ; tum Deus , ira incensus , omnem de eo ejicit animum patris , & inimici vim & acrimoniam suscipit , ac demum ad illud suum judicium decurrit , non magis horribile ac metuendum, quam æquum & admirandum , de quo meminit Paulus Apostolus ; nimirum , ut non eidem modo , suum illud auxilium efficax ac peculiare præripiat , verum etiam altero , peccandi occasiones anteponendas objiciendasque procuret , mittit illi Deus operationem erroris , ut credat mendacio ; nimirum Dæmonem ejusque satellites adhibet , quorum opera novis ille ac multiplicibus sese erroribus implicit . Atque istuc illud est judicium tam atrox , tam sævum , tam formidandum , quod à peste capitis nostri propulsari , quotidie demissis illis ac supplicibus precibus Deum oramus , cum dicimus , *Ne nos inducas in temptationem.* At videtur , id , quod docet , Apostolus ex libro regum tertio didicisse , ubi horribile illud exemplum in Regem Achab editum traditur , dignum profecto qui ob sua sclera atque flagitia in arctiores errorum laqueos se indueret . Tradunt sacræ litteræ , quæsiisse Deum ex impunitis spiritibus aliquem , qui , ad Regem Achab decipiens , omnes industriae suæ nervos contenderet ; tum produisse unum , qui has sibi partes deposceret , ac diceret , *Ego decipiam;* quæsiisse rursum Deum , quo artificio id esset

esset asseditus; respondisse illum, *Egrediar, & ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum;* annuisse Denū, imperasseque, ut daret se itineri, quamque pollicitus esset rem, strenuus ageret; eam enim sibi ex sententia processuram. *Decepies, & prævalebis; egredere, & fac ita.* Quibus ex verbis effici ac concludi, docet Augustinus contra Iulianum, Denū, judicem justum ac fortē, non modo hominem, hac pœna dignum, patientia, hoc est, ferendo tolerandoque, ad peccandum inducere, verū etiam auctoritate atque potentia spiritibus nequam imperando, ut aliquid agant, quibus ille inductus, in se scelus admittat; ut imperatum est ei, cui Rex Achab decipiendus est traditus. Ob hanc causam Dæmon ille, qui, Dei mandato, impetu in Saulem facto, miris eum modis vexabat atque torquebat, spiritus Domini appellatur. *Spiritus Domini malus irruerat in Saul.*

M O D E S T. Pugnantia, vel potius ænigmata loquēris, qui potest idem spiritus esse nequam ac probus, à superis & ab inferis, à Dæmoni atque à Deo, prodire? quid tam distat, quam probitas à malitia, cælum ab inferis, Deus à Dæmoni?

I U C U N D. Præsto est Gregorius, qui hunc tibi nondum possit exolvere; ipsum consule: qui tibi erit auctor, si ad nocendi potestatem spectes, Dæmoni à Deo concessam, qui nihil nisi summa cum æquitatis justitiæque ratione permittit, spiritum Dæmonem bonum appelles, sin autem ad iniquissimam ejus voluntatem aspicias, quam habet à se ipso, quæque bonis nostris æternis inhiat ut nos illis evertat, spiritum eum malum, immo pessimum, voces. Quod si malis Gregorium ipsum loquentem audire, verba ejus accipe; quæ magnam ad docendum vim habent. *Spiritus, inquit, Domini, per licentiam justæ potestatis; spiritus malus, per desiderium voluntatis injustæ.* Video, id à me brevius atque jejunius esse tractatum, quam magnitudo ejusdem ac gravitas postuleret; sed non est mihi propositum hoc loco, quæcunque à Theologis in scholis acute subtiliterque tractantur, exponere, sed ea tantum referre, quibus dubitationi tuæ respondeam. Sed, id quod pene oblitus fueram

ram , ex hac mea disputatione forsitan occurrat illud, peccanti vim Deum afferre , ab eoque peccatum extorquere. At cave , istud tibi veniat in mente : nefas est enim cogitare , nedum afferere. verum , suo illo justo nobisque obscuro judicio , Deus occasions eidem peccandi suggestandas suppeditandasque , ut diximus , curat , quas ille , rerum humanarum cupiditate incensus , arripit , iisq; ad nefarias suas libidines explendas , abutitur.

M O D E S T. Si peccanti accidit deterius nihil , nisi ut absque ulla alia formidine sibi insanire ac furere , in suis cupiditatibus , liceat ; non video , quid habeat acerbatis hæc pœna , ut saltem retardare ejus impetus possit. Quid enim tam optandum est ei , qui arbitratur omnia sibi licere , quam ut liberas rerum omnium cupiditates habeat?

I U C U N D. Quid ? levissime hæc tibi videtur pœna? At tantum in se continet mali , ut supra addi nihil possit. Quid habet Deus iratus , quod gravius in eum statuat , qui ita confirmatum ad peccandum animum gerat , quam ut eam ex uno scelere in aliud delabi patiatur ? Ad iram quippe Dei pertinet justam , inquit Augustinus , quidquid caca & indomita concupiscentia , faciunt mali. Posteriori enim peccatum , superioris peccati pœna est longe maxima atque gravissima ; quæ pœna in id demum malum evadit , ut illi , subita interdum morte sublati , & ad inferorum supplicia præcipites ejecti , justas temeritatis suæ pœnas aternasque persolvant. Nec , qui se huc illuc rapiat cupiditatibus finit , multarum expers est quoque iæmarum . quibus assidue excruciantur atque conficitur. Adfunt , adsunt inquam , illi semper carnifices immanissimi , qui miseris cum modis puugnant , fodicant , lacerant ac cruentant ; ejus nimisrum libidines avidæ atque insatiables. Sed cruciatum quavis carnificina immaniorum subeunt ii , qui contrariarum inter se perturbationum tanquam morsibus dilaniantur. Nam quidam avaritia simul ac luxuria premuntur ; quidam odio simul & amore torquentur ; alii spe simul metuque jactantur. Proh sancte Deus , quod pœnarum genus æquari conferrique cum eo potest , in quo isti versantur ! quid est aliud , Prometheus ad Caucasum affixo , aduncis avium unguibus je-

jecur dilacerari, nisi contrariis inter se curis hac illac animum distrahi, laniari, atque discerpi?

M O D E S T. Fieri quidem potest, ut hic animi dolor cruciatusque iis inhæreat, quos urget inopia, vel quorum animos, ejus quod cupiunt adipiscendi desperatio tenet: at dolor hic ab iis longe absit oportet, quibus, propter divitias, ad nutum præsto sunt omnia, quibusque, propter fortunæ præstantiam, pene exploratum est, se nunquam carituros voluptatibus: iis, inquam, fit verisimile, voluptates puras ac liquidas, sine ulla fæce doloris, effluere.

I U C U N D. O si tibi hominum corda paterent, atque intro in eorum latebras ac recessus liceret inspicere! Penethem, quem diripuisse ajunt Bacchus, nugas maximas dices, præut quo pacto illi distrahuntur. **C**ommodo D. Bernardus respondisse fertur iis, qui eam ipsi in victu & in omni cultu asperitatem objiciebant, Cruces quidem nostras intuemini, sed consolationes, quibus afflui-
mus, absunt non solum à conspectu, verum etiam à co-
gitatione vestra longissime. **Q**uanto rectius, si verum fateri velint isti quos tu fortunatos judicas, iis dicent, qui eorum splendore capiuntur, Oculis quidem corporis, voluptates nostras accipitis, sed cruces, quibus perpetuo affixi tenemur, non item. Non videt vul-
gus hominum fulgentem ilium gladium, quem, la-
cunari seta equina appensum, Dionysius tyrannus Da-
mocli, beatorum istorum cervicibus semper impendere, ostendit. Atque, ut nullam suis voluptatibus advenien-
tem extrinsecus calamitatem metuerent, conscientiae tam-
en stimulus, qui dies noctesque eorum animos fodi-
cat, amarissimis inquinamentis, quas percipiunt volu-
ptates, iuibuit, non solum aspergit: cuius conscientiae
tanta vis est, ut etiam veteres illi, quibus nullum veræ
religionis lumen illuxit, conscio cujuspam sceleris ani-
mo nihil fieri miserius posse faterentur. **H**inc illæ apud
eos furia, hinc tædæ ardentes, quibus, à diis immorta-
libus, impiorum animos exagitari dixerunt. **A**c, si in
atrocissimis apud inferos penitentia hic conscientiae morsus
numeratur, ut verba illa indicant, *vermis eorum non mor-
rietur dici potest, improbos, etiam nunc vivos, non
esse*

esse eorum paenarum expertes, quibus nihil apud inferos
esse perhibetur atrocis. Omnibus ipsis cruciatibus ca-
ret ille, qui cupiditates suas retinet, neque eas patitur
honesti fines excedere, eorumque loco summa apud eum
pax & tranquillitas residet: quod si aliqua fortasse vis
ingratis, ea tota erit externa, neque aliquam animi par-
tem attinget.

M O D E S T. Recte narras; sed quae hactenus enumera-
rasti, latent inclusa intus in animo, atque oculorum a-
ciem effugiunt. Quamobrem, cum plerunque omnes
moveantur ex iis, quae sensibus percipiuntur; nisi utili-
tatem aliquam vel damnum attuleris quod sub aspectum
cadat, paucis hac ratione persuadebis, voluptatem esse
fugientam.

I U C U N D. Isthac etiam damna sibi esse scient in mun-
do, qui secus quam deceat vivant. Etenim, non solum
improbi, perpetuis in animo, fluctibus, à cupiditatibus
suis commotis, hac illac aguntur, non solum, summis
intus doloribus arrepti, vitam quavis morte acerbiorem
exigunt, verum etiam saepe foris, multis magnisque
paenit detraientisque multantur. Nam dum rationis im-
perium abjiciunt, atque impetrant, ut se ipsi corrumpant,
dum in futurum non consulunt, sed, suavia in praesen-
tia quae sint, sola prospiciunt, tum in morbos graves in-
cidunt, tum in damna atque dedecora multa incurunt,
saepe etiam leges & judicia esse sentiunt, quorum paenis
implicati atque constricti tenentur, itaque sero intelli-
gunt, majorem ex improbis factis ad augendas vitae mo-
lestias vim attrahi, quam ad se hilaritate cumulandos
facultatem attribui; tum doloribus corporis perferen-
dis, tum pena legum, tum amissione pecuniae subven-
da. At horum omnium incommodorum expertes sunt
i, quibus honestum ac rectum multo est jucundins,
quam quaevis inhonestam, flagitiosa, ac levis delectatio, &
voluptas.

M O D E S T. Nunc dicas aliquid, quod possit nos à vi-
tiis abstrahere, atque ad virtutem attrahere. Atqui audi-
vi de patre meo, quosdam notos adolescentes, damno-
sos, amatores, ac perditos, brevi omnes vitae ac fortu-
natum omnium naufragium fecisse: nam alios, extra-
ordi-

ordinariis sumtibus, prope ad mendicitatem se adegitse, alios, manifesto in flagitio ac scelere deprehensos, poenias legibus dedisse. Itaque assentior tibi, ad revocandos à voluptatibus animos magnam vim in primis habere egestatis metum, vel castigationem, ignominiarum pœnarumque formidinem. Omnes enim, si homines sumus, in nostris civitatibus magni & clari esse cupimus, omnes ad honores dignitatesque contendere. Quamobrem cavere debemus, ne quid committamus, quod retinendum ad honores iter impedit ac dirimat.

IUCUND. Nolim equidem, tibi virtutem, propter aliud magis quam propter se ipsam, expetendam videri: sed quamvis ea per se sit expetenda sine aliqua spe emolumenterum & præmii, fit etiam interdum, ut propter virtutem, alii honores, alii divitias, alii opes, & potentiam adipiscantur. Marius Arpini, humili loco natus, ob summam rei militaris gloriam, septimum Consul è vita discessit; quamquam septimi sui consulatus laudem, crudelissima civium clarissimorum optimorumque, nece, sedaverit. Leontinus Gorgias, quod primus auras esset in conventu poscere, qua de re quisq; vellet audire, tantas sibi opes divitiasque congesit, ut nemini cederet, tantam apud omnes gloriam invenit, ut soli, ex omnibus, non inaurata statua, sed aurea statueretur. M. Tullius, homo per se cognitus, nulla commendatione majorum, eloquentia & eruditione, qua omnibus præstítit, ad Consulatum, qui erat amplissimus dignitatis gradus, ascendit. Libenter, in hoc sermone, verbor in veterum exemplis, quantumvis notissimis. At si vellem enumerare eos, qui nostra & patrum majorumque memoria ex infimo loco, sola virtutis commendatione, ad summam amplitudinem pervenerint, multi se objicerent: sed nolo fortunæ cuiusquam fordes, unde emersit, maxima ejusdem cum laude conjungere. Immo virtutis tanta vis est, ut ne improbi quidem ad Remp. capessendam, nisi sub aliqua specie ac simulatione virtutis, accedant. Quamnam aliam L. Catilina, omnium mortalium profligatissimus ac perditissimus, invadendæ Reip. causam afferebat, nisi ut eam, paucorum potentium dominatione oppressam, in libertatem vindicaret? quid aliud

Cæsar dicebat, quam causam sui demeutissimi consilii & facti reddebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunicium sublatum, circumscriptus esset Antonius?

MODEST. At dici audio, aditus ad honores multo esse improbis apertiores, quam probis; immo illos fere semper honores gerere, Remp. administrare, opibus divitiisque pollere, optimo cuique atque fortissimo repulsam, inopiam, egestatemque reliquam esse.

IUCUND. Vide, ne eorum sit hæc querela, qui, quamquam vitiis careant, tamen ocio dediti, aut ignavia debilitati, aut labore exterriti, aut animi timiditate fracti, sese ipsi à Rep. removerunt, vel ob morum asperitatem ab eadem arcentur. Sed ut ea, tibi concedam, æque improbis bonisque permitti; quid charitas & benevolentia civium? nonne ea bonis tantum viris, non improbis scleratisq;, contingit? certe, nam semper improbos odium, probos vero, omnium amor studiumque, consequitur. Quod si amari ac diligi jucundum est, nonne etiam ob hanc causam fugienda improbitas est quia nobis odium concitat, expetenda probitas quia amorem benevolentiamque conciliat?

MODEST. Cur paulo ante dictum est à te, non esse dandam virtuti operam propter spem aliquam honorum ac divitiarum? nonne hæc tibi præmia satis digna videntur, quamobrem omnem nostram operam, cogitationem, & studium in adipiscenda virtute colloceimus?

IUCUNDUS. Quia illa sunt fluxa atque fragilia, & in alterius potestate posita, virtus vero stabilis & æterna, & sui juris est tota; illa amittendi metum semper habent adjunctum, virtus avidas & rapaces cupidi cuiusvis manus non pertimescit: illa mortem, tanquam summum malum, à memoria repellunt; etenim ne mortis quidem nomen audire volunt ii qui pacem habent in substancialiis suis; virtus vero eam in rebus malis fugiensque non collocat; docet enim, eam non esse malum neque miseriam, sed finem malorum ac miseriarum. Itaque virtutis cultores, cum est ex eundem è vita, lati, & agentes gratias, è corpore tanquam ex aliqua custodia discedunt: at vero, quibus solæ divitiæ, honores opesque sunt cordi, mortis terror, tanquam Tantalo saxum, semper

per impendet ; &c, cum instat atque urget , tum sero apparet, quam levibus , inanibus , ac perniciofis rebus omne suum studium atque operam dederint ; quæ opera non aliam mercedem exigit , nisi metum damnationis æternæ. Ferebatur, me puer , quidam, qui non ex postremo religiosorum hominum ordine ad summum dignitatis locum ascenderat , morti jam proximus , dixisse, O utinam ea in cella , eoque in strato, quibus hanc aulam aureumque hoc lectum permutavi , animam mihi liceret efflare ; quam æquiore animo è vita discederent Alter etiam, æque fortunatus ac nobilis, ferme jam moriens , verum contra se testimonium dixit , in hæc verba, Miserum me, quænam tenebræ, quæ specus horridæ præruptæque, ex illustri hoc loco atque edito, me in se attrahunt ingurgitantque ! quam vellem , humile atque pannosum bajuli cuiuspiam instratum, meum potius caput texisset , quam hæc distincta auro gemmisque tiaræ , quæ tam multas nunc mihi dolendi ac desperandi causas objiciat ! Quamobrem , si nihil aliud honesta ac laudabilis vita tribueret , præter hanc securitatem animi & vacuitatem à mortis formidine , vel ob id solum esset tanti , omnem nostram operam ac laborem ad studium virtutis adjungere.

M O D E S T . Si honores humari , quia iisdem, quibus vita , finibus continentur , vel quia , cum arduo periculosoque in loco versentur , magnum nobis ruinæ periculum parant , propterea, eos non esse expetendos , existimas ; jam nemo ad magistratus petendos , nemo ad Remp. capessendam, accedit: hæc enim, non dormientibus deferuntur, sed veluti periculorum laborumque susceptorum merces præmiumque traduntur. at vide , ne, si optimo cuique id persuadeas, universum Rerump. statum perditum eas. etenim in tot tantisque rerum humarum casibus , in tanta hominum perversitate atque malitia, Respublicæ, tanquam naves rectoribus destitutæ , vel ad immanes scopulos actæ , ferentur , vel fluctibus verberatae lacerabuntur , vel vorticibus haustæ in profundum abripiantur.

I U C U N D . Non equidem sum ab ea disciplina , quæ versari in Rep. negat esse sapientis : immo optimo cui-

que statim esse capessendam existimo. non enim solis nobis nati sumus, sed amicis, sed parentibus, ac patriæ multo maxime. Solum isti reprehensione mea verberrantur, qui non aliam laborum suorum mercedem expetunt, nisi honores ac divitias, proque iis adipiscendis, non indecorum putant, omnibus assentari, cupiditatibus aliorum servire, multaque alia facere, probis & ingenuis viris indigna. Etenim non modo, non sapientis, sed nec ratione utentis, esse puto, ob res incertas ac fluxas, vel umbras rerum potius, tantum labore capere, tantum in existimatione sua dedecus, & quod caput est, tantam in anima plagam accipere. Ut recte dici in istos possit, quod olim, ut est apud Senecam patrem, vir quidam sapientissimus dixisse narratur in eos, qui summa contentione studioq; honores in municipiis quererent; nimis eos in somnis laborare. quod dictum, non videtur aberrare ab eo, quod David de pecunia studiis expressit, *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis.* At ego præterea addo, non modo eos, qui insano honorum divitiarumque studio capiuntur, ab hac vita, tanquam à somno, vacuas bonorum operum manus referre, verum etiam, dedecoris, ignominiae, malorumq; facinorum plenas exportare. Sed quamvis Deus sit per se sese quærendus, quamvis virtus sit per se ipsa diligenda, sine spe emolumenatorum atque præmiorum, cum planum sit apud eos, qui recte philosophantur, virtutem, ad bene beateque vivendum, se ipsa esse contentam; attamen, si labores nostros utilitatem aliquam semper spectare contendas, quid est dignius, in quo omnes industriae nostræ nervos colloquimus, quam bona sempiterna atque cælestia, quæ iis, qui directum iter ad virtutem habent, promittuntur? Quod si spes tenuis cuiusdam utilitatis adeo interdum ad se homines allicit, ut ejus consequendæ gratia, plerique nullos labores defugiant, nulla incommoda recusent, nulla pericula reformident; quod si, qui in agone contendunt, ut inquit Paulus Apostolus, ab omnibus se abstinent, quibus corpora infirmiora atq; hebetiora redduntur, idq; faciunt nulla re commoti alia, nisi marcescibilis coronæ cupiditate: quantam apud nos habere vim debant,

beant, proposita legitime certantibus, sempiternæ vitæ æternorumque bonorum præmia, ad id præfertim, ut cupiditates pravas teneamus, ac pro illis bonis consequendis, nihil arduum, nihil laboriosum, nihil difficile existimetus! Nam re vera, ex eodem Apostolo, summa illa gloria, qua labores nostri in cælo compensabuntur, infinito intervallo omnes nostros labores ærumnasque infra suam æstimationem relinquunt. Itaque David, quo nemo neq; integror erat in sua civitate neque sanctior, ad pietatem, justitiam, ac probitatem amplectendam, plurimum se iis præmiis fuisse cominotum testatur, quæ pie, juste, & caste viventibus, in cælo persolventur. Sola enim eorum cogitatione, ad viam divinorum mandatorum percurrentam, se acrius impelli incitari que sentiebat. *Inclinati cor meum, inquit, ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

M O D E S T U S. Adhuc pergis ea loqui, quæ sub certendi sensum non veniunt: quibus plerique hominum non magis moventur, quam somniantium deliramentis; neque eorum causa vel digitum unum à vitiorum cursu deflectunt. etenim animus, humi defixus, tantum sibi persuadet, quantum oculorum ceterorumque sensuum ope auxilioque percipiat.

I U C U N D. At ego hæc eo confidentius narro, quia video, cui committam. Tecum enim loquor, quem non arbitror, pecudum more, ad ea tantum, quæ ante pedes jacent, advolvi, verum in ea etiam, quæ fidei veritate traduntur, cogitationem extendere. Sed neque verum est, omnino eos, quos tu præsentibus tantum rebus intentos dicis esse, nulla futurorum cogitatione tangi. Nam veritatis justitiæque tanta vis est, ut nemo tam sceleratus, tam impius reperiatur, qui neget, vitæ suæ rationem se Deo judici esse redditum, quique (si modo à religione nostra non abhorreat) eorum, quæ de inferis memorantur, fide certa non imbuatur. Immo eos adeo hic metus urget ac premit, ut etiam in mediis ipsorum voluptatibus se intrudat ac misceat: neque tam illos moveret, quod ea supplicia sint futura omnium maxima atque gravissima, atque, eadem opera, una corpus atque animum comprehensura, quam quod æterna, hoc est, ea-

tenus permansura , quoad Deus cœli imperium obtinebit. Num, cum animus in illud infinitum æterni temporis spaciū cogitatione se infert, neque ullam ejus oram invenit ubi consistat , stupet atque horret ; minusque illi suaves ex voluptates fiant , quæ tantos tamque ardentes mali in eos montes injiciant. Verum, hoc terrore metuque illi penitus carent , qui purum à scelere atque flagitio animum servant.

M O D E S T U S. Prorsus tibi assentior, magnitudinem pœnaru[m], quibus improbi sunt obnoxii, ob earum æternitatem esse formidabilem, &c, quod est consequens, metum earundem horribilem: sed tunc horribiliorem eum esse dicerem, si pœnae, quæ metuuntur, effugi nullo modo possent. Sed cum positum sit in potestate cujusque, se ab eis, cum velit, per pœnitentiam eripere , non video, cur tam magnum possint metum incutere, ac vitam acerbam & insuavem efficere.

I U C U N D U S. Quamquam sit verissimum, idque inter præcipua fidei nostræ capita numeretur, posse unumquemque , si peccatorum suorum pœniteat , se ex reis æternæ mortis eximere : attamen verum est etiam , liberum hominis arbitrium adeo debilitatum ac fractum ad terram concidere, ut, nisi efficaci divini muneris auxilio sublevetur , nunquam ad id , quod potest , assensionem suam sit adhibitum. Efficax enim gratia , ex D. Augustino, Dei donum est, quo nobis tribuitur, ut velimus, quod possamus. At Dei dona, ex divino ejus arbitrio, non autem ex voluntate nostra , dependent. itaque non semper præsto sunt omnibus ; iis præsertim qui , peccandi consuetudinem non abjicientes , reddunt se eorundem indignos. Proinde, peccantium jugiter, nec pœnitentium, animos , adeo divinæ justitiae terror invadit, ut eos percellat , labefactet , evertat , ac de sua sede ac statu dejicit.

M O D E S T U S. Quantum ex te intelligo ; primum, petendum est à Deo , ut nihil unquam , cuius nos postea pœniteat , committamus : hoc enim sapientis est proprium , ut dici audio : tum, si quid forte, vel ætatis æstu vel perturbationum impetu arrepti, deliquerimus, ut illud statim corrigamus, neque ad turpe aliquod vitium,

con-

consuetudine usque peccandi, labamur; ita enim in summo ocio & tranquillitate, his terroribus, quos inquis, soluti, vitam agemus.

I u c u n d u s. Sed fac, Dei nobis dona ex voluntate nostra contingere; fac, cuiquam esse prædictum à Deo, quod, supremo vitæ tempore, verum de peccatis suis dolorem sit percepturus, & per hanc rationem, divino ejus judicio, salvus futurus; huic tamen expediret, quascunque vel leves peccatorū noxas effugere. Nam quamvis, per pœnitentiam, una cum reatu culpæ, æterna apud inferos supplicia codonentur, pœnæ tamen, certo tempore definitæ, nobis in purgatorio igne luenda supersunt. quæ pœnæ sunt ejustmodi, ut, si omnes hujus vitæ cruciatus & dolores unum in locum conferantur, vix cum earum parva parte æquari conferriique posse videantur; quin ea etiam tormenta ac pœnas excedunt, quæ mortis suæ tempore, Christus nostra causa in Cruce sustinuit. Quænam igitur major stultitia dici vel excogitari potest, quam, ob levem, nescio quam, citoque interitum voluptatem, velle se tam longis acerbisque doloribus pœnisque subjicere?

Hæc habui, quæ tibi roganti proferrem. Quæ si tibi pauciora videbuntur, quam tua voluntas ferat, te mihi æquum est ignoscere. Nam deprehenso à te, plura in mentem venire non potuerunt: & tu scis, quam ego in hac parte animi, quæ custos est ceterarum ingenii partium, memoria inquam, debilis sim; cui eorum, quæ lectione & auditione infundo, vix pauca quædam inhærent, cetera labuntur atque effluunt.

M o d e s t u s. Satis ad id, quod erat propositum, à te dictum existimo, tibique gratias habeo. Faxit Deus, ut, quæ modo à te commemorata sunt, mihi ex animo nunquam intercidant; quo, pœnarum terrore perterritus, seu magis virtutis amore incensus, peccato nunquam assentiar, ac probitati semper inhæream. Tu interea fruere ocio isto, quod datur; meique memor esto in tuis ad Deum precibus. Vale.

I u c u n d u s. Fiet. Vale.

DIALOGVS SEXTVS.

RENATO MOREAV,
Parisiensi, Medicæ facultatis Decano,
& Chirurgiæ Professori Regio,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



*Abriel Naudetus, præstanti vir ingenio
atque doctrina, multorumque benefi-
ciorum necessitudine mihi conjunctus,
miros mecum, de tua singulari erudi-
tione, humanitate, sapientia, sermo-
nes agitat fere quotidie; neque solum
Philosophicæ ac Medice facultatis pri-
mas, ait, omnium concessu, tibi de-
ferri, verum etiam summam harum politissimarum artium.
quibus nos operam damus, laudem attribui: testem hujus
rei esse, celeberrimam toto orbe terrarum bibliothecam tuam,
omni librorum genere refertissimam; testes omnes, quotquot
ubique sunt gentium, qui aliquod in litteris nomen habent,
quos amicitia complectaris, & tanquam arctissimo cognatio-
nis vinculo tibi constrictos, benevolentia comprehendis, eorum-
que scripta, tanquam si aliquid ad te pertineant, in tenebris
jacere non finis, sed divulganda typisque mandanda, incre-
dibili magnitudine animi curas; neque eos spernis, in quibus
tenue aliquod eruditionis lumen eluceat. Verum, quamvis
tua isthac, in omnes bonarum artium studiosos, voluntas &
amor, satis justa causa sit, me totum tibi deferendi; tamen
alia magis necessaria ratio memet mihi eripit, &, tanquam
aliqua Pratoris sententia, tibi dat, dicat, addicit, ut capias,
habeas, vincias. Nam quid me tibi magis potest in servit-
tem addicere, quam quod intelligo, tantum à te, singulari
doctrina, eruditione, ac sapientia viro, Eudemio & nostra
h[ab]e[re]*

honoris esse habitum, ut non eam semel tantum legeris, quod
 tenui vilique opusculo plus quam satis fuerat, verum etiam
 rursus in manus sumtam relegeris, probaveris, & in pluri-
 bus ad Naudaum literis laudaveris. Hoc tuum de ea judici-
 um, quo nihil mihi ad existimationem honestius potest acci-
 deret, ejusmodi est, ut nulla eidem referris par gratia possit. At,
 quia, si tantum hoc tuum in me beneficium mecum tacitur,
 tanquam aliquod mysterium, teneam, nec de eo, quibus-
 cunque verbis possum, tibi gratias agam, non modo ingrat-
 animi notam non effugiam, sed quod est deterius, impii etiam
 hominis crimen incurram: ideo meum studium, ac devin-
 dum tuis singularibus beneficiis animum, his litteris, tan-
 quam publicis quibusdam monumentis consignatum tibique
 testatum esse volui. Sed meam hanc epistolam puduit immu-
 nem ad te venire; presertim cum nulla sint certiora grati ac
 memoris animi indicia, quam munera, ac Deus ipse, qui
 nulla cuiusquam re indiget, donis adiri, coli, exorarique se
 postulet. Neque magnopere elaborandum mihi fuit, in
 perquirendo, quid tibi potissimum mitterem. Nam statim
 hic Dialogus se obtulit, in mee villula amoenitate composi-
 tus; qui illustriores prstantioresque Ioa[n]n. Boccati fabellas,
 in Latinum conversas, continet. Video tenuitatem mune-
 ris; sed amoris vis mei, tuique amplitudo nominis, cui
 mittuntur, aliquid illi magnitudinis ac ponderis addent.
 Præterea tui nominis splendor id quoque boni eidem affer-
 ret, ut multi, ejusdem claritate perstricti, ea, quibus la-
 borat, vitia non cernant. Neque me latet, id esse, in hoc bo-
 no quod ex tui celebritate nominis mihi obvenit, vitii atque
 incommodi quod, dum me expedire cupio, tibi arctius obligor.
 Sed statui, non debere id mihi perturbationem afferre, neque
 impedimento esse, quo minus, quæ mearum sunt parvum, ex-
 equar. Nam, quid ad mei rationem officii spectat, si tu, novo
 exemplo, cum accipis, das, & missa tibi ab aliis munera, quia
 estimationem à te accipiunt, tua esse dona incipient? In tua
 igitur benignitate positum esse video, perficere, ut mea hac re-
 ferenda tibi gratiae voluntas procedat in numerum: videlicet,
 ut hoc munusculo tibi à me satisfieri patiaris. Quod si præsti-
 teris, sentiam id, quod fas esse nemo unquam putavit; nem-
 pe novis obligationum vinculis ea dissolvi, quibus tibi adstric-
 tius antea tenebar.

C O N V I V I V M
V I L L V L Æ N I C I A N Æ.

FALCONIUS. SALVIANUS. NICIUS.

FALCONIUS.



Agnas tibi habeo gratias , Nici , quod
hodie villa tuæ degustandæ mihi copi-
am feceris : qua non facile alteram ,
quantulacunque ea est , me vidisse di-
xerim amœniorem , ac venustatis læti-
tiaque pleniorum. præterea ita in pran-
dio lepide nitideque accepti sumus , ut
minime , nos huc venisse , pœnitentia-

SALVIANUS. Me quidem ita pulcherrimus hic de-
spectus in Vrbem , & in proxima urbi prata , delectat , ut
nulla tuendi satietas capere possit ; nec jam diu , quod
memini , tantam cepi voluptatem.

NICIUS. Si quid hodie vobis bene fuit propter me,
gaudeo. Nam mihi spes est , vos huc frequentius ven-
titaturos.

FALC. Si semper isthoc modo accipias , non modo
sæpius ultro ad te veniemus , verum etiam hic vinciri
patiemur.

SALVIAN. At noster huc frequens accessus magno
tibi , Nici , constaret. Nam te video prodiisse longius
sumtu , quam par est inter amicos.

NICIUS. Facis injuriam , Salviane : nam , ut ille
inquit hospes apud Plautum , In bono hospite atque ami-
co quæstus est quod sumitur : in vobis præfertim , quos
cum alloquor , cum aspicio , verum amicorum exem-
plar intueri me arbitror ; & gaudeo , nostram etiam æta-
tem suos Pyladas & Orestas habere. Sed missa isthæc
faciamus. Quid vobis videtur hæc morus , quæ , ad ope-
candum hunc locum , ita ramis tamquam brachiis impli-
catur ac nectitur , ut simul oculis voluptatem querat , &
capiti solis defendat ardores ?

SALV. Egregia sane atque præclara. Quam vellem
hic

Hic etiam adeset Mancinus noster! Nam plurimum delectationis caperet ex hac amoenitate, non arte aliqua, sed natura, quæsita. Etenim eum sæpe audio cum dicit, magnificas villas, & pavimenta marmorea, & laqueata tecta, præ his locis, naturali non fucato nitore jucundis amoenisque, sese contemnere. Mihi quidem umbrifera hæc morus quandam quasi imaginem refert ejus arboris, quam, elegantibus sane versibus Politianus inquit, ante ædes Veneris, ramos, tanquam radios, extendere, sub eaque perpetuo Musarum chorum saltationibus cantionibusque operam dare.

NICIUS. Quandoquidem nos etiam, his studiis elegantissimis dediti, pares Musis numero sumus, cur non eas imitamur, & sub hac umbra, versibus recitandis, vel eruditum aliquod inter nos communicando, post meridianum hoc tempus jucunde hilariterque traducimus?

FALC. Quid tibi venit in mentem, lepidum Musarum chorum in tam angustum gyrum compellere? Nunc prium hoc aures meæ accipiunt. At ego semper audivi, novem esse Musas, Iove parre ac multis matribus editas.

NICIUS. At ego assentior Varroni, diligentissimo harum rerum indagatori, qui, ut refert D. Augustinus, tres tantum fuisse Musas ostendit, optima ratione inductus, neque eas à Iove patre editas, sed ab eruditorum ingenio excogitatas & effectas. Etenim cum esset animadversum, omnem sonum, qui velut materies musicæ subest, vel voce produci, vel tuba aut tibiis inflari, vel citharae aut tympanorum pulsu referri, data in esse operam, ut tria simulachra, quæ totidem hæc exprimerent, virginali habitu atque figura conficerentur. Itaque civitas quædam (nomen non memini) cum tres artifices, tanquam in contentionem ingenii, vocasset, atque eorum singulis terna simulachra facienda locasset, ut ea ab eo coemeteret qui ceteris artificio præstitisset, contigit, ut adeo unicuique suum opus ex sententia succederet, ut difficile esset judicium excellentis maxime perfectionis & artificii. Quamobrem ea civitas omnia illa novem coemit, & Apollini dedicavit. & per hanc ratio-

rationem Musæ, ex tribus, factæ sunt novem; quarum singulis Hesiodus sua nomina imposuit.

SALVIAN. Vtrum sint novem an tres, nihil arbitror pertinere ad hunc diem, quem totum festivitati dare statuimus. Sed dic, Falconi; quamobrem in prandio, pulum gallinaceum scissurus, cachinnos extulisti? ac volui id à te statim exquirere; sed nescio, quo pacto sum oblitus, nec feci.

FALC. Deprehendi illum ala mancum ac mutilum; ac statim venit mihi in mentem Chichibii coci, qui domino suo acceteris convivis, quibus ille cenam dabat, gruem coctam sine altero crure anteposuerat.

NICIUS. Quem mihi Chichibium narras? quam gruem fabularis? non equidem intelligo.

FALC. Non te subit lepidi illius joci memoria, quem IO. Boccatus, inter fabellas diei septimi, à Chichibio coco prolatum enarrat?

NICIUS. Non equidem, præter procemium, ullam ejus diei fabellam me legisse memini. Nam accepi ab iis, qui ipsi legissent, auctorem illum in hoc genere facetiarum, quod in celeritate atque dicto est, tum multorum aliorum, tum sui dissimillimum inveniri. Quamobrem visum est mihi, in eis legendis tempus non perdere. Tu, qui legisti, narra obsecro. Nam quid potius agamus hoc die, quem hilarem sumere volumus? Neque ejus fortasse insulsitas à narrando deterreat. Non enim quisquam est jocus tam insulsus, quin, tuo lepore ac suavitate conditus, falsissimus sit futurus.

FALC. Non est eundum inficias, Ioannem Boccatum, in eo genere leporis ac facetiarum, quod in celeritate atque dicto est, parem sibi non fuisse. Sunt enim pleraque eorum, quæ dixit, frigida, & vix libero homine digna. Neque ipse non intellexit, quantam vim habeat acumen, uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnunquam etiam lacecentis; vel quod, ut ait Cicero, stultitiam cuiuspiam elevet, vel quod dicentem magnis saepe periculis eximat, vel quod politum esse hominem significet, quod eruditum, quod urbanum. Itaque Philumena, cui primæ dicendi partes demandatae erant, hoc principio usa est. Adolescentes mulieres, quem-

quemadmodum serenum cælum sydera , aut vere novo,
camporum viriditates , & collium amoenitates , florum
atque arborum varietates exornant; ita etiam laudabiles
mores, sermo facetus , & argute dicta illuminant : quæ ,
quia brevia sunt, mulieribus aptiora putantur esse quam
viris, cum omnibus in rebus modus atque modestia fœ-
minis in primis conveniat. Sed quid sit causæ (sive eam
nostrorum ingeniorum pravitas , sive cæli cum hoc se-
culo simultas sustineat,) nescio , cur paucæ vel prorsus
nullæ supersint , quæ lepidum aliquod dictum jaculari ,
vel, missum aliunde, capere intelligentia possint ? quod
plane ad commune omnium nostrum dedecus redundat.

Sed fortasse Boccatus etiam in hac seculi illius ini-
quitate , una cum ceteris ejus ævi mulieribus hæsit. At
his omissis , geram vobis morem ; nec quidquam defu-
giam, quod vos velle intelligam.

Conradus Ianfiliaccius Florentinus, fuit cum primis
eius civitatis magnus & clarus : qui, ut cetera nobilio-
ra ejus facta præteream, canibus avibusque alendis, splen-
didam ac nobili homine dignam vitam agebat. Cui
cum, die quodam accipiter , quem in prædam solverat,
gruem retulisset, sectamque , teneram eam ac pinguem
offendisset, coco' cuidam suo in primis egregio, Chichibio
nomine, mandavit, ut eam sibi curaret in cœnam.
Chichibius, qui, tum ex facie, tum re ipsa, novus cucu-
lus erat, conditam, ignique admotam, cœpit diligentissime
coquere. At cum ferme jam cocta nidorem suave
olentem emitteret, accidit, ut nescio quæ ejus vicinitatis
muliercula , cui Brunetta nomen erat , cujusque amore
& consuetudine Chichibius tenebatur , pedem intro in
culinam inferret , ac, nidore illo capta, cum assam jam
gruem aspiceret, magna vi petere à Chichibio cœpit, ut
coxendicem sibi alteram gruis dederet. Cui Chichibius
in modum cantionis cujusdam ait , Hæc tibi à me non
erit. Tum mulier irata , Si non eam mihi , inquit, sta-
tim tradideris , neque tu posthac tuam ex me volunta-
tem expleveris. Ne longum faciam ; multas ejusmodi
minas adjecit. At Chichibius, ne irataim sibi mulierem
faceret , evulsam à grue coxendicem unam eidem præ-
buit. Quæ cum deinde, mutila ac manca, Conrado iis-
que,

que, quibus cœnam dabat, apponetetur, admirans ille, vocari ad se Chichibium iubet, eumque, quid altera gruis coxendice factum esset, interrogavit. Cui mendax Venetus, gruibus unicum tantum crus ac femen esse, respondit. Quid, malum, inquit ille, unicum tantum est femen? nunquamne alias præter hanc grues aspexi? Tum Chichibius, Here, rem ita esse, ut sum elocutus, affirmo, &c, cum tibi videbitur, in vivis ostendam. Conradus, ne convivas offenderet, maledictis abstinuit; sed Quandoquidem rem mihi, inquit, ante hoc tempus invi- fam inauditamque, in vivis demonstraturum te spondes, id si cras mane præstiteris, acquiescā; sin secus, adeo te ulciscar probe, ut semper memineris mei, dum vivas. Neque longius progressus est verbis. Postridie mane, ubi primum illuxit, Conradus, cui neque nox neque somnus iram ademerat, totus tumidus inflatusque surrexit, equos poposcit, & Chichibium, jumentum quodam concendere jussum, ad fluminis cujusdam ripam, ubi grues primo mane multæ conspiciebantur, adduxit, &c, Mox, inquit, perspicuum erit, uter nostrum heri vesperi mentiretur. At Chichibius, ubi Conradum videt totum adhuc in fermento jacere, ac temere dicto even- tum sibi esse præstandum, consilii incertus, prope Conradum equitare, fractus ac debilitatus metu, cupere aliqua evolare si posset; modo prospiciens, quidquid oc- currebat, grues utroque pede stantes esse, putare. Verum, cum à flumine propins abessent, Chichibio primum grues ad duodecim in ripa, ut mos earum est cum dor- miunt, alternis pedibus insistentes, oblatæ conspiciun- tur. Quas ille Conrado celeriter indicans, Iam satis, inquit, perspicuum est, here, me superiore nocte nihil esse mentitum, cum femen & crus unum gruibus esse contendi, si in eas, quæ ibi visuntur, aciem intendas. Quas Conradus intuens: Sine; mox tibi, inquit, utro- que illas pede præditas esse ostendam; &c, propius acce- dens, Oh oh, exclamavit, ad quam voce in illæ protinus alterum in terram pedem de miserunt, ac paululum in- gressæ, è conspectu evolarunt. Quapropter Chichibio sic ait, Numne vides, helluo, binos singulis pedes ha- re? Chichibius, metu percussus ac pene perditus, ne- que

que sui ipsius dicti rationem satis exploratam habens; Ita plane, inquit, res est; at, Oh, oh, vespertinæ illi non acclamasti. Quod si ita fecisses, itidem pedem & coxendicem illa alteram, ut ab istis est factum, exeruisse. Conradus adeo hoc dicto delectatus est, ut totum se à severitate & iracundia ad hilaritatem risumque traduxerit. &, Vera, inquit, narras Chichibi; ita factum oportuit. Lepide igitur & commode dicto, Chichibius paratam sibi à suo capite pestem avertit, seque suo domino restituit rursus in gratiam.

S A L V. Adeone tibi lepidum videtur hoc dictum, ut homini iracundo, & in primis elato, potuerit integræ noctis spacio, tanquam radicibus, alte implicatam animo iram statim evellere? Mihi quidem, homini, ut scitis, pacatissimo sedatissimoque, quasdam quasi faces admovisset. Putassem enim, me irrideri ac despici ab homine nequam & improbo.

F A L C. At ego non illud vobis exposui, ut false ac lepide dictum; sed ut vestris imperiis obsequerer. Verum, nisi aliter vobis videtur, afferam aliud, ex ejusdem diei fabellis, non illepidum nec illiberale responsum, quo nobilis mulier, laceffita, improbam inhumani cunctam petulantiam contudit atque perfregit.

S A L V. Immo gratissimum nobis feceris; ut etiam pro Nicio respondeam.

F A L C. Audite igitur. Qua tempestate Antonius Ursus, Praeful magnus ac prudens, Florentinam Cathedram obtinebat, vir quidam erat nobilis in primis, ex Catalonia, Didaco Rota nomine, ac Roberti Regis tribunus militaris. Qui cum mira corporis pulchritudine, ad hoc supra quam cuiquam credibile est elegans spectator formarum, esset, accidit ut ex omnibus Florentinis mulieribus vehementissime in una commoveretur, quæ facie erat eximia, atque ejusdem Praefuli fratri neptis. Huic ergo cum subolevisset, mulieris istius virtutum, quamvis honesto genere ac loco natum, singulari avaritia turpitudineque haberi, florensis ab eo quingenitis unam cum uxore ipsius mercatus est nocte. Quamobrem cum populineos argenteos, quorum tum temporis usus erat, inaurandos curasset, potitus muliere, ipsa licet

licet invita, eosdem illi persolvit: quod deinde palam factum, misero illi dedecus ad damnum apposuit. Praeful, qua erat prudentia, nihil de ea re suas ad aures per venisse dissimulabat. Sed cum tribuno uteretur plurimum, contigit, ut die D. Io. Baptistæ sacro una ambo equitarent in via, ubi cursorum ludi dabantur, & mulierum formas contemplarentur, quandam in eis Praeful, Nonna Pnicia nomine, Alexii Rinuccini sobrinam asperxerit, quam forma, ætate, eloquentia, animoque longe præstantem, neque ita multo ante cuidam ad portam sancti Petri in matrimonium datam, tribuno ostendit. Sed accedens, ac tribunum palpo percutiens, *Quid, Nonna,* inquit, hoc homine tibi videtur? crederes, ejus forma te posse obsistere? Nonnæ visa sunt ea verba nonnihil pudicitiam suam carpere, vel saltem ejus parum honeste à se habitæ suspicionem iis, qui præsentes aderant, qui non parum multi erant, injicere. Itaque nihil se existimationi hominum vindicare cogitans, sed potius pari referre studens, continuo respondit, *Fortasse me ille non vinceret, sed bonis lectisque esset opus nummis.* Hoc uterque dicto pariter jugulatus, tribunus, ob illatum nepti fratri Episcopi stuprum, Episcopus ex fratre sui neptis dedecore ad se redundantem, tacitus pudensque discessit; neque inter se amplius aspicere neque fabulari eo die sunt ausi. Ei igitur fœminæ, scurrili alterius dicto verberatae, eundem vicissim jocando remordere, jus fuit.

S A L V I A N. Non potest dici, quanta me tuæ istæ narrationes voluptate perfundant: neque tam, ista dici abs te, quam isto dici modo, delectat; nempe nitide, eleganter, enucleate, dilucide. *Quid tibi vis amplius?* Facetus narrator es, &c, ut Plautus inquit, mulsa loqueris.

F A L C. Atque ea, ut sciatis, non modio, sed toto ut dicitur horreo, demensa vobis tradidi; hoc est, iisdem verbis, quibus ea Boccatus exposuit, (nam memini fere omnia,) prorsus effindi. Sed miror, adeo vestris auribus jucundam accidisse narrationem meam: nam sæpe veritus sum, ne mea hæc infantia, qui id, quod novi, venuste explicare non possum, ut est in proverbio, *Oretta successus videretur.*

NICIUS. Quodnam est istud proverbium? & unde ortum? non enim antehac, quod quidem meminem, meas ad aures venit.

FALC. Exalia ortum est Boccatii hoc eodem in loco fabella, non minus eleganti, quam superiores.

SALV. Tua isthæc laudatio, nobis auscultandi, tibi narrandi, quandam prope vim affert. Quamobrem narra etiam hanc, obsecro.

FALC. Nunquam vestris studiis adversabor; sed, id quod potero, obsequar. Ita igitur inquit Philomena, cui ea die primæ dicendi partes incumbebant.

Erat Florentiæ nobilis mulier, pudica, & in primis diserta, Oretta nomine, Gerii cuiusdam Spinæ uxor. Hæc cum forte ruri versaretur, atque una cum mulieribus equitibusque aliquot, quibus ea prandium dederat, voluptatis causa, alium ex alio locum inviserent, neque multum ea inter se loca distarent, ad quæ pedites irent; unus ex equitibus, qui erant in comitatu, Bonam, inquit, itineris partem, Oretta, in equum impositam meum, lepida te ac jucunda narratione, si ita videbitur, feram. Atqui, inquit ea, hoc à te vehementer peto; eritque mihi gratissimum. Tum eques, qui nihilo erat differtior quam esset fortis, orsus est fabellam, lepidam illam quidem, sed mire à se, idem verbum quater vel quinquies repetente, interdum ad ea quæ dixerat regrediente, vel eadem corridente, sèpe etiam nomina confundente, depravatam & corruptam, accedebat, ut pessime naturas ac mores hominum, si qui singendi essent, exprimeret. Quapropter Oretta non secus linqui animo videbat, ac si ægra, planeque deposita, jam jam animam efflatet. Quod illa non ferens, ac simul, sua equitem narratione ita implicatum aspiciens, ut, quemadmodum se explicaret, non inveniret, belle ac comiter, Tuus, inquit, hic equus acriter duriterque succussat: quamobrem peto à te, ut me, de eo depositam, humili constituas. Hoc dictum eques; qui fortasse ingenii acumine erat, quam dicendi facultate, præstantior, in jocum risumque convertit; atque alias fabellas aggressus, eam, quam temere inchoaverat, imperfectam reliquit.

Ex hoc igitur Oretta dicto ortum videtis, ut quilibet insulsa, indiserta, & inepta narratio, *Oretta succussum* appelleatur. Sed hæc haec tenus. Dic mihi, Nici, quid tibi tua hæc villa suadet, quid clamat, nisi ut uxorem ducas? Nam, quid expectas, dum senex fias? Ac, si recte rationem in eo, nondum trigesimum sextum annum excedis; quæ ætas, ducendæ uxori, Aristoteli videtur in primis idonea. Ac si me audias, tui ordinis ac loci virginem tibi aliquam eligas, decennio minorem, nempe sex & viginti annos natam, quam tibi jungas. Nam, ab adolescentulis ut abstineas, iuadeo. Ille enim mutuus est amor, qui inter pares conciliatur.

N I C I U S. At videris esse oblitus, quod Licisca, apud eundem Boccatum, initio diei sexti, Dioneo probante, ac, secundum ipsam, sententiam ferente, contendenterit.

F A L C. Imo hæret mihi in memoria, ac possum eum tibi locum memoriter sine hæsitatione repetere: sed, quoniam ejus à te mentio injecta est, malumus ex te, Nici, audire.

N I C I U S. Si potuisse suspicari, has à vobis partes mihi demandandas esse, nunquam Liciscae mentionem fecisse. Nam, omnem mihi recusandi facultatem esse ereptam, video, cum tu, Falconi, tanta alacritate humanitateque te nobis, ad ea omnia quæ postulavimus, dederis. Quamobrem non defugiam auctoritatem vestram, sed faciam vobis, quantum erit in me, satis; verum cum hac conditione, ut, quæ sint obscena ac turpia memoratu, præteream.

S A L V. Neque nos aliter volumus. Etenim petulans, flagitosum, obscenum jocandi genus, non modo non ingenuo, sed ne libero quidem homine dignum existimo. Neque hoc Boccatus noster vitio caruit, sed eo maxime laboravit; qui ab illo honestissimo mulierum ac nobilium virorum conventu, nullum de rebus turpismissis sermonem alienum esse existimavit. Quam igitur ille ingenuitatem ruboremque non præstitit, præstabitis tu ipse, omni verborum obscenitate vindata.

N I C I U S. Plane ita faciam; &c, quia pro cœmum illud

illud ob' ejus elegantiam pene didici, nihil ex eo præter obsecenitates omittam. at , ubi me fugiet memoria , ibi tu, Falconi, ut subvenias, facito.

Iam dimidium sui orbis spaciū Luna decurrerat , cum omni prorsus lumine caruit, ac, nova luce exorta , ccepertint fere cuncta nitescere : cum Regina , cubile egressa , omnes simul , qui erant in comitatu , suscitari convocarique imperavit. Qui , in rore deambulantes , longius sese ab illo amœno colle removerunt. atq; cum alii ex aliis sermones lacecerentur, ac præsertim de uniuscujusque fabellæ lepore atq; elegantia differeretur, fiebat, ut, variis earum casibus in memoriam revocatis , omnium risus instaurarentur. Quod persecuti eatenus sunt , quoad , solis ascensu , ejus etiam calor factus est amplior. Quamobrem regredi omnibus placuit. Nec mora ; villam repetunt ; ubi cum positas mensas , ac cuncta floribus beneque olentibus herbis conspersa , offendarent, à Regina jubentur accumbere. Verum , ubi laute accepti sunt omnes , cantinculis aliquot cantitatis , partim condormiscunt , partim provocant se in ludum tesserarum latrunculorumque ; Dioneus & Lattetta in Troilum & Briseidam scriptum carmen cecinerunt. At ubi fabellis referendis tempus advenit , omnes , accitu Reginæ , evocati , circa fontem , (ut eorum usus ferebat ,) assident. Iam primam Regina fabellam indixerat , cum maximum (id quod antea nunquam acciderat ,) venientem à culina servorum ancillarumque tumultum auribus accipiunt. Quamobrem Regina , advocato Architriclino , auctores & causas tanti tumultus exquirit , qui , Liciscam inter & Tyndarum lites esse , respondet ; verum , quid litigarent , sibi adhuc compertum esse non potuisse. Tum enī , inquit , eisdem silentium imperaturus adveneram , cum hoc sum evocatus tuis verbis. Cui Regina , ut eos statim sibi sisteret , jussit. Dicto audiens Architriclinus , ambos adduxit. quos illa interrogavit , quid ii sibi clamores vellent. Iam paratus erat Tyndarus respondere ; cum Licisca , quæ erat natu grandior iracundiorque , & clamando incaluerat , dicere aggressum interpellavit , ac , Vide sis , inquit , os hominis , qui , ubi ego sum , verba facere audeat : tace igitur , atque ,

atque, ut par est, loquendi partes mihi relinqne. ac reginam intuens: Hic mihi, inquit, quid mulieris sit sycophantæ uxor, conatur exponere; perinde quasi nullus mihi cum ea quis consuetudoque intercedat. nam persuadere nititur, absque ullo vitio eam in viri sui magnum convenisse. at ego ajo, vitiatam & corruptam, fuisse eidem obtrusam. at pecus isthac usque adeo insanit, ut existimet, stulte sedere domi virgines grandes, dum a fratribus vel a parentibus nuptni dentur, expectantes: qui dum de ipsis collocandis deliberant, plerunque (id quod minime opus est) in hac deliberatione triennium vel quadriennium frustra consumunt, recte quidem, sodes, rationibus suis ipsæ consulerent, si tam diu otiosæ manerent. testor Iovem (ejus enim rei, quam sancte affirmo, me esse conscientiam oportet,) nullam esse vicinam meam, quæ in ædes mariti sui virgo pedem intulerit. & ad nuptias quod attinet, non sum neficia, quam frequenter & varie suos illæ viros ludificent. cuculus autem iste, perinde ac si heri nata essem, mulierum ingenia moreisque me edocet. Dum hæc maxime Licisca loqueretur, mulieres, in risus effusæ, ita ora diduxerant, ut facile ab eisdem omnes ad numerum dentes extrahi potuissent. Iamque eidem septies Regina silentium indixerat; sed nihil plane profecerat, nam usque eo elocuta est, donec qua cogitaverat omnia effudit. Quibus demum conclusis, arridens Regina, & ad Dioneum conversa, Hæc, Dionee, inquit, tui arbitrii lis est. quamobrem, fabellis nostris ad exitum perductis, dabis operam, ut, causa cognita, de tota re flatuas. Cui statim Dioneus, Absque alia cognitione, ait, secundum Liciscam judico, remque se ita habere confirmo, & Tyndarum plane despere statuo. Hic Licisca cachinnos tollere, in Tyndarum oculos conjicere, & in hæc verba prouimpere: Vera equidem loquebar; abilis hinc inepte; tu experientior quam ego? tu sapientior, cui nondum oculi satis exaruerunt? atque docuit hoc me longa vita, non ociose traducta. Ac nisi Regina, obiecto virgarum metu, multisque verborum contumeliis adhibitis, ut taceret, ac cum Tyndaro fese repente abriperet, edixisset; non alteri fere rei eo die dare operam
licx.

licuisse. At, iis profectis, Regina, ut à Philomena tiarrandi initium fieret, imperavit.

Hæc Licisca; quæ à Boccatio, magis joci causa, facta esse arbitror, quam veritatis.

F A L C. Ego nullam in partem disputo; sed velim mihi credatis, qui, quemadmodum ætate, ita etiam rerum usu atque experientia vobis anteo, virginum pudicitiam, nisi propinquorum custodiis diligenter septa teneatur, si oppugnatores habeat, brevi in eorum insidias deventuram, imo sponte ad eorundem castra transituram. Neque mirum. Nam mulieres adolescentes, rerum imperitæ, voluptatibus novis sibiique incognitis multum moventur; ac, si semel! experiundi facultas detur, non eam facile amittunt. Itaque duxturnus uxorem, sapienter fecerit, si studiose perquirat ejusdem genus, parentes, nutricem; cum sit difficile, parentum ac magistrorum exemplis ac præceptis imbuntas, non ad eorum consuetudinem moremque sese componere. præterea sagaciter odoretur velim, quinam ædes, virginis ædibus adjunctas, incolant; num ex unis commeatus in alteras patet. tum querat, investiget, quos ea sibi comites junxerit, quos amicos elegerit. Ita enim facile eidem uxori ex sententia continget.

N I C I U S. Quamvis mihi prope statutum ac deliberaatum sit, quod reliquum est vitæ, sine uxore traducere, ac jam nunc cogitem, ædem hic B. Virginis sacram dicare, ubi quotidie res divina fiat; tamen, quia lubet jocari, & vacui sumus, fac me, ab te uxoria non abhorrente, eam noctum esse virginem, quæ in sinu Miner-væ educata sit. num, quia istos scopulos evitavi, ideo eos etiam effugi, ad quos sæpe, qui uxores habent, navem offendunt? Cui notæ non sunt technæ ac doli, quibus nuptæ viros suos illudent? Non abibit oratio mea longius, sed iis ipsis nuptis definitur, de quarum fallaciis Boccatus noster cōmemoravit. Nam Ghita & Bartholomæa, Herculani ac Petri Vincioli uxores, aliaque, esse nobis exemplo debent, quam sit fidendum uxoribus.

F A L C. Ut suam quisque vult esse uxorem, ita est, at nuptas illas, quas meministi, si recte animadvertis, invenies,

nies, non suo sed maritorum vitio in ea flagitia esse delapsas. Nam Thophani zelotypia & ebrietas Ghitam ad improbitatem adegit, & Ricardi à Cinzica infirmitas virium Bartholomæam Paganino in concubinatum primo, tum in matrimonium dedit. Et sane biduo ante percurrentis, qua confidentia atque malitia, viri sui insidias, in quas insciens devenerat, Ghita defugerit, præterea constantem Bartholomæam sententiam, in repudian-do vetere inertique marito, in tantum repente risum effusus sum, ut uxor etiam ac filius accurrerent.

S A L V. Quandoquidem non longius biduo factum est, postquam haec legisti, enarra, obsecro: & ego vici-sim Petri Vincioli nequitiam exponam, cui merito ab uxore par gratia relata est.

N I C I U S. Neque ego à me, tanquam collectam à conviva, desiderari permittam. Nam doctum Beatricis dolum in medium adducam; ex quo luce clarius appa-reat, nullam impudicissimæ mulieri fuisse rationem, quamobrem viro nobili, atque optime de se merito, tam insignitam injuriam imponeret.

F A L C. Meam vobis operam diutius à me deberi non fino: ecce, nunc penso manus admoveo.

Locuples quidem homo erat Aretii, Thophano no-mine; cui Ghita, lepida ac liberali forma mulier, collocata erat in matrimonio. Qui Thophanus uxor pudicitiam, nulla quidem ex causa, cœperat habere suspe-ctam. Qua re illa vehementer excanduit. Verum, cum ab eo zelotypiæ ipsius causas exquireret, neque alias, præter vulgares nescio quas, & tritas, acciperet, induxit animum mulier, ea ægritudine virum opprimere, in quam sese ipse conjectisset. Cum igitur ab adolescente quodam, suo quidem animo, frugi, se amari animadver-tisset, scite admodum ac prudenter convenire cum eo cœpit: jamque rem eo deduxerat, ut nihil nisi extrema manus operi desideraretur; itaque, quemadmodum ea illi accederet, excogitabat. Verum, cum, in aliis impro-bis ac reprehendendis viri sui moribus, eum etiam de-prehendisset, ut vino se ad ebrietatem obrueret; non modo ad eum morem retinendum, hortari hominem cœpit, verum eriam acriter ac vehementer impellere.

Quam-

Quin nobrem in manu ipsius erat, quoties sibi videbatur, eum ad ebrietatem adducere; quem statim deinde in lecto collocabat; eoque in somnum delapso, primo dedit operam, cum amatore suo ut esset, deinde ut ad se idem tuto veniret. Hac viri ebrietate confisa, tantum animi sumserat ad audaciam, ut non solum amatorem suum ad se vocaret, sed ejus etiam ad ædes, non longe à suis positas, sese conferreret, ibiq; bonam noctis partem exigeret. Ergo, cum in hac ratione vitæ perseveraret, animadvertit infelix conjux, uxorem, quamvis crebro invitatam, nunquam tamen in se villi quidquam infundere; quapropter suspicione offensus, cœpit, id quod erat, vereri, ne ideo ea se ebrium esse velleret, quo facilius suo obsequi animo posset, dum ipse fusus, sine mente ac sine ullo sensu jaceret. Cujus rei periclitandæ gratia, nocte quadam, cum nihil interdiu plane bibisset, voce ac gestu quantum maximam potuit ebrietatem assimulavit. Quod cum facile mulieri persuasum esset, nihil ea ad concilandum ebriosum somnum loci esse amplius yino existimatit. Itaque, eo in cubile collocato, more suo ad amicum transiit, cum eoque ad medium fere noctis tempus permansit. Thophanus, simul ac uxor se foras eduxit, continuo surrexit, & clausa intus janua, ac fenestræ inhærens, ibi usque obsidere constituit, donec ea rediret, quo sua eidem flagitia jam illustrata ac patesfacta objiceret; ac tantisper ibi mansit, dum ea rediit. Quæ cum fores oppessulatas offendisset, dolore omnium maximo affecta est, cœpitque eniti pro viribus, an per vim claustra posset excutere. Thophanus, cum aliquandiu tacitus se continuisset, Inanem, inquit, mulier operam sumis; huc tu pedem intro non feres; eo redi, unde venis: nam hæ tibi fores non ante patebunt, quam in conspectu tuorum cognitorum proximorumque, quem probe commerita es, honorem habuero. Mulier Thophamum orare & obsecrare etiam atque etiam cœpit, ut se exciperet. neque enim, unde falso opinabatur, sed à vicina quadam redibat, quacum longissimas illas noctes falleret, quas neque integras dormire, neque sola posset domi evigilare. Neque tamen multum proficiebat: nam insano illi certum erat, in famam suam, etiam

etiam tum ignoratam, palam Aretinis omnibus facere. Vbi nihil eum mulier commoveri precibus videt, ad minas confugit, ac, Nisi aperis, inquit, omnium te miserorum miserrimum tedium. Tum Thophanus, Quidnam mihi, inquit, nocere pessima potes? Tum illa, cui mentem suis consiliis amor acuerat, In hunc, ait, putet me potius præcipitem agam, quam infamiam tantam, per summam injuriam à te mihi conflatam, accipiam: quod facinus, cum divulgabitur, omnes à te ebrio prosectorum esse existimabunt. quapropter, vel te erit necesse fugam arripere, ac fortunis omnibus eversum patria cedere, vel comprehensum, uti necis auctorem meæ, capite damnatum, in supplicium abduci. Nihilo magis hac oratione commotus est Thophanus. Quamobrem illa, Enimvero, inquit, Thophane, cum isto odio ferendus non es; Deum propitium habeas; colum hanc meam, quam desero, tuendam conservandumque curabis. His dictis, cum adeo illunis nox esset, ut vix duo inter se, si occurrissent in via, quasi per ambages potuissent aspicere, ingentem lapidem, qui ad putrei pedes jacebat, elatum, magna voce inquiens, Quæsto Deus, ut parcas mihi, parce propitius; in profundum abjecit. Quo delapso, tantus illico stepitus consecutus est, ut pro certo crederet Thophanus, semet uxorem præcipitavisse. Ac sine mora domo profiliens, cum fune & urna uxori præsidio advenit. Vbi mulier, quæ propter ostium domus latitabat, virum foras egressum videt, continuo in domum irrumptit, clausoq; ostio scalisque consensis, cœpit de fenestra dicere, Tum vinum aqua diluitur cum bibitur, non autem epotum, ac de nocte. Thophanus, audita muliere, tum demum se fuisse deceptum intellexit; & cum vellet redire, omnes sibi aditus interclusos invenit: propterea, ut sibi aperiretur, instabat. Illa, ex leni ac submissa oratione, qua adhuc erat usæ, ad clamores abiit, ac, Tibi mea postor, inquit, hac nocte erit necesse pernoctare sub dio, ebriose, importune; tam mihi odiosus es, cum tuis istis moribus, faciam, ut omnes intelligent, qui vir sis, & qua noctis hora dominum revenias. Contra Thophanus, ira incensus, clamore & conviciis, mulieris dicta refutabat, adeo ut omnes ejus vici.

vicinitatis, tum viri, tum mulieres excitatae consurgerent, ac de fenestra, ejus tumultus causam exquirerent. Mulier flens, Hic meus, inquit, vir pessimus, vel mihi quotidie ebrius excipiendus est, vel, cum in popina crapulam edormierit, hoc noctis tempore intromittendus. Evidem diu illum misera tuli, atque etiam objurgavi; sed cum nihil proficerem, hoc demum ejus excludendi consilium inivi, quo experirer, an, ejusmodi ignominia permotus, à suscepta vitae ratione desisteret. Ex altera parte Thophanus, qua erat stultitia, rem totam aperiebat, ac terrore minique omnia complebat. Os hominis, illa inquit, aspicite, quid diceret, si ego foris, ille autem intus maneret? Evidem vereor, ne ea, quæ diceret, vera esse putarentur. Hinc tamen ejus licet stultitiam agnoscere, quod ejus me criminis, cui, ut mea fuit opinio, ipse est obnoxius, insinulat. Mox nescio qua re in puteum abjecta, mihi terrorem est conatus injicere; atque titinam se precipitem vere dedisset; nam submersus, quod ebit merum, diluisser. Tum cuncti, qui aderant, Thophanum accusare, maledictis impetrare, ejusque criminis, quod in uxorem conferebat, reum efficere. Ne multa de vicino in vicinum, tanquam per manus, ad mulieris cognatos perductus rumor advenit. qui, cum eo omnes repente accurrissent, & rem de vicinis accepissent, impetu in Thophanum facto, ita eum verberibus male multarunt, ut pene fractum ac comminutum ad terram abjecerint: cui acerbiora multo minati, secum mulierem, cum suis rebus omnibus venire jusserunt. Thophanus, cum ob suam se zelotypiam e loci venisse cognosceret, quippe qui bene uxori ex animo vellet, per interpres amicos adeo perfecit, ut eandem sibi reconciliatam, domum reduxerit, dato jure iurando, se nulla post hac in re, sua eidem zelotypia, in commodum damnumque daturum: proinde ageret ut vellet; dummodo daret operam, ne quid ipsi de suis factis suboleret. Quamobrem ille miser, post damnum, stultorum more, decidit. Vivat Amor, pereat bellum, cum omnibus legionibus.

N I C I U S. Non poterat aliter Ghita mariti zelotypiam ebrietatemque ulcisci, nisi tam insiguen illi injuriam

riam, tantamque pudicitiae suae labem inferret? Factum est ab ea nequiter, flagitiose, intemperanter, inique. Sed nolo tibi, ad reliqua festinanti, moram objicere.

FALCON. Iudex quidam erat Pisis, Ricardo à Cynzica nomine, ingenii quam corporis viribus longe præstantior. Hic cum, eisdem artibus, quibus litterarum studiis operam dabat, rei etiam uxoriæ satisfacere se posse existimaret, fretus divitiis quibus præstabat, summo studio ac diligentia, ætate integra ac præstanti forma mulierem querere & investigare cœpit, quam in matrimonium sibi conjungeret; quorum utrumque, si ita sibi cavisset, quemadmodum aliis cavere consueverat, angue pejus odisset. Sed utrumque illi contigit ex sententia. nam Lottus Gualandus filiam eidem suam, nomine Bartholomæam, despondit, forma, ut in ea civitate, quæ fœminas prope omnes lacertarum similes gignit, in primis bona & honesta, hanc judex sumtuose opipare que domum deductam, prima semel nocte vix attigit; magis id adeo, ut firmeæ ex essent nuptiæ, quam quod aliqua ejus rei cupiditate studioque flagraret; nihilque propius est factum, quam ut eum vires plane deficerent. Quamobrem postridie mane fuit necesse, vino, bellariis, ovorumque vitellis refectum, prope in vitam revocare. Hinc acrior suarum virium æstimator factus, fastos nescio quos, Ravennæ fortasse compositos, ac puerorum ludis aptos, uxori cœpit exponere; quibus ostendebat, nullum fere esse diem, non plurium clarorum virorum memoria solemnem ac celebrem, in quorum honoré puræ habendæ sint noctes. atque, ad hos dies, plerosq; alios addebat. Præterea ex novis plenisq; lunis, eisdemq; crescentibus decrescentibusq; dies etiam aliquot eximebat; ratus fortasse, perinde ibi, atque in litigando ferias esse servandas. Quem sane morem, muliere ægre ferentæ, diu retinuit; miseræq; illi vix singulis mensibus singuli concubitus contingebant. Interea Ricardus, ne uxori suæ, alius quispiam, dies ostenderet, quibus opus liceret facere, uti ipse festos demonstraverat: omnibus eam custodiis subjectam habebat. Verum, æstate quadam, viandi æstus causa, qui per eos dies maxime increbuerat, Ricardum cupido invasit ruris cuiusdam sui amoenissimi

invi-

invisendi; ibique cum uxore sua per pulchra tantisper commorandi, dum calores illi se fregissent. Verum, quo uxorem suam voluptate aliqua oblectarer, placuit, eam die quodam ad piscatum, spectandi causa, perducere: ea igitur in lembo una cum foemini multis imposita, alterum cum piscatoribus lembum ipse conscendit. Sed dum nulla eos spectandi satietas capit, longe in altum lembus abscessit. Atque ecce tibi, Paganini nobilis archipiratae biremis sese in conspectum piscatoribus dedit: illi vorsoriam capere, arque omnibus remis littus apperere. sed non æque celeriter omnes terram arripuerunt, nam lembus, in quo erant mulieres, correptus, ex fuga retrahitur, sed Paganinus, primo Bartholomæ aspectu mirabiliter captus, eam in oculis Ricardi, qui jam in terram exierat, cepit, suamque biremim scandere jussam, secum avexit. Quæ res quantum quamque acerbum dolorem judici inusserit, dici non potest. Nam, propter zelotypiam, aërem etiam ipsum, ne eam sibi subriperet, metuebat; itaque tum Pisis, tum ubicunque erat, de piratarum improbitate crebras querimonias conventusque habebat. Illud vero dolorem praeter modum augebat, quod ipsi nec prædo, nec quo præda avecta esset, adhuc obolere potuerat. Paganinus, egregia mulieris forma delectatus, bene secum actum esse existimavit; & quia maritus non erat, decrevit cum ea ætatem agere. Cui quia lacrimæ ubertim manabant ab oculis, sedulo faciebat, ut eam illi molestiam leniret. Sed nihil proficiebat. Quare ea, quæ consecuta est, nocte tentandum duxit, num verbis facta præstarent. Quid multa? una nox intercessit, cum mulier omne in ex animo molestiam ejecit, ac judicis ejusque legum memoriam in oblivionem adduxit, cœpitque cum Paganino jucunde & hilariter vivere. Sed Monacum, quo vehabatur, adducta, præter ejusmodi nocturnas diurnaque consolationes, honorifice ab eodem tractata, prope in uxoris loco habebatur. Verū, cum aliquanto post Ricardus comperisset, ubi uxor teneretur; ratus, nemiuem se ipso diligentius rem suam curaturum, exarsit cupiditate incredibili, illuc abeundi, auroque pro uxor's capite repenso, ejus domum reducendæ. Quamobrem conscientia

so navigio, Monacum venit, ibique uxorem suam vi-
 dentem dissimulantemque conspexit. Illa vero Paganini-
 no rem omnem, ita uti erat, exposuit, & simul, quid
 fieri vellet, ostendit. Postridie mane Ricardus, Paganini-
 num conspicatus, iter recta ad eum habet; neque multæ
 horæ abierunt, ctim sese penitus in ejus familiaritatatem
 immersit, dissimulante Paganinò, &, quorsum evaderet,
 expectante. At ubi ei rei tempus visum est, quam potuit
 deinceps humiliterq; adventus sui causam exposuit, sum-
 maque vi orare coepit, ut, accepta ex sua ipsius existima-
 tione pecunia, mulierem redderet. Paganinus ridens, Sal-
 vum, inquit, advenisse te gaudeo; ac, ne diutius teneam,
 non inficiar, domi meæ adolescentem nescio quam mu-
 lierem esse; quæ an sit nupta, ignoro. neque enim antea
 noram, neque te ante hunc diem aspexi. si tibi est cum
 ea conjugium, ut ait, quoniam humanissimus usus es ver-
 bis, ego te eidem sistam; neque dubium est, quin ea; ubi
 te aspicerit, statim agnoscat. atque si hæc cùdem ex ipsa
 audiero, nihil erit in me moræ, quo minus à me eath
 quovis precio accipias; cum hac condicione tamen, si
 ipsa voluerit: secus enim, faceres injuriam si mihi eam
 eriperes; perinde quasi non æque ac quivis alius suffice-
 re uni mulieri possim; huic præsertim, qua non facile
 quidquam dixerim me vidisse in vita festivius. Cui Ri-
 cardus, Mecastor mea, inquit, uxor est, mox experiemur,
 duc me intro ad eam: nam statim ut me viderit, in col-
 lum invadet; condicionem, quam affers, accipio. Quid
 igitur restat, Paganinus ait, nisi ut eatur? Itaque pro-
 fecti, Paganini domum intrant, scalas ascendunt, in au-
 lam veniunt, ibique mulierem, Paganini verbis evoca-
 tam, expectant. Quo postquam ea lepide exulta & or-
 nata pervenit, nihilo familiarius Ricardum exceptit,
 quam alium quemvis sibi ignotum, qui cum Paganino
 venisset. Quod judex admirans, qui summa se latitia ex-
 ceptum iri putabat, continuo ipsem fecum, Fortasse
 ita me dolor deformavit, ut non agnoscat, enndem esse.
 Quamobrem sic prior alloquitur, Magno mihi, mulier,
 ille pescatus stetit, ad quem una perreximus; neque alias
 major meo animo dolor incubuit, quam ille, quem tuum
 mihi dissidium attulit; tu vero mihi perinde non loque-
 ris,

ris, ac si nulla inter nos noticia admodum fiet? nonne Ricardum tuum agnoscis, qui huc, ad te quovis precio redimendam secundum asportandam, advenit? nam alia venirendi causa nulla est; ejusque rei potestas ab hoc viro optimo mihi tribuitur, cuius domi sumus; ita ejus est benignitas. Quem mulier intuens ridensque, Quicum fabularis, inquit, mi homo? videsis, ne me aliam esse censeas. non enim te antea unquam aspexi. Cui Ricardus, Quid ex te audio? me, inquit, intuere. Cui mulier, Pace tua, quisquis es, dixit, non ita est honestum, ut ris, alienum hominem crebro spectare; satis ad id te aspexi, ut conceptis verbis jurare possim, me neque novisse, neque vidisse te prius. Venit in mentem Ricardo, mulierem in hac dissimulatione persistere ideo, quod metueret Paganinum. Quamobrem in beneficio & gratia petiit, ut liceret sibi cum ea, de hac eadem re, sine arbitris agere. Quod sub hac condicione impetravit, ut nullum per vim osculum ab invita surriperet. Facta igitur potestate, in cubiculum soli secedunt, sedent; incipit Ricardus, Eheu meum cor, mea vita, mea spes, mea voluptas, Ricardum tuum non novisti, qui te vita ipsa habet longe cariorem? qui fieri id potest? adeone mea illa vetus forma ex dolore deperiit. age, mens ocellus lepidissimus; ad me paululum aspice. Tum mulier ridens, non est passa eum pergere, atque insequi longius; ac, Recte inquit, adeone me exordem existimas, ut, te Ricardum Cynzicam virum menm esse, non videam? næ tu parum me cognitam habuisti, dum una viximus. nam si illud sal in te fuisset, quod vulgo venditabas, meæ primum validæ robustæque adolescentiæ tibi venisset in mentem; tum illud occurrisset, quod, præter victimum ac vestitum, istuc ætatis mulieres, licet à petendo deterreatur, exposcunt. quod si tibi erat jus civile jucundius, quid erat opus uxore? quamquam nunquam mihi visus es jurisconsultus, sed potius præco feriarum; adeo orationes ferias memoria comprehensas habebas. at si ita eos feriato habuisses, qui possessiones excolunt tuas, ut tu me habuisti, ea profecto ne granum tibi quidem unum extulissent. incidi (ut mea fors tulit) in istum, cui omnes profecti sunt dies; veni huc, unde omnes semper exulant factæ.

feriæ. Quamobrem cum eo ætatem agere decretum est mihi, feriarumque celebrationes in senectam rejicere. tu, quod tibi bene vertat, hinc te quamprimum age, tuæque domi, sine me, tuo arbitratu feriare. Hæc cùm maxime mulier loqueretur, Ricardus dolore, supra quam dici potest acerbo, pervellebatur; cui jam tacenti, Animæ mi, inquit, quid ex te audio? nihilne tibi venit in mentem, existimationi tuae tuorumque consulere? tum tu igitur mavis hic meritrix huic servire, quam Pisis mihi conjux imperare? nam hic simulac libidinem suam expleverit, extrudet te cum damno ac dedecore foras: ex contrario, semper meo eris cordi carissima, &c., quoad vives, domi meæ princeps ac domina. itaque experiar equidem illud, utrum hæc immoderata cupiditas, an existimationis metus, ineusque in te amor, plus apud te possit; qui amor, ut mea mihi vita carior sis, efficit, sed cave, mea voluptas, ne posthac istuc ex te verbum audiam. redi mecum in patriam; & quoniam te mihi indicasti, dabo operam, quod in me erit, ut tribi faciam satris. quamobrem hac sententia desistas censeo, & inducas animum, in eum venire. nam ex quo abducta es, misericordum omnium miserrimus vixi. Ad hæc ita uxor respondit. Primum, quamvis id, quod factum est, infestum reddi non possit, attamen famæ & existimationis meæ neminem me esse cupidiorem efflagito: tum maxime eidem à parentibus meis consultum oportuit, cum me tibi nuptui dabant, cujus si nulla tum ab eis habita ratio est, ne ipsorum quidem rationem aliquam à me haberi nunc placet. Deinde, hic Paganino me esse in matrimonio collocatam experior, tibi vero Pisis in concubinatum tradita videbar. Quod inquis, te conaturum; quid obsecro? ut nihil agas? perstrenuus, postquam nos non vidimus, evasisti. Igitur, atque in eo labora, ut vivas. Nam prope istius inquilinus vitæ mihi videbis, ita es insirinus tabidusque. Quod si hinc foras exturbabor, quod non credo, quidquid me futurum sit, certum est, nunquam ad te redire. quem si quis totum premeret, ne tantulum quidem succi, ad intinctum, exprimeret, satis semel, & magno, meo cum damno, te novi. hic igitur manebo, ubi nullum discriminem est temporum.

tu

tu vero ejice te quamprimum ab hoc cubiculo foras, nisi vis clamem, à te mihi vim fieri. Ricardus ad extreum casum rem esse perductam videns, seroque intelligens, quan̄ stulte adolescentis mulieris nuptias adamasset, omni spe lapsus, ē cubiculo tristis excessit, multaque Paganino verba dixit; sed laterem Javit. Postremo, infecta te, sine inuliere Pisas rediit, eamque amentiam ex dolore contraxit, ut Pisis ambulans, nihil, salutantibus, aut de re aliqua interrogantibus, responderet, nisi, Mulier mala farsi non postulat. Neque ita multo post excessit ē vita. Quo audito, Paganinus mulierem, cuius egregiam erga se benevolentiam expertus erat, duxit uxorem; qui, quoad vita suppeditavit, inter se amarunt, animoque obsecuti sunt suo.

SALVIAN. Si ille infirmus inersque ita feriis deletabatur, cur se ad laborem detruudebat? Nam qui feriari postulat, opus non redimit. Quamobrem uxor, quæ agellum suum excolendum locaverat, cum, vetere expulso, conductori illum alteri addixit, suo prope jure, meritoq; illius fecit. Sed animadverti non paucas interjectas huic postremæ narrationi lacunas.

FALCON. Nonne ab initio inter nos convenit, ut, quæ pudicis auribus minus digna essent, præteritentur? Legibus à vobis positis parui.

SALVIAN. Recte fecisti. Accipite nunc alterum; ubi non oportebat, fortē ac strenuum; ubi autem erat opus, indiligentem ac tardum.

Erat Perusii vir quidam locuples, Petro Vinciolo nomine, qui fortasse magis id adeo ut opinionem de se hominum falleret, & infamiam qua laborabat extingueret, quam voluntate impulsus, uxorem duxit. Quia in re fortuna p̄fusus est, ex sententia. Etenim nactus est virginem adolescentem, rufam, validam, & succi plenam, quæ duarum uxorum magis, quam unius, partes impletset: at cum eo misericordiæ illi res erat, qui alterius cuiusvis rei, quam uxoriæ, cupidior esset. Quod cum si bi perspicuum fieret in dies magis, seque ætate integræ, præterea viribus ac forma præstantem agnosceret, primum tristis esse cœperit de ea re quideam, tum acriter cum viro vehementerque jurgari: postremo animad-

inadvertens , jurgiis & altercationibus sibi potius sollicitudinem addi , quam viro emendationis causam afferri, ita agere secum ipsamet cœpit, Impurus hic suis flagitiis , siccac locis viam ingreditur ; ego dabo operam contra , ut vectorem navi per humidum tollam. ego illi dotata nupsi , quod esse virum credidi , iisque incensum studiis , quibus omnes plane rapiuntur ; quod si alter existimatsem , nunquam me meaque illi commissem. at ille non erat nescius , me esse mulierem ; cur igitur duxit , si æque omnes oderat ? enimvero hoc non est ferendum . nam si consilium fuisset , ætatem procul à voluptatibus agere , in aliquam religiosam domum me abdidisset : sed cum hoc vitæ genus amplexata sim , illudque persegni sit in animo , si expectem dum aliqua mihi voluptas ab isto contingat , interea senectus obrepet , ac tum deum , anum factam , isti me ætatulae ac formæ non servisse pigebit ; cuius attatis oblectandæ rationem meus mihi vir palam ostendit , nimirum , ut inde voluptatem meam hauriam , unde suam explere conatur : verum eadem voluptas in me laudis causam habebit , in illo vita-
 perationis ; ego contra leges veniam , ille etiam contra naturam . Cum igitur haec in animo cogitasset , omnique mentis acie semel atque iterum contemplata esset , aniculam quandam consuetudine amicitiaque sibi devinxit : quam , simul ac tempus ad eam rem commodum visum est , consilii sui participem fecit . deniq; ita inter ipsas convenit , ut si anus adolescentem quendam conspicata esset , qui in iis regionibus frequens conspiciebatur , cuius oris delineamenta deformabat , officium suum meminisset , quibus actis , anicula frusto succidiæ donata , dimittitur . Vix dies pauci intercesserant ab hoc sermone , cum mulieri in cubiculum adolescens ille deducitur , atque alii deinceps multi , ut quemque illa concupierat : neque ultra rei , clam virum , (quem illa metuebat tamen) bene gerenda occasio se dabat , quin eam arriperet . Sed accidit , ut die quodam vir ejus foris apud Herculanium amicum suum cœnaret . Ergo imperavit aniculae , ut adolescentulum sibi quendam in primis Petusiae eleganteim atque venustum adduceret . Ejus imperio præsto fuit anicula : sed vix cum eo cœnam inierat , cum vir ab ostio , Aperte

rite mihi aliquis actutum, exclamat. Tum vero mulier, certo se, hand arbitrario, periisse existimavit: attamen, cum adolescentem cuperet, si fieri potuisset, aliqua ratione celare, nec alia ratio occurreret, sub fiscinam abscondit, quæ jacebat in solariolo, illi conclavi proximo, in quo coenabant; supraque culcitam stramentitiam injecit, quam paulo ante paleis vacuam fecerat: post hæc virum jussit introduci. cui domum ingresso, Cito, inquit, ecenam istam tuburcinati estis. Tum Petrus, Vide, ait, quam tuburcinati simus, ut ne degustaverimus quidem. Quamobrem? inquit mulier. Ego dicam tibi, respondit Petrus; jam ego, una cum Herculano, ejusque uxore, mensæ me commendaveram, cum ecce tibi, non procul à nobis sternuentis cñjusdam sonus veniens excipitur: quod semel atque iterum à nobis est neglectum; sed qui sternuerat, cum ad secundum, tertium, quartum, quintum, atque alia deinceps multa sternumenta adjiceret, fecit, ut vehementer admiraremur. at Herculatus, qui uxori iratus erat, quod non actutum ostium aperuisset, sed aliquandiu nos in via detinuisse, Quidnam, inquit, hoc est? quisnam hic sternuit? seque illico è mensa proripuit, &c ad proximas ibi scalas accurrit, sub quibus extremitis, in loculo, armariolum erat è tabulis ad res celandas factum, ut fere sit ab iis, qui aedes suas ad usus domesticos instruunt atque componunt: & cum inde sternumentorum sonus exire videretur, ostiolum ejus aperuit; quo facto maximus atque teterimus sulphuris odor erupit: qui quidem odor leviter antea nobis afflaverat, sed ea de re mulier interrogata responderat, suis eam modo velis candorem sulphure induxisse, & patellam, ubi illud incendisset, eum in locum intulisse. ostiolo igitur armarii aperto, fumoque dilapo, tum demum, qui sternuerat, atque etiam tum sulphuris vi cogente sternuebat, apparuit. cui adeo in angustum spiritus contractus harebat, ut nihil proprius esset, quam ut eidem omnis sternuendi, atque aliud quidvis agendi, facultas adimeretur. quem simul ac Herculanus aspergit, continuo, Iam video, exclamat, cur paulo ante, statim ut pulsavimus, intromissi non sumus; sed deos habeam semper iratos, si id inultum auferas, pessima. Illa ubi

peccatum suum esse manifestum vidit , tacite & occulte elapsa est ; neque, quas latebras petierit, scio. Herculanus imprudens, ignarusque uxoris fugae, identidem misero illi clamabat, ut se educeret foras. qui , voce ac viribus destitutus, quamquam multum Herculanus instaret, nihil respondebat , neque se loco movebat. quinobrem Herculanus , ira amens ac cæcus , altero pede abreptum foras extraxit, eductoque gladio ibat ut eum ad mortem daret. at ego veritus , ne ea cædes mihi quoque fraudi futura esset , ne quid illi per Herculatum noceretur , ægre prohibui. quin , defensione mea & clamore factus est vicinorum concursus : ac , ne longum faciam , fuit exitus ejusmodi , ut ille miser , sine sensu ac sine mente pene exanimis inter manus auferretur. ergo propter hanc turbam , ut dixi , eam non modo coenam non devoravi, sed nec attigi quidem. His auditis , intellexit mulier , esse itidem alias , quibus æque ac sibi cor saperet , quamvis interdum res infeliciter caderet : ac libenter uxoris Herculani patrocinium verbis arripuisset ; sed magis è re sua fore existimavit , si peccata aliarum reprehendisset, quam si excusasset. Itaque, sic cœpit agere: En mores probæ, en pia & casta mulier, en fides pudicæ ; & quo magis eam oderis , egregium sane , cum prope sit anus , adolescentibus de se specimen edit. ut mala sit horæ illi , qua nata est , ipsique adeo, cui immetato lucis usura vel minima datur, perfidia, improbitate, nequitia cumulatissimæ ; ex cuius flagitiis magnum, ad universum genus nostrum , dedecus & infamia redundat. nonne eam puduit, pudicitiae laude atque hominum existimatione contenta, propter alienum hominem, tantum viro suo, præstantissimo civi optimeque de se merito , atque adeo sibi ipsi , ignominiam inferre? hujus nocte mulierum neminem misereri par est ; quin si meo arbitratu liceat , omnes pendeant , omnes vivæ igni tradantur , omnes in cinerem abeant. Sed cum amatorculi veniret in mentem, quem non longe ab eo loco sub fascina occultaverat , auxtrix erat Petro , quoniam id noctis esset, ut incœnatus cubitum iret. At Petrus quem edendi , quam dormiendi , necessitas longe major urgeret, identidem coenam , si esset ulla, poscebat. Cui uxor, Scilicet

licet cœna cocta est, inquit; omnino, cum tu abes, cœna-re solitæ sumus; uxoris Herculani similis sum, credo; quin is cubitum? quanto feceris rectius? Accidit, ut, ea ipsa nocte, coloni quidam Petri nonnulla in urbem ex rure deferrent, atque asinos suos, male potos, in stabulo, solariolo illi, de quo diximus, proximo, collocarent; at eorum unus, quem acrius sitis urgebat, caput è fune de-traxerat, & singulis quibusque in locis aquam ex odore quærebatur. Fit ergo, ut in eam fiscinam incidat, ubi adolescens quadrupes delitescebat, eidemque digitos, quos extra fiscinam paululum extenderat, pedibus com-primat. At puer, doloris acerbitate compulsus, clamorem maximum extrulit. quo audito, vehementer admiratus est Petrus, eumque è domo sua profectum esse, pro certo existimavit. Quamobrem, cubiculo egressus, atque etiam tum ejus querentis vocem exaudiens, cum ad-huc ejus digitis asinus pedes defixos haberet, Quisnam, inquit, est hic? & rectam habuit ad fiscinam viam; eaque sublata, oblatus est ei adolescens, qui præter do-lorem, suis ab asino digitis inustum, timore omnium maximo perterritus, verebatur, ne à Petro damno ali-quo vel malo afficeretur. Sed Petrus jam cognitum, ut-pote quem diu ad suas flagitiosas libidines adamaverat, quæsivir, quid ipsi domi suæ deberetur. Qui nihil nisi ejus fidem implorabat, eumque obtestabatur, ne qua in re si-bi noceret. Cui Petrus, Surge, inquit; jam nullum tibi à me periculum instat. sed, cedo, quamobrem, aut qua ratione, huc tibi aditus patuit? Tum adolescens, rem omniem, uti se habebat, exposuit. Sed Petrus, ado-lescente reperto, tam latus quam uxor mœsta, dextera eum prehensum in cubiculum duxit. ubi ab uxore, pe-nne exanimata metu, expectabatur, sedensque altrinse-cus, Itane vero, inquit, tu modo Herculani uxorem o-minibus precibus devovebas, & dignam judicabas quæ viva in ignem conjiceretur, quod tantum generi vestro dedecus imposuisset? cur non te respiciebas cum hac di-ceres? aut cur sustinebas illi male loqui, aut id in ea vitium reprehendere, in quo ipsa deprehenderis? verum, id fecisti, nulla re alia commota, nisi communis omni-um malierum studio ac voluntate, quarum in obtegen-

da, alienis probris, sua turpitudine consimilis est impudentia atque malitia. ut ignis, superne delapsus, vos urat, sobolem pessimam; ita vestrum est meritum. Vbi mulier, prima illa coitione, non aliud de se supplicium, nisi verborum, esse susceptum videt, ad hæc, differri Petrum gaudio quod tam venustum tamque eleganteum puerum manu teneret, confirmat ipsa sese, atque, Haud mihi dubium est, inquit, misere te cupere, nos de cœlo tactas extingui, quippe qui nostri generis ita sis cupiens, ut canes fustium. sed hæc tibi cupiditas non procedet in numerum. unum à te peto; quid quereris? ædepol bene mecum ageretur, si cum uxore Herculani in compensatione conjungerer, quæ jam est anus, colloque obstipo, ac pectoris tensionibus falsam pudicitia famam aucupatur, præterea à viro diligitur, suumque ab eo in re uxoria jus impetrat; quod mihi sane non accedit: nam, auratam & vestitam pulchre ut habeas, non tamen es nescius, ut cetera mihi suppedites. quam pridem ego pura à te seorsum cubo! multo quidem malim, pannis obsita, nudis pedibus ingredi, ac paulo liberalius in lecto tractari, quam, ceteris rebus bene acceptam, in hac una contemni. Petre, fac te auritum; mulier sum, similis ceterorum, ac rei ejusdem cupida, cujus desiderio ceteræ exardescunt. quamobrem non est quod mihi succenseas, si foris quæram quod domi non habeo. te tamen non usque eo despicio, ut servulorum sordidorum cupiens sim, cum eisque corpus commisceam. Intellexit Petrus, nullum ad auroram usque garrulæ illi finem fore tinniendi: ideo, qui eam nauci non faceret; Pausa, inquit, faciam tibi satis. interim magnam ab utroque nostrum gratiam inheris, si aliquid in cœnam attuleris. nam adolescentem hunc, æque ac me ipsum, esse incœnatum opinor. Vera loqueris, inquit mulier: nam ubi tu, quod male tibi sit, has fores pulsasti, ad mensam cœnaturi confederamus. Tum tu igitur, inquit Petrus, nobis cœnatur curetur, jube: postea rem ita componam, ut jure querri non possis. Mulier, ubi Petrum pacato sedatoque animo videt, mensam reponi, cœnamque referri in mandavit. qua expleta, quid summa illorum trium voluntate sit actum, effluxit ex animo.

N I C I-

Niccius. Quamvis nullæ cuignam satis justæ sint causæ, castitatis deserenda; attamen istæ, de quibus coimmemoravimus, si non veram, si non probabilem, attamen aliquam flagitiæ ipsarum excusationem videntur posse afferre. Sed quid commeruit *Heganus*, quamobrem à Beatrice sua tam indignis modis iudicaretur? nam, ut est in proverbio, si ita metas, ut sementem feceris, certe ille, pro benefactis, mali messem accepit. Rem ita ut à *Boccatio* proponitur, paucis quibusdam, brevitatis causa, omissis vel immutatis, exponam. Vos ipsi, quo loco ac numero ea mulier habenda sit, judicatote.

Lutetiae Parisiorum erat vir quidam Florentinus, nobili loco natus, quem ad mercaturam faciendam paupertas adegerat; eique res adeo bene feliciterque processerat, ut ad maximas divitias perveniret. Hic cum unicum ex uxore sua filium suscepisset, quo se ille ad paternæ nobilitatis studium, non autem ad mercaturam adjungeret, non eum tabernæ cuiquam vestiariæ excollendum dederat, sed in aula Galliarum Regis inter honorarios ephebos legendum adscribendumque curaverat. Quocirca de præstantissimis artibus, ac præclarissimis moribus quam plurimos hauserat. Verum cum, illato nuper sermoni inter equites aliquot, ex Hierosolymitana peregrinatione reversos, de formosissimi Angliæ, Galliæ, ac totius orbis terræ fœminis supervenisset, continuo unus ex iis, Ex omnibus, inquit, locis quos adii, ex omnibus fœminis quas quidem aspexi, nullam me vidisse memini formosiorem elegantioremque Beatrice quadam, *Hegani* Gallutii Bononiensis uxore. atque eadem erat aliorum sociorum sententia, ad quorum oculos ejusdem mulieris pulchritudo pervenerat. Quibus auditis, Ludovicus, cui nullius adhuc mulieris amor pectus incenderat, usque eo inflammatus est cupiditate ejusdem visendæ, ut alias omnes ex animo cogitationes abjiceret. Cum igitur statutum ac deliberatum haberet, ejusdem inspicienda causa Bononiam accedere, ibique etiam consistere, si ea digna visa esset quamobrem diutius Bononiæ commoraretur, simulata ad Christi sepulcrum votiva profectio, ægre à parente abeundi facultatem accepit. Itaque, alio nomine se Anichinum appellans,

Bononiam venit; ubi usus fortunæ beneficio, postridie mane, qui erat dies, celebris cuiusdam templi, solemnis ac facer, mulierem ipsam aspexit. Quæ opinione sua longe sibi pulchrior est visa. Ne multa; usque eo flagrare cupiditate cœpit, ut non prius Bononia pedem efferre decreverit, quam potitus muliere esset. Verum, qua id ratione assequeretur, excogitans, cum multæ occurrissent, repudiatis cæteris, eam demum inivit, ut videlicet daret operam, quo in Ægani familiam, in qua servi complures erant, reciperetur. ita eniim cuncta sibi prospere eventura arbitrabatur. Quamobrem, equis productis ac venditis, suisque ubi bene & commode haberentur collocatis, imperat, ut perinde agerent, quasi ipsum non nossent. ac re, cum eo quo tum utebatnr hospite communicata, Libenter, inquit, viro cuidam nobili operas locarem meas, si ejus rei occasio se daret. Tum hospes, Ægano, inquit, cuidam carius essem in primis, qui multos circa se formosos juvenes tui similes habet. egomet hominem adibo, ac diligenter cum eo sermocinabor. bono animo es, impetrabimus; ad me recipio. Neque fecus fecit, quam dixit. nam, nisi perfecta re, ab Ægano non abiit. Id quod Anichino gratissimum accidit. Qui, cum iam in Ægani familia versaretur, & mulierem, cuius erat cupidissimus, frequenter aspiceret, ita servire cum fide diligentiaque cœpit, ut in summam omnium gratiam benevolentiamq; veniret. Quid multa? nihil, nisi ex ejus consilio ac voluntate, tota in domo perficiebatur, neque eidem solum sui ipsius corporis curam Æganus, sed suarum etiam rerum omnium imperium potestate inque permisera. Quæ cum ita essent, die quodam fit, ut, Ægano ad aucupium profecto, Anichinum & Beaticem unum idemque conclave recipiat. ac Beatrix, quæ nondum se ab Anichino amari senserat, (quamvis ejus mores intuita probasset, eisque delectata esset plurimum,) provocat eum in ludum latrunculorum. ille morem gerit; ludunt. Anichinus, cui nihil erat antiquius, quam quod mulieri placeret efficerre, scite admodum, summa cum mulieris voluptate, se ab ea superari sinebat. Interea quæ, spectandi gratia, mulieres aderant, alia alio, discedunt. Itaque soli relinquentur.

quuntur. Anichinus, remotis arbitris, petivit alte susprium. Quem Beatrix intuita, Quid tibi est, Anichine? adeone tibi molestum est, quod à me superaris? Longe alia res, ait Anichinus, suspiri mei causam sustinet. Cui illa, Per tuum in me amorem, quidquid illud est, rogo te, ut meam committas in fidem. Vbi Anichinus se ita exorari sensit ab ea, quam misere deperibat; alind superiore altius petitum è corde susprium eduxit. Quamobrem, majore vi, mulier petere etiam atq; etiam cœpit, ut suorū sibi suspriorū causam aperiret. Vereor, ait Anichinus, ne ægre id quod dixerō feras, aut illud facias palam. Non ædepol, ait illa, molestum erit mihi, quod dixeris; neque te iuvito, mortalium cuiquam apriam; teque de hac re ocioso esse animo impero. Quandoquidem, Anichinus inquit, fidem das, te tacituram, nihil te celatum habebo. ac non sine lacrymis, quisnam esset, quæ de ea comperisset, ubi quemadmodum amorem auribus concepisset, ut Bononiam venisset, suasque viro ejusdem operas locasset, cœpit exponere, orare & obsecrare, ut sui eam misereret, illudque suum tam arcanum, tam ardens desiderium, si fieri posset, explaret; si minus id liceret, sub ea saltem persona, quam induerat, se ab ipso amari permitteret. o eximiam Bononienfis indolis suavitatem! quanta tibi semper in eo laus evenit, quod provocata in amore mutuum feceris! tibi nunquam aliorum lacrimæ, nunquam suspiria, sed amor, voluptas, jocns, ac ludus cordi fuere; si mihi tuis meritis par effet oratio, nulla etiam in te ornando satietas, nullus labor accideret. Nobilis igitur mulier Anichinum miserabiliter hæc loquentem intuebatur, habita que dicenti fide, tantum ex supplici ac demissa illa oratione concepit ardorem, ut ad suspirandum compelleretur. & postquam cessavit, Anichine, inquit, mel meum dulcissimum, bonum animum habe; me neque prece, neque pollicitatione, neque gratia, vir quispiam princeps aut nobilis, neque mortalium quisquam, potuit, ut se amarem, adigere, (multos enim, tum antehac, tum modo mei cupidos habeo;) sed dici vix potest, quam tua hæc vel brevis oratio memet mihi eripuerit, tibique ad-dixerit, equidem te amore meo dignum existimo, eum-

que tibi dono ac do; neque proxima nox erit ad umbilicū mortua, cum ejus tibi potiundi facultas suppeditabitur. vernum quo id, quod volvo mecum in corde, prospere ac feliciter cedat, nocte circiter media, cubiculum menim, quod tibi patebit, ingredere; &c, quia nosī, qua lecti sponda decumbam, in eam te confer; ac, si me forte dormientem offenderis, usque eo impelle, dum excites: nec mora, tuum istud tam diuturnum, tam ardens desiderium explebo. ac, ne te illudi censeas, hoc tibi suavium arrhabonis sit loco. conjectisque in humeros brachiis, mutuis sese amplexibus atque osculis excepérunt. Post hæc Anichinus, relicta muliere, herilia quædam negotia curatum abivit; neque, gestienti prægaudio, quidquam longius videbatur, quam dum nox illa appeteret. Æganus, ab aucupio reversus, ac de via labore fessus, statim à cœna it cubitum. quem pone se mulier collocat; atque etiam, ut conventum erat, cellæ fores apertas relinquit. Iam dicta inter eos hora adveniat, cum Anichinus cubiculum intrat, præclusoq; ostio, illi se spondæ, ubi mulier cubabat, applicuit, admotaq; ejus lateri leviter manu, sensit, eam evigilare. At illa, Anichinum adesse intelligens, summa vi dexteram illius manum apprehendit, ac tantisper lecto se volutavit, dum Ægano somnum excusſit. cui subinde ait, Non hercle mihi fuit heri ocium, propterea quod fessus es, te adēudi; sed si te summus diligat Iupiter, cedo, mi Ægane, quemnam in tua familia servum, ceterorum optimum, fidissimum, tuique amantissimum judices. Continuo Æganus, Quid ais? nonne æque tibi ac mihi notus est, uxor? etenim, neque nunc habeo, neque antehac, præter Anichinum, nactus sum quemquam, cui majorem rerum mearum fidem habuerim, neque quem plus eo dilexerim. sed quid tibi venit in mentē ita querere? Anichinus, ubi Æganum excitatum esse, atq; ejusmodi de sermones haberi percepit, à muliere insidias metuens, sepe conatus est manum referre, seque ab ea dissolvere; sed ita arcte constrictus tenebatur, ut nullum esset effugium. Tum illa, Eadem mihi, inquit, erat, opinio, nempe aliis eum fidelitate præstare; sed hunc mihi ipsem et errorem eripuit, nam heri, te ad aucupium profecto, simulac ei

ei rei occasio visa est, pudicitiam illum meam solicitare non puduit; atque, ut sine multis probationib⁹ rem tibi manifestam tradereim, me illi morem gesturam, & inclinata in proximum diem nocte, in horto sub pinu advenienti præsto futuram spondi. mihi certum est illo non ire; at si famuli in te fidem tui experiri non piget, nihil est facilius, quam te aliqua ex meis vestibus corpori injecta, veloque capit⁹ imposito, in hortum sedere, ibique, quem mox affuturum certo scio, usque expectare, dum veniat. His audit⁹ Ægann⁹, Ita faciendum est, inquit. & cubile egressus, ut per tenebras potuit, muliebre vestimentum induit, velumque capit⁹ indidit; ac profectus in hortum, præstolari Anichinum coepit sub pinu. Vix ille cellæ limen exierat, cum mulier surrexit, ostioque pessulum obdit. Anichinus, quem maximus omnium, quos ad eam diem habuisset, tumor invaserat, quique, quantum potuisset, mulieri è manibus conatus esset elabi, atque amori suo, mulieri, sibi que adeo qui eam adamasset, male animo precatus erat, cognita mulieris solertia, neminem se beatiorem ratus est vivere. Iam mulier in lectum sese receperat, cum jubet Anichinum vestem ponere, ac suum in complexum venire. Sed post multos amplexus, cum iam abundi tempus mulieri videretur, imperat Anichino ut surgat, atque, O mea suavitas, inquit, validum nodosumque fustem in manus sume, cum eoque in hortum progredere, assimulansque, ideo attentata in te pudicitiam meam, ut meæ erga virum fidei periculum fieret, convictionem illi maximum facies, & scapulas fuste dolabis; quo facto ludos mihi maximos dederis. Anichinus, ut erat imperatum, surrexit, atque in hortum cum saligno in manibus fuste se contulit; ac proprius ad pinum accedens, vidi passis manibus Æganum ad se venientem, tanquam si vellet in ejus amplexum irruere. Cui Anichinus, Itane vero, inquit, quod tibi vertat male, venisti, neque tam insignem domino meo Ægano injuriam impositurum esse putasti? elatoque baculo, pulsare hominem coepit. ille confessim fugere; Anichinus insequi, ac maledictis impetrere, Dii tibi male faciant, vitii probrisque plenissima; cras mane ad Æganum omnia

Æganus, male multatus, quantum potuit, in cubiculum fuga se corripuit. quem mulier rogavit, an venisset Anichinus. Utinam, inquit, non venisset; nam misero mihi faste omnia pene ossa comminuit, omnesque eas contumelias dixit, quæ vix impudicissimæ cuivis mulieri convenienterent. Atque equidem mirabar, illud tibi elocutum esse, quo me injuria afficeret. sed ex tua ista festivitate hilaritateque, tuæ erga me fidei periclitandæ ansam arripuit. Tum illa, Habeo, inquit, diis gratiam, cum te factis, me autem expertus est verbis, quem quidem arbitror affirmaturum, æquior me animo verba, quam te verbera, perpeti posse. sed tam spectatæ fidei juvenis nonne diligendus est? nonne in sinu habendus? Vera loqueris, inquit Æganus. idque argumenti sumens loco, in eam opinionem adducebatur, ut crederet, nemini unquam mortalium, nec castorem, quam sibi, uxorem, nec fideliorum famulum contigisse. Quæ res ab Ægano ac Beatrice saepius, joci causa, commemorata, magnam Anichino, dum Bononiae fuit, facultatem attulit, liberiore ac solutiore animo potiundæ mulieris.

F A L C . Quandoquidem nostri arbitrii rem hanc esse voluisti, ego, quod ad me atinet, secundum Beatricem sententiam dico; neque, pro Ægani meritis, quidquam ab ea rectius esse factum affirmo.

S A L V I A N . Ego quoque in tuam sententiam pedibus eo. Nam, quid potuit facere elegantius maritus, cupidus existimationis bonæ pudicæque uxor, quam exigua forma juvenes mercede conductos habere, qui Beatrici operam darent? quid enim est uxori mœchos adducere, si hoc non est?

N I C I U S . Itaque vestrâ sententiâ vincitur, longe tutius esse ab uxore habenda mentem abducere, si quidem, æque cum ducimus & postquam duximus, periclitamur. Tantane libido innata mulieribus est! hoc quidem monstri simile est.

S A L V I A N . Adeone tibi magnum videtur, si libido interdum mulieribus imperet, præsertim adolescentibus, cum viros ipsos quotidie ab eadem constrictos teneri videamus?

>

F A L C .

F A L C. Venit mihi in mentem M. Catonis auguris, qui, consultus à quodam, cui mures superiori nocte caligas roserant, idque tanquam magnum aliquod prodigiū perhorreret; Tum, inquit, monstrum ac prodigiū videri deberet, si mures à caligis rosæ fuissent. Idem tibi, Nici, mihi liceat respondere; Adeone tibi mirum videatur, si quæ interdum mulier à cupiditate sua vincatur? illud potius jure inter miracula numeraretur, si omnes ad unam appetitus suos ratione coercent.

S A L V I A N. Bonum animum habe, neque te, Nici, ab uxore ducenda, si quando hæc cupido invadat, adversi istorum, de quibus diximus, casus exterreant. nam aut hæc falsa sunt, aut si vera ea esse contendas, quid mirum, si paucas ea artas tulerit, quibus voluptas fuerit prædictiā jucundior? Sed jam surgamus; &, quo oculos, prospectuum varietate, pascamus, proxima villulæ tuæ loca lustremus.



D I A-

D I A L O G V S
S E P T I M V S.

C L E M E N T I
M E R L I N O,

Sac. Romanæ Rotæ Auditori,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Vmma atque admirabilis ingenii tui
vis & magnitudo, omnisque digna
homine nobili à te percepta doctrina,
præterea incredibilis juris civilis sci-
entia, & maximarum rerum usus,
quo prestas, jam pridem, una cum
aliis meum ad te amorem, studium,
ac benevolentiam illexerat. Sed be-
neficium, nuper à te mihi collatum, ita me tibi devinxit,
ut, quemadmodum expedire me possim, non inveniam. Et
quamvis tuus in mejuvando conatus infeliciter, hominum
iniquitate, ceciderit, attamen hec iniquitas, adeo arctissima
illa obligationum vincula, quibus tibi adstringor, non diri-
mit, ut ne laxiora quidem efficiat; quippe qui beneficia, non
ex eventu, sed ex dantis animo, ponderanda esse existimem.
Verum, dolorem, ex rabule illius, cui confidebam, mihi dolo
inustum, dissimilare non possum; qui equissimæ honestissi-
meque postulationi mee, honoris tui gratia, omnia se conces-
surum, large sponderat, sed statim, me atque te indignis
ludificatus est modis. Nam, quasi tecum convenisset, ut me
oppugnaret, ut quam tumultuosissime adoriretur, ut, quan-
tum potest, hostili contra me animo veniret, continuo recta
ad Iudicem abitt, ab eoque sententiam, adversus me feren-
dum subscribendamque curavit. Quod qua ratione ab eo
factum sit, (si hec ratio, ac non potius perfidia, appellanda
est,) nulla ratione esse qui possunt. Nam, quid potest actori

mæ-

maiis ex sententia contingere , quam ut sine sumtu , ac sine
 molestia , litem obtineat ? quid reo minus expedit , quam
 ut , adversarii ad arbitrium judiciumque tota res redeat , &
 quod ille decreverit , ratum fixumque permaneat ? At
 summa data est opera à me , atque in ea auctoritatem etiam
 tuam interposui , ut hic adversariorum meorum patronus
 causam cognosceret , atque ego , ejus decreto , sine cunctatione ,
 quiescerem , neque potui impetrare . Maluerunt videlicet à
 judge , sententiam ferente , quam à me , sponte largiente quod
 petebatur , accipere : non aliam ob causam , nisi ut contume-
 lia damnoque afficerer . Deus bone ; quemam hec est perfida ! que crudelitas ! que inhumanitas ! Potestne apud Scy-
 thas , vel apud gentes , in extremis atque ultimis terris pos-
 tis , gens tam fæva , tam fera , tam barbara reperiri , que
 hominem , sponte se illi dantem , seque facturum , que illa
 vellet , pollicentem , respuat , rejiciat , oppugnet , audire con-
 temnat ? Mibi quidem non sit verisimile . At ego stultus , ex
 promissione , à caufidico illo tibi facta , securus , quidvis aliud
 agebam , neque insidias metuebam . Cui enim venisset in
 mentem , cani illius capitis rusticitati id quoque deesse , ut
 tibi verba dare auderet ? Sed candidissimos senex barba in-
 quam & capite , te , cana fide , clarissimum virum , tuoque
 ex ingenio mores aliorum probantem , promissis oneravit , ut
 amoto metu , interea me oscitantem oppimeret . At , in ipsa
 iracundia , risum continere non possum , cum simplicitatis
 mea mihi venit in mentem . Iusseras me domum ad illum
 quamprimum accurrere , ac de propensa illius in me volun-
 tate , qui omnia , mea causa , se esse facturum pollicites
 erat , illi gratias agere . At ego statim imperium tuum exce-
 quor , & grandiore , quam etas mea fert , gradu iter arri-
 pio ; atque inter viam verba etiam meditor , quibus
 diserte gratias agam . Venio , scalas ascendo , atque homi-
 nem , dientum turba stipatum , invenio : ex qua turba
 profilit atque recta ad me it unum corporis illius , quod mihi
 negocium crebat , membrum . Cujus corporis quas par-
 tes gerat , utrum capitis , an manus , an ventris , an pedes ,
 nescio ; sed , ex celeritate .qua mihi obviam venit , ejus esse
 pedem conjicio . Ego cum existimans ita celeri ad me gradus
 venire , ut , quantum commendatio tua ponderis apud colle-
 gas suos habuisset , denunciaret ; contra , gradum confero , ut ,
 que

que de reddendis causidico gratiis conceperam, in illum etiam effunderem. At malus, subridens, Perdidisti, inquit, litem, numeratum est judici aurum, decim nummi aurei, sole claviores. Obslupui, hæsi, quid responderem, non habui. At postquam me paululum collegi, Vbinam, clamor, est fides ubi dextera? ubi promissa? Nuge, inquit ille; nihil judici vi sum est longius, quam dum aurum illud in loculos conderet. Interea candidus ille rabula, cui immortales grāias acturus veneram, gregem clientum pone se trahens, ac prater meos oculos, recto capite, ac tacitus ambulans, domo se evicit, & in forum ad agendas causas abit. Ego, tristis, ac demissio capite, meas fortunas querens, discedo. Atque hunc tua illustris commendatio exitum habuit. Sed quid mirum, si rusticus homo, immo rus merum, qui operas suas veniales habet, perfidiose aliquid facit? At in hac eadem causa, ad clarissimi honestissimique viri, quem nominare non est necesse, promissa, tanquam ad aliquem scōpulum, navem offendit. Hic multis mihi abhinc annis usū amicitiaque conjunctus, operam suam detulerat; cum autem hoc incidisset tempus, quo ea magno mihi esse usui posset, peto ab eo, ut accersiri causidicum illum jubeat, ab eoque mihi impetrat, ut hanc controversiam ipse cognoscat, ut, quod dedisset mihi de ea re consilium, id exequerer. Promittit largiter: sed cum dicta factis non suppetarent, neque ille accerseretur, revertor rursum; oro, obsecro, per amicitiam, ne mihi desit, sed pergit perfectum reddere, quod promisisset. Tum, impensus etiam quam antea, promittit operam, meq; animo esse ocioso imperat. Sed inventus est sui similis. At incommodeum istud totum illi referendum est acceptum. Nam, si properasset, quod promiserat, solvere, cum nondum aurum erat depositum, cum nondum fulgore suo cūjusquam oculos perstrinxerat; profecto, in hac iniquitate non hærerem. Sed quis cogebat eum promittere? quis fidem dare? quis me vanam spe ludere? Quod si, cum rogabatur, libere negasset, ingenuitatem hominis laudarem, fidem non desiderarem. At hoc nunc more vivimus, ut honestum videntur, promissa non facere, fidem fallere, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. At te, singulari sapientia ac probitate virum mortis istius astus non absorbiuit. Nam ab homine, nobili genere nato, ac liberalissimi his litteris prædicto, quibus nos delectamur, quidnam

nam expectari aliud poset, nisi summa dictorum factorumque constantia, nisi liberalis, humanus, ac deditus bonis viris animus? cuius benignitatis humanitatisque periculum factum est in me, cum hominem tibi pene ignotum, ac sola virtutis opinione commendatum, amplexus es, laudasti, & quantum in te fuit, beneficio ornasti: quo beneficio tuo fruenter, si fuisset in iis fides, in quibus esse debebat. Quamobrem ut omnium seculorum posteritati nota sit atque perspecta tua ista in me voluntas, meique grati erga te animi testimonium; hunc Dialogum, de Injustitia, tuo nomini inscriptum, edendum curavi, ut tu vir equissimus atque justissimus tuas in re virtutes agnoscas, vel ipsum te potius, tanquam in speculo, contempleris.

D E I V S T I T I A.

T I T U S. M A R C U S.

T I T U S.

Videtur agitur, Marce?

M A R C U S. Legitur. Nam modo, delectationis causa, librum hunc in manus sumseram.



T I T U S. Quidnam est hoc? nullo die tempore, sive matutinis sive pomeridianis sive vespertinis horis, ad te venio, quin te conspicer legere, scribere, commentari, aut ejusmodi aliquid agere.

M A R C U S. Suni equidem avidus discendi, ex infata unicuique hominum à natura sciendi cupiditate; sed sero me ad litterarum studia contuli, neque in eis multum proficio. Quid enim sine doctore atque magistro, tanquam sine aliquo lumine, ad earum rerum intelligentiam pervenire possim, quae in summa obscuritate versentur? Quo fit, ut maguam partem eorum, quae lego, non intelligam. Præterea occupationes variæ, quæ incidunt, me saepius, quam vellem, à studiis avellunt. Quamobrem, omissis, contortis atque spinosis disputacioni-

tionibus, quibus inter se Philosophi garriunt, subcisi-
vis horis, in hæc amceniora studia, tanquam in hortum,
diverto: nam ad ea, quæ dixi, graviora ac difficiliora,
vix audeo accedere.

T I T U S. Omnes tibi horæ, quod ad studia littera-
rum attinet, subcisiæ sunt. Nam ita eas solido de die
cædis adimisque, vix ut quidquam ceteris occupationi-
bus tuis loci relinquas. Sed quisnam liber hic est, qui
nunc tibi versatur in manibus?

M A R C U S. Suetonius Tranquillus.

T I T U S. Apertus sane, pressus, dilucidus, ac præ-
dens est scriptor, & cuius D. Hieronymus se esse maxi-
me similem cupiebat. Nam, in eo libro, quem de scri-
ptoribus Ecclesiasticis edidit, ad ejus elocutionis simili-
tudinem stylum suum direxit. Sed quemnam locum
percurrebas?

M A R C U S. Caput decimum tertium Iulii Cæsaris
vitæ; ubi eum traditur, in petitione Pontificatus max-
duos potentissimos competitores, multumque ætate ac
dignitate antecedentes, superasse; idque merito egre-
giæ ejusdem liberalitati, & amplissimis ab eo muneri-
bus editis, datum existimabam.

T I T U S. Duobus illatam gravissimis viris injuriam
jus vocas?

M A R C U S. Dic, quænam illis injuria imponebatur,
cum homini, optime de populo Ro. merito, postpone-
bantur?

T I T U S. Cedo, quænam sunt ista merita, quibus
Cæsar competitoribus suis antecedebat?

M A R C U S. Primum ædilitas ejus magnificentissima;
quæ fuit adeo rerum omnium copia referta, ut neque
comitium, neque forum, neque basilicæ, neque capito-
lium, potuerint ornatui exponendo sufficere; tum venia-
tiones ludique, ab eo, cum collega, & separati^m editi;
præterea & gladiatorum munus datum; postremo pro-
fusissimæ largitiones factæ: quibus artibus populi in pri-
mis favor studiorumque colligitur; cui, tunc temporis,
ejus honoris demandandi partes incumbeant.

T I T U S. Tu igitur, has ejusmodi partes, meritorum
nomine afficias? quæ artes crimina dicenda sunt potius:
pœni-

pœna supplicioque constringenda; immo eas, legibus de ambitu latis, exilio multari mos erat. Quamobrem Cicero sapienter, ut semper, in quadam ad Curionem epistola, qui Curio magnam, in his muneribus, dignitatis suæ spem collocaverat, eum monet, ut iis bonis, quæ ipsi natura, studio, fortuna, data essent, facilius omnia, quæ erant in Rep. amplissima, consequi se posse confidat, quam muneribus, quorum neque facultatem quisquam admiraretur (est enim copiarum, non virtutis,) neque quisquam esset, quin satietate jam defessus existeteret.

M A R C U S. Quibus ergo artibus populi favor conciliatur? dic obsecro.

T I T U S. Laboribus pro Rep. susceptis, periculis pro ea aditis, magistratibus è communī utilitate gestis; præterea fide, justitia, temperantia, aliisque virtutibus. Quibus rebus, cum Q. Catulus, unus de duobus competitoribus, Cæsari, longo intervallo, præstaret, merito eidem erat anteponendus.

M A R C U S. Nonne Regi, vel populo, vel cuivis alteri, ad quem ea res spectat, liberum est, ei, cui ipsi libeat, honores magistratusque deferre?

T I T U S. Si vim ac potestatem, qua pollut, intelligis, fateor: si juris æquitatisque regulam, qua, in reddendo unicuique suum, uti eos, convenit, nego.

M A R C U S. Cum populus, vel Princeps aliquis, honores indignis committit, velim scire, quid dignis admittat.

T I T U S. Multum quidem. An nescis, eam justitiam, quæ pars est ejus justitiæ, in qua omnium virtutum splendor elucet, quæque tota virtus dicitur, in duo genera dividi, quorum unum versatur in distribuendis honoribus præmisque inter eos, qui civitatis ejusdem societate conjuncti tenentur, alterum, quod in negotiis, quæ inter se homines contrahunt transfiguntque, constitit? Sunt enim nota hæc & illustria, & enucleate eleganterque ab Aristotele, libro Moralium quinto, tractata.

M A R C U S. Nunquam antehac acceperunt aures meæ, quod sciam, esse aliquam justitiam quæ tota vir-

tus sit , aliquam autem quæ pars illius : & quamquam nion semel audieram , justitiam omnem bifariam dividi, vñdelicet in eam quæ in distribuendo , & in eam quæ in cārrigendo versetur, tamen , in aliis studiis occupatus , e ocontemsi , neque intelligentia complecti neque mem ria custodire curavi. Ad Aristotelem quod attinet , sumsi eum aliquando in manus ; & hos præsertim libros, qui de moribus inscripti leguntur , inspexi , deceptus eorum indicibus , qui sunt , ut tu ipse dixisti , de rebus notis & illustribus , de virtute , de justitia , de continentia , de magnitudine animi , de prudentia , de amicitia , de liberalitate , de officio , de fide , de ceteris virtutibus ; coepique animum ad illos advertere; sed sensi , idem mihi contingere , quod M. Antonius orator sibi accidisse testatur , ut verbum prorsus nullum intelligerem. Quamobrem inibis gratiam , si earum rerum capita & fontes aperueris , ut tantum inde hauriam , quantum præsenti disputationi sit satis.

T i r u s . Ut tibi superi omnes bona omnia dent . Iam te , ut inquit Plautinus ille Ballio de coco quem conduxerat , minus malum esse reperio , quam censem , hominem . Nam , quod pauci faciunt homines , facis ; ut nescire fatearis ea , quæ nescis . Itaque audacius , quæ mihi in mentem venient , proferam , quandoquidem apud eum verba facio , qui , si quid stulte dixerim , non possit reprehendere orationem meam . Sed jam diu hæc , de quibus me percontaris , mihi videre non licuit . Itaque eatenus tibi percontanti non deero , quoad ipse à memoria non deserar .

M a r c u s . Quoniam omnis tibi de justitia & injuria futurus est sermo , aveo primum scire , quid sit justitia , quidve injustitia .

T i r u s . Iustitia , ex Aristotele , atque adeo ex omnium recte ac ratione philosophantium sententia , est habitus , quo quis propensus est ad ea agenda , quæ justa sunt , ac , re ipsa , ea cupit ac præstat . Ex contrario , injustitia est habitus , quo quis vult res injustas , & agit .

M a r c u s . Non potuit in unam eandemque definitionem , justitiae injustitiaeque simul ratio concludi ? Ita enim

enim facilius, quidquid præcipitur, percipi ac mandari memoriæ posset.

TITUS. Potest id quidem præstari in scientiis ac facultatibus, sed in habitibus nullo modo. Nam facultates & scientiæ sunt etiam contrariorum. Exempli gratia; ea qua prædicti sumus facultate videndi, non minus ea, quæ sunt alba, cernimus, quam quæ atra: similiter, una eademque scientia, quæ vera quæque sunt falsa, comprehendimus. Verum habitus contrariorum esse non possunt. Neque enim ab optima valetudine, quæ est quidam habitus corporis, ea prodeunt, quæ adversæ convenient, sed ea duntaxat, quæ secundæ sunt propria: nam recte valens, cum ambulat, non facit gradum ut æger, sed ingreditur tantum ut sanus.

MARCUS. At ego novi hominem, utroque crure sanum, Cattiliano nomine; qui, cum à lictoribus ob varia & innumera flagitia peteretur, noctu, quo tempore, quasi luinbricus, erepebat è terra foras, ne, ex ingressu, ab exploratoribus deprehenderetur, ita lepide se altero crure captum assimulabat, ut, qui sunt claudi, non æque sint claudi, ut ille esse claudus videbatur. Potest igitur, qui sanus est, ambulare, ut infirmus ac debilis.

TITUS. Iocaris. Sed probe hominem meinini. hic erat Cattilianus, nugator ac præstigiator in primis; qui facetis fabricis, ac doctis dolis, spectatoribus glaucoma ob oculos objiciebat, eosque ita faciebat, ut viderent ea quæ non videbant, & tangerent ea quæ non tangebant; qui medicum, à quo erat domo receptus, viginti numeros aureis tetigit.

MARCUS. Vide, obsecro, stultitiam hominis. Norat, illum esse sycophantam; sublestam ejus fidem esse non ignorabat; audierat ab eo, furti nomine, apud omnes magistratus, suum nomen esse; & tamen, nūgis illis ac præstigiis captus, ita à se ipse discesserat, ut tanquam si non furem, fugitivum, ac sycophantam, sed frugi hominem ac fidelem, imino fidem ipsam, domi, se discende, relinqueret: nihil obsignatum habebat, neque reconditum, sed omnia aperta atque patentia ejus libidi ni subjiciebat.

TITUS. Miror, cur non polypus ille, qui, abi quid tan-

rangebat, continuo arripiebat, non aliquid præterea aliud harpagaverit; immo, cur non, convalescens rebus omnibus, vacuam medici domum reliquerit. Sed satis jam sumus jocati; revertor ad seria. Videor, si recte memini, ex hominibus doctis audivisse, temperantiam, quæ est quidam habitus, versari circa voluptates & dolores, ac fortitudinem circa audaciam & timorem: at voluptas & dolor, audacia ac timiditas, adeo nihil commune inter se habent, ut etiam collatis, ut ita loquar, signis, omni virium contentionem depugnant. Nihil igitur prohibet, quo minus possint habitus, sicut facultates & scientiae, ea, quæ sint inter se contraria, complecti.

TITUS. Cum de habitibus sermo est, quæriturque an ii sint contrariorum, illud præsertim quæri videtur, num ex eodem habitu actiones inter se contrariae atque pugnantes orientur; non autem, an in ejus mente, qui tali præditus habitu est, contrariarum rerum versari cogitatio possit. Quamobrem, potest quidem temperans voluptatem & dolorem, potest fortis timiditatem & audaciam, sibi ad cognoscendum intelligendumque propondere; verum, ad actionem quod attinet, in qua sunt omnia, (siquidem omnis virtus in actione consistit,) nihil ille nisi temperanter, nihil hic nisi fortiter aget. Posunt igitur habitus contrariorum esse, objective, ut recentiores philosophi, male Latine, sed apte ad docendum instituendumque, loquuntur; non autem operative.

MARCUS. At multos summos viros numerare possum, qui æque fuerunt vitiis ac virtutibus nobiles. Atque, ut de ceteris taceam, nonne Alcibiades, Imperator summus, ut de eo memoria traditum est, cum tempus posceret, laboriosus, patiens, frugi & continens erat, idem, cum se remiserat, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur? Quid ait Cicero de Catilina, omnium mortalium profligatissimo? nonne vocat eum monstrum, ex contrariis, diversisque, inter se pugnantibus, naturæ studiis cupiditatibusque confatum? Erant apud eum illecebræ libidinum multæ, erant etiam industriae stimuli atque laboris; flagabant vicia libidinis apud illum, vigebant etiam studia rei militaris:

ris: nemo erat illo in voluptatibus inquinatior, nemo in laboribus patientior; nemo, qui, cum gravibus severius, cum temperantibus frugalius, cum liberalibus effusius viveret; nemo etiam, qui, cum remissis hilarius, cum rapacibus avarius, cum libidinosis luxuriosius agebat. Quomodo igitur isti, cum essent intemperantes, temperanter, cum essent impuri, caste, cum avari, liberaliter poterant agere? Aut enim contrarii in ipsis virtutum ac vitiorum habitus vigebant, aut ex eodem habitu, tanquam ex eodem fonte, actiones inter se contrariae prodibant.

TITUS. Neque in ipsis, neque in aliis multis, quos proferre possumus, erat virtutum earum habitus, quas simulabant; sed, vel ambitionis vel gloriæ vel cuiuspiam utilitatis gratia, specie quadam virtutis assimulatae, celabant naturam suam ac versabant ad tempus; vel potius libidinum suarum impetum continebant, ne se in iis virtutis, in quæ propensi erant, effundarent. quamobrem, cum nulla suberat causa cur simularent, ad ingenium redibant, & objecta libidinibus suis simulatae liberalitatis, continentiae, ac pudoris claustra rumpabant. Verum, tam multa sunt, quæ possunt hac de re in quæstionem disputationemque venire, ut, si habeamus necesse singula persequi, nullus sit futurus hujus instituti sermonis modus ac finis.

MARCUS. Vnum mihi expedi; deinde magnopere tibi molestus non ero. Si unus habitus alterum habitum, sibi contrarium, à se prorsus excludit, neque in partem aliquam societatis admittit, superfluum fuit, ac non necessarium, post definitionem justitiae, injustitiae descriptionem subjecere.

TITUS. Id adeo factum est, quia plerumque unius habitus notitia, rectius ex alterius eidem contrarii cognitione, percipitur.

MARCUS. Cur addis, plerunque? nonne id est habitibus commune?

TITUS. Minime id quidem; sed in iis tantum habitibus usu venit, quorum contrarii habitus, sunt nobis longe notiores celebrioresque: quod accedit justitiae, quæ ab admodum paucis exculta, celebritate usque, in-

fra injustitiam longo intervallo relinquitur. Recte igitur, ex injustitia, tanquam ex re magis nota, quid sit justitia, percipitur. Neque mirum videri debeat, hominum oculis, minus patere virtutes, quam vitia. Nam cum virtus ita medium teneat, ut ne latum quidem unguem declinet, neque ad dexteram neque ad sinistram, vitium vero, cum semel recti fines evalvit, ita evagetur, ut nullam oram, ubi consistat, inveniat; ideo à paucioribus illa percipitur, hoc vero longe à pluribus oculis, quam sit necesse, animadvertisse.

M A R C U S. Teneo, quid dicas: reliqua persequere. Statuisti, sive potius indicasti, unam esse justitiam, quæ ex omnium virtutum collectione & coagmentatione confletur, alteram simplicem, quæque in illa, tanquam pars in toto, continueatur. Quod quia novum auribus meis accidit, de eo à te doceri incredibiliter postulo. Neque pudet fateri, me ignorare quod nesciam; cum apud Platonem Socrates, Philosophorum, ut ita dicam, deus, se pati posse dicat à docto doceri.

T I T U S. Magna est omnino inter has virtutes propinquitas, ac difficilis ad distinguendum similitudo: sed si placeat adhibere eam, quam supra diximus, contrarii virtutis justitiae habitus, tanquam rei magis noræ, cognitionem & intelligentiam; statim, earum tibi distinctio ratioque in apertum se proferet atque proponet. Cogita; quot modis injustus quispiam dicatur, totidem etiam modis justus, eidem oppositus, appelletur oportet. Primum, injustus dicitur, qui leges negligit, easque perfringit: deinde hoc eodem nomine ille vocatur, qui plus sibi sumit, quam ratio postulet, & aquabilitatem communis juris, ardore cupiditatis, excedit. Pari ratione, uno modo justus dicitur, qui legibus institutisque majorum obtemperet, altero modo, qui, suo contentus, ab alienis rebus cupiditatem & manus abstineat. Atque isthæc diligens, scriptis legibus, auctoritati superiorum, institutisque populorum obtemperatio, est illa justitia, longe lateq; se diffundens, quæ, quoniam virtutes omnes amplectitur, fit, ut tota atque perfecta virtus, omnium approbatione, dicatur. Atque eum, qui tali sit justitia prædictus, eamque diligenter à puerò coluerit, sum

lum dignum esse ait Socrates , qui civitati custos praeficiatur, reliqui vero , huic dissimiles , ab ejusdem custodia arceantur.

M A R C U S . Quomodo hæc justitia omnem in se virtutem, ut dicitur, continet?

T I T U S . Quoniam , qui dicto audiens est legibus , nulla in se virtutum ornamenta desiderat , sed omnibus earum laudibus excellit ac præstat. Leges enim, contra riis vitiis evulsi , omnes animis nostris virtutes conantur inserere. Nam quid aliud faciunt leges, cum vetant adulteria, latrocinia, vim, contumelias, dolos, cum milites prohibent ordinem deserere, fugere, abjecere arma, nisi quod ea jubent, quæ fortis, justi, ac temperantis vi- ri sunt propria , quæque ad felicitatem , ejusque partes , civili societati conficiendas conservandasque , sola vim habent ? Quamobrem , qui talem se civem præbet , ut ne digitum quidem à legum præscripto recedat , huic par gratia à Rep. sua referri vix potest ; ac de hoc ejusmodi homine illud in Platonis Politia scriptum intelligo ; ubi legitur , unumquemque gloriari magis oportere, quod bene servierit, quam quod bene fuerit dominatus ; quod nimirum legibus , ac sapientibus viris , qui illi præsunt, obtemperaverit.

M A R C U S . Recte narras , Tite, virtutibus colendis amplectendisque , vitæ beatæ fines attingi. Et nunc primum Ciceronis locus, mihi antea subobscurus, luce clarior existit ; qui in suo de Legib. Dialogo, lib. 11 , tradit, ad salutem civium, incolumentem , vitamque omnium quietam ac beatam , conditas esse leges , eosque, qui ejusmodi primum scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos laturosque , quibus illi si parnerint , honestam ac beatam vitam exigerent. At perge porro ; ac reliqua, sicut facis, expone.

T I T U S . Hactenus de ea Iustitia, quæ omnium virtutum genere cumulata, in iis , qui ex legum præscripto vivunt , magis quam hesperus ac lucifer in cœlo , ut Aristoteles inquit , elucet. Iam vero ea justitia , quæ superioris Iustitiae pars , in conservanda æqualitate , reddendoque unicuique suum , versatur , proprio nomine Iustitia appellatur , & ad alterum tota refer-

tur. Nam Iustitiae proprium est , esse ad alterum.

M A R C U S . Quamvis , de superiori virtute Iustitiae , satis ad præsentem disputationem dictum existimabam ; tamen ex eo , quod postremo loco à te additum est , nova mihi quæstio suboritur . Si tota in eo Iustitiae vis est , ut alterum spectet , non video , quomodo in ea justitia , quæ ex omnium virtutū aggregatione conflatur , iustitiae ratio inhæreat . Nam quid prohibet , eum , qui in sylvis procul ab hominibus agat , hac virtutis laude florere ? Potest enim neinimicu[m] spectans , pius , justus , temperans , mitis , alieniq[ue] ; non appetens , vitam jucundam beatamq[ue] transfigere .

T I T U S . Atqui istuc mox tibi explicaturus eram , et jam si tacuisses : sed me à te præventum esse gaudeo : nam licet hinc conjicere , quæ à me traduntur , non excidere , sed tibi in memoria prorsus hærere . Atque , ut interrogationibus tuis respondeam , tum demum ea virtus , quæ virtutem omnem continet , iustitiae nomen assequitur , cum in alterius usum utilitatemque confertur . sed , dum otiosa est , neque eum egreditur cui illa inhæret , potius talis quidam est habitus , quam iustitia . Hinc Aristoteles , mire admodum eleganterque à Biante dictum affirmat , magistratus summa virum ingenia , in occulto latentium , patefacere . Nam multorum virtus , dum privatis parietibus tanquam umbris includitur , plurimum quidem viget ac præstat ; verum ubi ex illa domestica exercitatione & umbratili , ad populos regendos moderandosque , tanquam in solem educitur , languescit & concidit . Sed quid tecum tacitus rides ?

M A R C U S . Quia venit mihi in mentem , Plautini Ergasili sapientia , qui in Captivis , ridicule , id quod doces , ad artem parasiticam transtulit ; cui , mœsto ob Philopolemi regis sui captivitatem , cum dixisset Hegio , aliam esse mœroris sui causam , non eam , quam præ se ferret , illudque solum doleret , quod esset remissus edendi exercitus , nec auderet rursum illum quisquam imperare , quod ex multigeneribus militibus esset conflandus , nimis rüm Ficedulensis , Tudertanis , Pistoriensibus , in quibus essent Panicei & Placentini , ac præterea , ex mari timis omnibus militibns cogendus ; exclamans ille , Ut sepe , inquit , summa ingenia in occulto latent ! hic qualis

im-

imperator nunc privatus est! Videlicet optabat, ut illam rei militaris scientiam, quam intelligentia comprehensam habebat, ad alterum, hoc est, ad utilitatem suam, transferret.

TITUS. Sed, ut eo redeam, unde discesseram; ea justitia, quæ istius perfectæ absolutæque justitiæ pars est, in duo genera scinditur; quorum alterum versatur in partiendis honoribus, pecuniis, aliisque rebus, quæ possunt dividi inter eos, qui sunt ejusdem Reip. alterum, quod negotia complectitur, quæ inter se homines contrahunt; atque id rursum in duas alias partes dividitur: quæ quia minus ad rem nostram faciunt, omittamus, atque in eo commoremur, quod in præmiis distribuendis dominatur ac præst; quod etiam, docendi gratia, una cum recentium Philosophorum schola, iustitiam distributivam appellabimus. Ab iis igitur, ad quos honorum distributio in Rep. pertinet, nisi bella, seditiones, & tumultus oriri velint, hoc justum distributivum inveniatur. oportet: quod nihil est aliud, nisi medium quoddam. Idque his præsertim rationibus conficitur, concluditurque. Omne æquum, est medium, puta inter æqualia: at justum distributivum est æquum, (nam, si injustum est iniquum, justum, illi contrarium, sit æquum oportet;) igitur distributivum est medium. deinde hoc medium est quoddam analogum.

MARCUS. Cur inquis analogum?

TITUS. Quia est secundum proportionem & similitudinem rationis. Analogia enim, ut nosse te arbitror, est rationum æqualitas.

MARCUS. Sentio ego, magnam me tibi interrogationibus meis, fortasse ineptis, molestiam objicere: sed quia, ut dixi antea, tibi me plane rudem ad institendum tradidi, omnis tuus labor inanis erit atque irrisus, nisi omnia minima, mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inseras. Quamobrem, cum, ex definitione tua, analogia sit æqualitas seu similitudo rationum, non te pigeat explicare, quid nomine rationis intelligas.

TITUS. Ratio est respectus quidam inter duo; & quoniam exemplis res illustratur, à numeris ea petamus. Inter quinq; & decem est ratio quædam quantitatis, quæ

vocatur dupla: denarius enim numerus quinarium bis continet. similiter inter duo ac tria est respectus, seu ratio quantitatis, quæ dicitur sesquialtera: nam ternarius numerus binarium semel includit, & insuper partem ejus dimidiam. Multa possunt ejns generis exempla proferri; sed quia res satis patet, pergaimus ad reliqua. Cum analogia, ut diximus, sit æqualitas, seu similitudo rationum, saltem constare ex duabus rationibus debet hoc modo: Ut sunt duo ad quatuor, ita sex ad duodecim. sunt enim hic duæ rationes, ex quibus resultat æqualitas, sive similitudo rationum, quæ etiam à Mathematicis proportionalitas appellatur. Cum igitur justum distributivum sit medium, secundum similitudinem rationum ex duabus minimum rationibus, est necesse, ut constet, quæ æquum est, una; quæ justum est, altera; &c, quod rem sequitur, inter quatuor extrema versetur.

M A R C u s. Nondum satis, quid dicas, intelligo.

T I T U s. Dabo igitur operam, ut dicam, quod intelligas. Nonne meministi, antea à nobis dictum, justum distributivum esse etiam æquum?

M A R C u s. Memini.

T I T U s. Itaque, ut est æquum, unam habet rationem, rerum nimirum distribuendarum; quæ res saltem sunt duæ. ut autem est justum, rationem alteram habet, videlicet personarum, inter quas fieri distributio deberet. nam justum, cum sit ad alterum, respicit personas; quæ personæ itidem, ut de rebus diximus, minimum sint duæ oportet. justum igitur distributivum, ex duabus rationibus constat, & inter quatuor extrema versatur.

M A R C u s. Quanam ratione jus istuc ac medium inveniemus, quod in distributione servetur?

T I T U s. Cum justum distributivum, ut saepius à nobis dictum est, minimum sit in quatuor extremis, duabus nimirum rebus distribuendis & duabus personis, ea distributione donandis; si hæc quatuor extrema ita componi possunt, ut, quæ ratio æqualitatis est primi cum secundo, eadem sit tertii cum quarto, tum inventum est jus illud ac medium, quod in distributione requiritur. Ad exempla veniamus; quibus afferendis, non vagabitur oratio mea longius, sed lis ipsis rebus ac personis definitur,

tur, unde noster hic sermo defluxit. Sint igitur personæ, C. Cæsar & Q. Catulus; res dividenda sunt, verbī causa, sacerdotium aliquod inferius, & Pontificatus maximus. tum Cæsaris dignitas & merita, sunt ut sex, Catuli ut duodecim: itidem sacerdotium inferius, sit ut quatuor, Pontificatus max. ut octo. His ita positis, ut videamus, quid Cæsari, quidve Catulo, ex hac distributione debeatur, hæc ineunda est ratio. Ut est Catulus ad Cæsarem, ita Pontificatus max. ad sacerdotium inferius. nam, ut illi inter se affecti sunt, ita etiam præmia inter se sunt affecta. est enim inter hæc omnia respectus seu ratio dupla. promiscue vero, ut est Catulus ad Pontificatum maximum, ita Cæsar ad sacerdotium inferius. quia igitur Catuli dignitas, Cæsaris dignitate, duplo est major, ideo, in accipiendis honoribus, dimidio plus referre Catulus debet, Cæsar dimidio minus. quamobrem Catulo Pontificatus maximus debebitur, Cæsari sacerdotium inferius. quod si secus tunc accidit, profecto est ab aequitate, ab jure, ab æqualitate discessum. Verū ejusmodi analogiam Mathematici Geometricam appellant.

M A R C U S. Quæsto te, ne mihi graveris exponere, quid sit proportio Geometrica. Fugit enim jam pridem harum me rerum memoria.

T I T U S. Analogia, seu proportio Geometrica, ex Euclide, ea est, in qua tres vel plures numeri, eandem inter se habent proportionem; vel si mavis, ubi in tribus vel pluribus numeris similis est excedendi ratio; ut videre licet in his numeris, duo, sex, duodeviginti, & quinquaginta quatuor: quilibet enim horum numerorum, præcedentem numerum tribus partibus superat. Præterea Geometrica proportio dividitur in continentem & disjunctam: continens ea est, in qua uno numero, ut duobus, utimur; verbi causa duodeviginti, sex, & duo: ut enim sunt duodeviginti ad sex, ita sex ad duo; etenim sex, ut duos numeros, adhibemus, cum bis eum repetamus. disjuncta est, cum, ex quatuor vel pluribus numeris, bini tantam eandem inter se habent proportionem; ut duo & tria, ac duodecim & duodeviginti. nam quæ est ratio. seu proportio trium ad duo, eadem duodeviginti ad duodecim. etenim excedendi inter eos ratio est sed quialtera.

M A R *

M A R C . Ius istud ac medium , in distributione servandum , cum ex proportione Geometrica reperiatur , quænam hæc erit analogia? continens? an dis juncta ? an utraque?

T I T U S . Dis juncta duntaxat. Etenim necesse est , ut justum istud , ut diximus , minimum in quatuor extremis versetur : videlicet in personis quibus justum est , quæ sunt duæ , & in rebus quibus hoc justum inest , quæ sunt itidem duæ. Quod si hæc analogia continens esset , unum idemque extremum bis repeteretur. videlicet , ut se haber Pontificatus maximus ad Catulum , ita Catulus ad Cæsarem. Itaq; contingere , ut idem numero , esset extreum cui aliquid justum est , & illud quod justum est ; nimis persona , cui præmium debetur , & præmium ipsum.

M A R C . Felices Resp. si in mandandis honoribus , præmisq; dividendis , ab hac justitiæ ratione nunquam discederetur. Semper enim in illis boni dominarentur.

T I T U S . At hoc est optare , quam sperare , facilius. Semper enim in omnibus Rebus pub. peccatum est in hac re vehementer. Linquamus recentia; vetera inspiciamus. in Rep. Atheniensium sæpiissime magistratus illis mandabantur , qui nullam ad magistratus , qui illis committebantur , rationem habebant. Quod stomachans Antisthenes , rogavit Athenienses , cur non æque asinos atq; equos ad agriculturam deligerent. Quia illud animal , responderunt , non esset aptum ad arandum. Cur igitur , exceptit Antisthenes , judicandi munus illis committitis , qui sint à rebus fere omnibus rudes , quæ muneri illius functioni convenient? cur Reip. gerendæ partes illis demandatis , qui non plus habeant ab industria instrumenta rerū gerendarum , quam asinus à natura adjumenta ad agros arandos excolendosque? num , quia delectus est à vobis , ideo erit etiam ad id muneri aptus? num , una cum honore , ejus etiam recte administrandi facultatem arte inq; deferitis? At , dicitis , usu & exercitatione , doctus vir & experiens Reip. administrator evadet. Quasi ignoretis , quam sit difficile , ab asinis transire ad boves. Si , cum difficulti aliquo morbo implicati tenemini , non medicum adducitis unū è multis , sed illum conducitis potius , qui sit

sit doctissimus & experientissimus ; cur ægram ac prope depositam Reip. partem illi committitis , cuius, nullius fere pretii sit opera? an non intelligitis, nullum magis civitatibus periculum pestemve importari , quam cum, in magistratibus mandandis , nullum est in eis discrimen honorum ac malorum ? Hæc Antisthenes.

M A R C U S . Quid si iste , qui minus per se aptus sit ad id munus , quod suscepit administrandum , aliquot viros doctos atque experientes adhibeat , à quorum auctoritate consilioque non abeat ; nonne omnibus illis incommidis , quæ diximus , obviam eatur ?

T I T U S . Immo alia plura absurdiora sequerentur. Primum, quid dici alienius potest, quam custodi alium custodem apponendum esse ? quid monstri similius afferri , quam ei , qui debeat esse sapiens , nullam sapientiam inesse , nisi extrinsecus ab altero suppeditetur ? Domini domi , inquit Plato , hanc Reip. gerendæ scientiam ille habeat oportet , qui ad capessendam accedit ; non foris ab altero mutuetur. Sedet ille ut magister ac dominus , non ut discipulus ac servus : agit ille ut imperator ac rector , non ut privatus atque subjectus. quomodo igitur , cum docere alios debeat , aliquem sibi magistrum adhibeat ? quomodo , cum regendi alios partes acceperit , alium , à quo ipse regatur , arcessat ? A se igitur , inquit Plato , hanc prudenteriam habeat oportet , qui , sedens in puppi , clavum Reip. teneat ; non ab altero accersitum accedat. Deinde , si eos , quorum consiliis acquiescere cogitur , malos esse contingat , si ambitione , pretio , gratia , duci , si amore , odio , aut aliqua alia animi perturbatione , promoveri eos accidat ; quantum per eos civitatibus malum importetur ! Omnino , inquit Plato , se ita res habet , ut tunc honores ac magistratus ad homines justissimos sapientissimosque venturi sint , cum ii , penes quos residet eligendi potestas , omnibus iis virtutibus cumulati erunt , quas in optimo Reip. rectore ac moderatore requirimus . Sed quoniam , ut arbitror , satis , ad id quod quærebamus , dictum est , censeo requiescamus .

DIALOGVS OCTAVVS.

IACOB O GAVFRIDO,

Viro Clarissimo, Serenissimo Odoardo Far-
nese, Parmæ & Placentiæ Duci,
à Secretis,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



*Æret mihi adhuc in memoria, ac semper hæredit, illa tua singularis huma-
nitas, qua me, dum Roma hic eras, es-
dignatus amplecti. Etenim, non solum
me, hominem, nullo fere ingenio, vul-
gari eruditione, ac vix nomine tibi no-
tum, videre, atque alloqui voluisti;
verum etiam admirabili propensi erga
me animi significatione, amplexus es,
atque officiis omnibus prosecutus; &, quod in summi
beneficii loco ponendum est, scriptorum tuorum, quibus nihil
adhuc, in eo genere, contigit me vidisse prestantius, parti-
cipem fecisti. Deus bone, qua inventionis novitas, subtili-
tas, excellentia! qua rerum varietas, connexio! qui preter
expectationem eventus! quod genus orationis! quam altum,
exaggeratum, expolitum, pictum! qua verborum elegan-
tia! qui splendor ac nitor! quod vibrantium sententiarum
acumen, gravitas, majesias, cum summo lepore ac venu-
state conjuncta! Etenim, cum pars operis illius tu à te voce
clara atque suavi recitaretur, plane vehementer obstuui,
atque ita à te discessi, ut corpus tantum tecum retulerim,
animum autem, amoris atque observantie inexplicabili tibi
nodo devinclum conglutinatumque, reliquerim. Neque du-
bito,*

bito, quin idem eventurum sit aliis, in quorum manus liber ille, typis mandatus, pervenerit. Nam, ejus quasi diuinitate capti, certatim omnes se tibi addictos obstrictosque committent, certatim imis visceribus summum erga te amorem concipient, cujus faciem nunquam viderint, sed animi tantum formam aspicerint. Verum, cum brevis hic meus Dialogus, de Amore, una cum aliis edendus esset, non mihi visum est aequum, in alterius nomine eum apparere, quam in tuo; cui, ut ex scriptis appareat, omnia Amoris precepta sunt notissima; quiique, propter singulare, de Amoribus aliorum scribendis, artificium, suavitatem, venustatem, & eloquentiam, amor atque deliciae humani generis dici verissime potes. Refricabit quoque tibi memoriam mei nominis; teque etiam amoris & obseruantie in te mea admonebit; neque illam in animo tuo obsolescere patietur.

DE AMORE.

MAGISTER. VIRGO.

MAGISTER.

 Vo te agis, mea virguncula, hoc die tempore, atque isthoc tam honesto mulierum comitatu stipata?

VIRGO. Propero ad te, ut referam de rebus, quibus totum vitæ meæ statum contineri, maxime censeo; quodque mihi dederis de iis consilium, id exequar. Magna enim, in tua prudentia, rerum mearum sita spes est.

MAGIST. Facis amice, cum eam mihi prudentiam tribuis, quæ non modo mihi satis superque sit, verum etiam, refundi in alios possit. Sed quam vellem, ad alium potius accessisses, quam ad me! Nam illi, quem tibi consiliarium paras, multis opus est consiliariis.

VIRGO. Non facis tu quidem, mea sententia, ex consilio sapientis, qui, ut ex multis rerum divinarum interpretibus audivi, multos esse nobis pacificos jubet,

coll-

consiliarium autem unum de mille. Verum id, modestia scilicet causa, à te dictum existimo.

M A G I S T R U S. Malleum, inquam, (atque id serio, non muneris, quod mihi à te imponitur, defugiendi gratia dico,) sapientiorem aliquem rogatum adiisses, quam me, quem omnis propemodum sapientiae expertem esse, usus ostendit. Quid enim tam multis ac magnis me impli- cavit erroribus, quam consilii ac rationis inopia? Vide igitur, quomodo consilii sui facere tibi copiam possit, qui ejus in primis indigeat, neque in suis rebus habeat, quod agat.

V I R G O. Nihil mihi novum narras, cum affers, in aliqua te iniestate, consilii inopia, hæfisse: sed non conficitur ex hoc, ut nullum à te mihi prodire consilium pos- sit, quod rebus meis expediat. Nam sit hoc, vitio huma- ni generis, ut quisque sit in rebus suis hebes ac lippus, in aliorum, acutus ac Lynceus. Præterea verissimum est illud verbum, quod dicitur, Omnes nos foris magis sa- pere, quam domi.

M A G I S T R U S. Ut docte, docta verba funditas! nunquam, in ista æratula tantam inesse sapientiam, suspicatus essem.

V I R G O. Ne mireris; nam omnes libros, in quos incidi, sive Latinos sive Græcos, sed in nostram linguam conversos, (non enim Græce scio) perlego: quamquam non omnia in illis intelligo, sed ea dumtaxat quæ ii, qui scripserunt, voluerunt à vulgo intelligi. Quamobrem nul- lis fere liber est, qui vel res gestas, vel fabulas, vel ora- tiones, vel facetias afferat, qui mihi non sit familiaris.

M A G I S T R U S. Non placet mihi virgo, quæ, ut ait Juve- nalis, *docta nimis cupid & facunda videri*. Nam simplex esse debet, atque earum rerum ignara, quæ sunt turpia memoratu, quaque à notitia illius debeant, quantum potest, abesse. Quamobrem, nihil tibi erit opus magi- stro, qui, cum usus veniat, malorum hominum fraudes, sycophantias, astutias, vel doctos mulierum dolos, astus, technas, edoceat. Nam probe, ex libris imbuta, vel do- cetas docebis.

V I R G O. Nihil est malitiarum, quod quidem litteris tradatur, quod notitiam meam effugiat: sed quamquam hac

hæc omnia, à libris accepta, intelligentia comprehen-
dam, ac memoria custodiam, nunquam tamen venit in
mentem mihi, quidquam admittere, quod esset genere
nostro indignum. nam Dei immortalis metus, paren-
tum custodia, &c, quod omnium custodum diligentiam
superat, communis voluntas virtutis, prohibebant. At
fateor, me fortasse curiosius, quam mulieris condicio
patiatur, in omnis generis librorum varietate fuisse ver-
satam: sed voluminum copia, quam fratris mei bibliotheca
mihi suppeditat, ad id studium impulit: deinde, quid
potius facerem, cum ab acu, à colu, à negociis domesti-
cis feriata, domi sola federem, quam, ut meum oculum
hac liberalissima animi remissione oblectarem? At vere-
or, ubi me pater velit nuptum dare, ne hæc fama, si in
Iuvenalem aliquem incidam, faciat repudiosas nuptias,
qui id, de uxore eligenda, amico consilium præbet,

Non habeat matrona, tibi qua juncta recumbit.

Dicendi genus, aut curtum sermone rotato

Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Quamobrem, quod tecum communicavi, tacitum tan-
quam mysterium teneas, ne, si per te foras emanet, à con-
jugio repellar.

M A G I S T . Ne dubita; tacere didici; plenus rima-
rum sum, ut ille inquit Parmeno in Eunicho Terentii,
hac atque illac perfluo. sed, dum tibi domi dos sit, neque
aliud vitium vitio vertetur. At, quantumvis legendi cu-
pidæ, habendus erat librorum delectus, neque cuivis vo-
lumini manus admovenda. Verum, ut res sese habeat;
gandeo, hanc in te mirificam virtutis indolem esse, quæ
ab omnibus flagitiis abhorreat; eamque tibi esse perpe-
tuam cupio, neque unquam extingui. Sed jam nimis
longos logos. dic obsecro, quidnam desideratur in eo,
qui alterum doceat?

V I R G O . Ut ipse antea didicerit.

M A G I S T . Optime inquis. quomodo igitur id te
docuerim, in quo sim hospes ac rudis? ostendamne tibi,
quid sequaris, quid fugias, cum, quid fugiendum quidve
petendum mihi esset, antea non viderim?

V I R G O . Non est imperitus rerum habendus, qui
suo periculo didicit, quod sibi aliisque esse usui possit.

N

Quam-

Quamobrem, si tibi nunquam consilium defuit, est mihi causa, cur illud à te expertam. si defuit, atque illud quod imprudenter feceras correxisti, tibi causa non est cur eam mihi viam nolis demonstrare, in quam te ex errore reduxeris. Nam, ut andivi ac legi, erranti viam non monstrare, Athenis execrationibus publicis sanctum erat.

M A G I S T . Pergis adhuc arguta loqui? auferamus ista; & quoniam omnis mihi libertas recusandi erepta est, dic uno verbo; quid est quod me vis?

V I R G O . Consilium, quod à te experto, ad eruditio-
nem meam pertinet.

M A G I S T . Consilium, inquit Socrates, res sacra di-
citur; sed nihil est divinius, de qno homo consulat, quam
de eruditione sui suorumque.

V I R G O . Tanto igitur æquius est, te mihi operam
dare: ac sapiens consilium, ejus esse margaritæ simile
duxerim, cuius comparandæ gratia negotiator bonus ac
prudens auctionem faciat, ac supellecilem, servos, fun-
dos, ædes, atque omnia quæ sua sunt, vendat. Atq; illud
jam mirari desino, quod antea mirabar, affinem illum
meum, quem probe tu nosti, ut librum unum emeret,
in signem bibliothecam, quæ, quidqnid librorum est,
vel juris interpretum, vel oratorum, vel poëtarum, vel
historicorum, continebat, & rectotenus extrincta locu-
lamenta vendidisse. nam illud emebat, quo recte sibi con-
sultum esset ac ceteris.

M A G I S T . Novi, quem dicas. at bonus vir illud spe-
ctatum habebat, ut nomen suum immortalitatis memo-
riæ, si tamen assequi potuit, commendaret. Sed prope-
ra, quid me velis, dicere. Nam si pergis, quacunque oc-
casione abrepta, à proposito digredi, vereor, ut ad consi-
lium tibi dandum, quod expertis, hic satis sit dies.

V I R G O . Amor ab adolescente, mei loci atque ordi-
nis, mei, ut inquit, studiosissimo cupidissimoque. id mi-
hi de hac re consilium præbe, quod ex meo sit usu.

M A G I S T . Nonne tibi sunt domi parentes probi at-
que sapientes, qui Socrati etiam ipsi, vel Nestori, dare
consilium possint? ad eos de tuis rebus referas; nisi sit
in animo eos fallere; quemadmodum olim pulchre vir-
go

go quadam matri suæ manum adiit, cuius doctum dolum non vererer tibi narrare, satis ex affida librorum lectione perdoctæ, quid vafre ac malitiose mulieres agant; nisi in illud vitium incurrere, in quo te antea reprehendebam, quod videlicet à proposito digredereris.

V I R G O. Narra obsecro. Etenim nihil mihi potest à te gratius accidere; neque hæc narratio erit à rationibus meis aliena, sed maxime cum eo conjuncta, cuius causa te hodie esse conventum volui.

M A G I S T R U S. Faciam tibi satis. sed vide, ne id longius nos ab incepto distrahat.

V I R G O. Minime quidem. Nam multum diei superest. Modo enim inclinavit in pomeridianum tempus dies.

M A G I S T R U S. Audi igitur. Fuit, paulo supra hanc nostram ætatem, Romæ legulejus quidam ac rabula non in postremis, qui filiam ex uxore sua suscepserat, forma præstanti magnoque animo præditam. Hæc cum jam adulta, atque ad ferendum jugum apta, quamvis ita se gereret ut virginem deceret, nihil tamen æque horrebat ut cœlibem inter virgines vitam, neque quidquam impensis optabat, quam ut cum viro aliquo, suis moribus consimili, vitam liceret exigere. Verum, parentes, quo masculæ proli, quam item suscepserant, re familiari integra, uxorem dotatam facilius invenirent, statuerant, eam, intra unius domus claustra conclusam, ab omni connubii spe prorsus arcere. Quod cum mulieri venisset ad aures, (nam res palam agebatur,) ita ipsa agere secummet coepit: Boni parentes mei, quid sit in rem fratris, vident, neque, utrum id rationibus meis expedit nec ne, dum illi prospiciant, pensi quidquam habent: interea nisi prospectum est aliquid mihi, omnis conjugii præcisa spes erit, ac, velim nolim, intra unius angustias domus, tanquam in aliquod pistrinum, detrudar, ubi, pro leni viri imperio, sæva acriter imperantis jussa accipiam, pro geniali toro, viduo semper lecto cùbem, pro blandis mariti verbis, trucem minantis vocem exaudiam: at illi se fallunt; quibus, si diis placet, ostendam, quam frustra sint ii, qui rationes, sine eo cuja res sit, ineunt arque subducunt. mater, quæ nunc marito

me prohibere conatur, id mihi se posse persuadere putat, quod sibi ipsi persuasum esse non potuit. nam, si existimabat, jucundiorem eam esse vitam, quæ sine conjugi ducitur, cur nubebat? cur in viri manum conveniebat? cur nunc etiam, cum vetula sit, noctem unam seorsum à viro cubare non sustinet? ipsa, nova me confilia in corde instruere cogit, ipsa, necessitate me, mala ut fiam, facit. Hæc, atque alia his similia, in animo voluntabat; sed quia verba esse sciebat, quæ ad rem non conferrentur, statuit, quamprimum in dolos incumbere. neque illi fuit abeundum longius. nam ipsa vicinitas machinas, quas ad parentes moliretur, ostendit. In ædibus, virginis domui adnexis atque contiguis, insignem cauponiam faciebat nobilis cocus ac dives; ad quem, propterea quod non ita magna mercede lepidis recteque conditis epulis convivas accipiebat, popinonum aliorumque concursus magni siebant. hic, quoniam ad singula quaque verba exclamabat, O Dominum Deum! vulgo Dominus Deus appellabatur. erat illi filius unicus adolescens, quem pater, non artem coquinariam edocuerat, sed honeste ac liberaliter educatum, Iuris consulto cuidam in disciplinam tradiderat. Hic, & virtute formæ qua præstebat, & commoditatis ratione quam vicinitas dabat, visus est virginis aptus ad id, quod cogitabat. Cœpit igitur oculis, ore, vultu, eum sibi obnoxium facere. Neque multum ipsi fuit allaborandum. Nam adolescens, qui non ita facile invenisset alteram, genere, forma, ac moribus illi consimilem, egregium amorem, in finum sibi delatum, exceptit, ex eoque se medullitus ardere, statim ostendit; quod virginis gratissimum accidit. & quoties parentes ejusdem, domo aberant, non cessabant inter se aspicere, nutare, nictare, colloqui clanculum, ex impluvio vel ex tecto. Interea mater, inter virgines gratis cooptandam eam curaverat, quarum domum primaria ac religiosa in primis foemina excitaverat; & per hanc rationem, facturam se lucri doarem existimaverat. Itaque die quodam, à prandio, ad filiam adit, ostendit, quantum incommodi ac molestiarum secum afferant nuptiæ; nempe uteri dolores, parienti difficultates, filiorum educationem, domesticarum rerum

rum curam , sollicitudinem , laborem; ad hæc, miseras,
 quæ ex liberis capiuntur. adjicit primum , quod insig-
 niti s̄epe pueri pariantur, aut orbi, aut gibberi, aut vari,
 aut valgi , aut compernes , aut lusci , aut brochi ; dein-
 de cum adoleverint , innumerabiles ex iis sollicitudines
 matri nascantur : nam , si absint uspiam , ant si cessent,
 continuo metuitur , ne aut illi alserint , aut ceciderint
 ebrii aut de equo, ac perfregerint crura & cervices sibi,
 aut ipsi aliquid fregerint. post hæc addit, quas amor mo-
 lestias habet, quo nuptæ viros prosequuntur: nimirum
 iras , sollicitudines , suspectiones , quod eos cogitent vel
 amare , aut potare , aut animo obsequi ; quod suismet
 oculis cernant , illos suppilare ipsis aurum , & vestes ex
 arcis suaque ornamenta ad meritrices degerere. & cum
 hæc atque alia multa , quæ vix possunt esse à maritali
 capistro sejuncta, narrasset, concludit, se statuisse, ex his
 miseriis eam eripere , & ad lepidam , jucundam, delica-
 tam , bonisque omnibus affluentem vitam exigendam
 colendamque traducere ; nam impetrasse se tandem ,
 multis laboribus multorumque summatum virorum
 gratia , ut in earum virginum societatem ac numerum
 admitteretur , quæ in novam domum concludenda es-
 sent. propterea para te, inquit ; tibi enim perendie com-
 munis earum virginum habitus suscipiendus est , simul-
 que precare , ut bene , fortunate ac feliciter sit parenti-
 bus , amicis, iisque , quorum opera , maritalis à te ca-
 lamitas depulsa est , ac tantum tibi boni delatum. Vir-
 go, hæc audiens, nullum commoti animi signum dedit.
 tantum, Cura , inquit , ut parata sint omnia ; ego, quid
 opus sit facto , faciam. Ac paulo post mater suorem ve-
 stiarium adduxit, qui novas illi vestes concinnaret ; ac
 cocis nummos dedit , quibus de foro obsonarent , pullos
 gallinaceos , gallinas Indicas , carnem vitulinam , per-
 nam , & scitamenta complura , in cœnam , quam datu-
 ra esset virginibus eo die , quo filia in earum societatem
 venisset. At virgo tectum domus ipsecedit , ac per fe-
 nestram , qua commeatus erat in cauponis ædes , quæ-
 que amantes una inter se convenas faciebat , adolescen-
 tem vocat , quid ipsi mater edixerit aperit , ac sibi non
 esse consilium ait , matris imperiis morem gerere , sed

statuisse jam in matrimonium ipsi se dare , atque solam
soli in perpetuum obsequenter existere ; propterea , si
placeret condicio , quid esset opus facto , sciebat . Ado-
lescens , adeo oblatam sibi condicionem non repudia-
vit , ut etiam virginis gratias egerit : ac , detracto è digi-
tis auro , eo annularem virginis digitum induit , ac mu-
tuo ipsorum consensu verbis expresso , ut firmæ eæ essent
nuptiæ ac stabiles , perfecerunt . nondum enim interdicta
erant legibus , clandestina connubia . quibus actis , con-
tinuo dant operam , ut , quod gestum erat , foras effer-
retur . sed vix hora intercesserat , cum ejus rei fama , gar-
rulæ cnjusdam opera , in totam viciniam permanavit .
Qua fama impulsæ complures , puellæ matrem adeunt ,
novas filiæ nuptias gratulantur . at eorum uous , Gau-
deo , inquit , vehementer , filiam tuam Domini Dei filio
nuptui traditam . luculentum sane conjugium ; in divi-
tem domum ibit . Ita est , ait mater , Domini Dei filio
eam collocavi in maximas ingentes , innumerabiles di-
vitias dedi . nam quibus decretum est , perpetuo virgi-
nitatem colere , iis nullus alius est sponsus , præter Do-
mini Dei filium . Cui aliis , De quonam Domino Deo
nos loqui censes ? Rogas ? inquit mulier ; de eo , qui re-
gnum possidet in cælo . Aut tu , respondet alter , toto er-
ras cælo , aut ludos nos facis . nos de caupone , vicino tuo ,
intelligimus , Domino Deo nomine . quasi nobis non sit
notum , aut tu inficiari possis , filiam tuam , heri vesperi ,
hujus cauponi filio nupsisse . Tum mater , bacchanti simi-
lis , crines solvit , dilacerat , vestes scindit , pectus tun-
dit , verberat , ferit ; atque , Hei mihi , exclamat , miseram
me , quid audio ? ô cœlum , ô terra , ô maria ! ô facinus
andax ! quisnam fuit ei rei auctor ? quis spopondit ?
quis dedit ? ô filiam impuram ! ô adolescentem perdi-
tuum ! ô projectam hominis audaciam ! Accursum do-
mestici , vicini , propinqui , vocant virginem , rogant , an
vera sint , quæ de eo conjugio narrantur . Quibus illa ,
nihil exterrita , Quis negat ? ait ; feci , nec me pudet pi-
getque , hac fabrica fallaciisque , matris consilia everti-
se , quæ invitam ad id vitæ genus conatur detrudere , à
quo præsertim abhorreo . Tum mater involavit illi in
oculos unguibus ; ac , Vide , inquit , os mulieris ; ut lo-
qui-

quitur ! ut nihil pudet ! quid de te vicini , quid illi loquentur, ad quos flagitiū tua fama perveniet ? profecto, erimus omnibus fabula. Sed virgo , leviter à se matrem repellens , multo audacior quam antea. Dicat, ait, quod quisque vult ; quid mea refert , quid loquantur homines aut non loquantur ? Loquantur ut lubet , eantque in maximam malam crucem ; quid commerui ? quid peccavi ? quid poterunt aliud dicere , nisi, me juveni honesto proboque nupsisse , à quo adhuc tam pudica maneam , quam si soror sua sim ? quodnam est hoc flagitium ? quod peccatum ? quod si libeat sermonibus hominum aures dare , nunquam deerit negocium. Quid respondebo , improba , exceptit mater , fœminæ illi primariæ , quæ tam humaniter tamque peramanter in suarum te virginum numerum cooptavit ? Dic, ait illa , nihili me eum locum ac numerum pendere ; propterea ejus alteri gratiam faciat , quæ sit ejusdem cupidior quam ego. Sed quid siet obsonio , inquit mater , in quo tantos sumtus fecimus , tantam operam sumsimus ? Quasi , ait filia , tibi convivæ sint defuturi. Tum risus omnijum est consecutus; ac, Vera, inquiunt, loquitur. jube sis ergo filiæ , ejusque viro , tibi & cognatis omnibus apparari convivum , ac te hilarem fac in filiæ nuptiis : & quoniam id , quod vis , non potes , velis id quod possis ; atque id , quod gestum est , approbes : nam istuc est sapere , vide-licet posse , ubicunque opus sit , animum flectere: ignosce igitur natæ , cui , si nunc te difficilem præbeas , ignosces tamen postea , & id ingratissimis ; nam filia est. His rationibus victi parentes , non habuerunt , quid responderent. Quamobrem ab ira atque dolore ad tranquillitatem lætitiamque traducti , indixerunt in posterum diem propinquis amicisque convivium. quod omnium sermone laetitiaque celebratum est , dictumque novæ nuptiæ sponsaque , de more , feliciter.

V I R G O . Quo pacto hac virgo parentes suos ludificavit , profecto optimas frustrationes dedit in conœdis. sed , è re nata , bene actum est cum ea atque feliciter. Etenim non defuerunt , quibus nihil procederet , caderentque cogitata omnia teterrime. quemadmodum paucis abhinc annis adolescentulæ illi contigit , quæ

contra parentis imperium, se alteri viro nuptui dare tenuerat, spredo ac repudiato illo, cui eam pater desponderat.

M A G I S T . Quem adolescentem narras? non enim me inini, me audivisse factum. fac ejus me participem, obsecro. Cupio enim ex te aliquid discere.

V I R G O . Erat in hac urbe vir quidam, qui nuper est mortuus, cujus opera atque industria in mercatura versabatur; cujus tandem pertensus, ac tranquillitatis cupidus, eam funditus repudiavit, aedesque in amoeniori ac salubriori urbis parte conduxit, ibique, una cum lepida ac plena maturitatis filia, ex uxore, quam paulo ante extulerat, suscepta, hilarem & ociosam vitam agebat, ignarus, quantum sibi dedecoris, filiaeque suae mali, ab ea vicinia impenderet. Erat, ex adverso earum ædium, adolescentis, qui, sive à muliere ipsa in amore provocatus, sive sua sponte, eam amabat, & illa illum contra: ac fama erat, illam, nocte intempesta, furtim & lecto se dimittere, apertoque ædium postico, juvenem ad colloquium admittere. sed ex eo, quod postea consecutum est, magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat. At parens, cum jam non decere existimat, sedere domi virginem tam grandem, vestiaro eam diviti despondit, cum eoque convenit, ut postridie domum ad se veniret, ac sponsæ, ut fit, arrham sponsalitiam daret, nimirum annulum, torquem, vel aliud id genus; ac filiam admonet, ut se in posterum diem, ad sponsum excipiendum, ornet ac comparet. Illa, cuius animus fixus erat apud vicinū clavo cupidinis, hoc nuncio exanimata est; sed demum confirmavit sese, ne quid perperam faceret, quo quidquam patri de amore in juvenem suo suboleret. Verum non cunctandum duxit, sed statim amatorem suum certiorem per litteras fecit, in quibus etiam atque etiam eundem rogabat, ut, si se diligenter, media domum suam nocte veniret; se ipsi ad posticum præsto futuram: nam, convulsatis preciosis aliquot rebus, ac pluribus nummis aureis patri surreptis, sibi certum esse, cum eo fugam arripere, ac patri sponsoque sibi parato os sublinire. Adolescentis, qui eam diligenter, quicq; speraret, rebus tandem ex animi sui sententia

com-

compositis, magnas ad se divitias dotes nomine perventuras, occasionem sibi delatam non omisit, sed ad conditum venit, & in ostio puellam, recte ad fugam instrutam, invenit. quæ cum esset, nescio quid, oblita, ac vellet in cubiculum redire, incidit in famulum; qui, ex strepitu pedum, ratus, domi fures esse, educto in tenebris gladio, puellæ demisit in sinum; eamque, ne voce se proderet, tacentem, ad interitum dedit. Hunc infelices ejus amores exitum habuere.

M A G I S T R U S. Magnum ac memorabile divinæ severitatis exemplum, in eam adolescentulam editum, narras. ergo propterea te sedulo & moneo & hortor, ut, tum in ceteris rebus, tum in sponso eligendo, ne latum quidem unguem à parentum tuorum auctoritate discedas.

V I R G O. At ego eum cupio, de quo huc ad te consilium expetitum adveni. Nam, si mea sententia cum tua congruerit, spero, me parentum meorum voluntate, quæ illorum benignitas est, propitia atque secunda usiram.

M A G I S T R U S. Mox de hac re videbimus. interim, quoniam hos sermones lacestivimus, non possum me continere, quin tibi de altera virgine narrem, cui, similis audacia, eique à quo effictum deperibatur, magnum evasit in bonum. ambo enim, per hanc rationem, non solum ex haereticorum castris, ubi merebant, in nostra praesidia venerunt, verum etiam, à seculi vanitate conversi, ad arctiorem religiosorum hominum vitam transierunt, ut essent egregium sanctitatis, innocentiae, virtutumque omnium, sodalibus suis, exemplum. Sed, ne te, cupidam audiendi, diutius morer; vir quidam, ex Calvini secta, adolescens, genere summo, sed patrimonio tenui, cuius bonam partem, parentis sui libidines dissipaverant, captus est amore virginis cuiusdam, popularis suæ, parente quidem locuplerissimo, sed longe infra ipsius nobilitatem. quam cum ad insaniam adamaret, nec posset, ob ejus ignobilitatem generis, à parentibus suis impetrare, ut uxorem eam duceret; statuit, exilium patria se de commutare, domoque tantisper abesse, dum ille animi morbus abscederet. Itaque zonam, equum, vestes, octreasque itinerarias comparat, atque iter adornat.

abiens, dat virginis litteras, in quibus erat misere scriptum, id est, quod ejus potius spem omnem, parentum iniuritate, amisisset, patriam, parentes, cognatos, amicos relinquere, alios deos penates persequi, alium larem, aliam urbem, aliam civitatem, altos amicos. nam si ibi regnum detur, ubi ipsa, quem animo suo maxime placet, eripitur, illud reculet, ac nolit accipere: proinde valeret, & amoris sui memor viveret, ac se exultatum in Galliam euntem bonis omnibus prosequeretur. His litteris virgo perfectis, vim lacrimarum effudit, ac, virili audacia praedita, clam parentes, bene viaticata, equum consendit, atque amatorem suum, in Galliam euntem, consequitur, seque eidem itineris comitem addit. Iam, rumor erat, virginem abiisse, & quoniam mutuus ejus in adolescentem amor neminem latebat, quem in Galliam profectum esse constabat, mittunt, qui eam, ex fuga retractam, domum perducant. Sed ea, suo cum amatore, Lutetiam Patistorum pervenerat. Itaque Regem adeunt, docent, eo fugitiivam virginem venisse; rogant, ut recuperare eam liceat, ac suis restituere ac reddere. Rex æquissimus dat magistratibus negocium, ut rem cognoscant, comprehendendi virginem jubeant, ac vincitam in carcerem condi. Illi, ex Regis prescripto, lictores mittunt; monent, ut quod in stabulo, ad quod diverterat, tutius comprehenderetur, ædes circundent, omnes ad exeundum aditus occupent, ipsam corripiant, in vincula ducant. Lictores, ut præceptum erat, faciunt; abeunt, obsidionem parant, insidias locant. Mulier, non ignara, eas ad se machinas admovevit, in regionem astutiarum, quam probe noverat, auxilium petitura ingreditur; nam consiliï regio eam fugit, cui nulla est in pectori audacia; atque hos inde dolos, tanquam auxiliares copias, effert. advocat ephebum, quem una secum adduxerat, & quas ille habebat vestes, exuit, ac viriles suas induit; ipsa vero, virili habitu, se foras educit ex obsidione, ac cum omnibus legionibus, hoc est, cum amatore ac paucis servulis, in Italiam castra commovit. At lictores, postquam satis res tuta visa est, in dominum irrumunt, ephebum, muliebri ueste ornatum, inventiunt, tristem, demissum, interdum illacrymantem; putant,

tant, eam esse, cuius causa jussi essent illuc in obsidionem ire; comprehendunt, catenis onerant, in carcerem rapiunt. ubi cum biduum jacisset, demum à judicibus, qui venerant, ut mulierem iis, qui fuerant à parentibus missi, restituerent, interrogatur, quibusnam furiis acta, tantum esset facinus ausa committere, ut virgo, honestis parentibus orta, patriam domum desereret, ac meritriciam vitam liberali conjugio präferret. Tuin ephibus, Ut vestra, inquit, verba audio, Iudices, qui me probri flagitiique insimulatis, qui malam esse foeminae, parentibus meis ingratam ac contumacem, dicitis, video me, per errorem, hoc à vobis fuisse compactum: nam mihi neque parentes sunt, neque magis femineus sexus inest quam vobis. At illi, impudentiam mulieris vide; ut loquitur! ut dissimulat, se eam esse quæ sit! nonne tu illa es impudica ac stulta, cui impurus atque impermissus amor potior fuit quam virginitas, quam patria, quam fama, quam parentum metus? Erratis, ait ille; vir sum; periculum facite; ac si me esse mentiuim invenieris, occidite. His auditis, judices, nihil esse opus experimento statuunt; credunt; rogant, quānam sint eæ technæ, quid vestis mutatio sit. Respondet, se jussum esse à domina, capere ipsius vestem; nam facile, propter ætatis ac formæ similitudinem inquit fore, ut me pro foemina probarem; illam autem, virili ornatu sexum mentitam, è conspectu evolasse. Iudices obstupescere, inter se aspicere, subita mulierum consilia admirari, ac nihil sibi longius videri, quam dum eam Regi fabulam narrarent. Atque ad ephebum conversi, Abi sis hinc, cum omnibus diis; profecto dedisti heræ tuæ operam laudabilem, probam, ac sapientem.

V I R G O. Non minus istud, quam superius à te allatum, lepidum est, atque elegans Attellæ cujuspiam exodium. nam quantumvis risum moveret. Sed perge. quid actum est postea?

M A G I S T R U S. Illi, simul ut Neapolium tegerunt, nocti sunt populariem suum quendam. Catholicae religionis cultorem, virum religiosum ac probum, qui miseris illas oves ac perditas ad Christi ovile reduxit. nam foemina, ad sacrarum Deo mulierum numerum adscribi se voluit;

voluit; ubi etiam nunc vivit, atque omnibus, quibus cunque una est, singulare pietatis, religionis, demissio-
nis animi, virtutumque omnium documentum ostendit: vir vero religiosorum hominum ordini nomen de-
dit, ubi biennio post, magna cum sanctitatis fama, diem obiit supremum. Vide igitur, quam dissimilis fuerit
istorum exitus illi mulieris ejus, de qua commemora-
sti? Sed jam domum, hoc est ad te, revertamur. Vnde perspectum habes, eum, qui tui est cupiens, ita adiver-
sum te esse affectum, ut dicis? age sis, dic, quod uam e-
jus in te amoris periculum fecisti?

VIRGO. Multis quidem argumentis, me ab eo dili-
gi, sentio, sed eo in primis, quod saepe meam formam
commemorat, in celum effert, seque ab ea adigi jurat,
ut me magis, quam se ipsum, praecipuo quodam amore
ac benevolentia complectatur ac diligit.

MAGIST. Nunc tu quidem verba haud docte vel
callide facis, sed nimis virgo es pueriliter stulta. Num propterea, quia formæ tuae laudator existit, sat acceptum
habes, te ab eo, ita ut æquum est, diligis, eumque perpe-
tuum tibi amatorem futurum?

VIRGO. Quidni? quid enim majorem in nobis, ad
alterum diligendum, vim habet, quam illius ætas ac
forma? Vnde me legisse memini, inter apophthegmata,
elegans Aristotelis seu Diogenis dictum, qui pulcritudi-
nem quibusvis commendaticiis epistolis efficaciorem
esse ajebat.

MAGIST. Si isthæc tibi est sententia, plane te, vir-
go, ignoras.

VIRGO. Nihil novum, neque mirum facio: com-
mune est hoc vitium ac pervagatum. Nam, ut syco-
phanta ille Plautinus philosophatur, *in foro vix decimus quisque est, qui se ipsum noverit.*

MAGIST. Non est mirandum, tantum esse in una
puella, ad respondendum ac laceſſendum, acumen, cum,
ne veteres quidem comicos à notitia atque intelligentia
tua esse remotos, intelligam.

VIRGO. Fateor, ut antea ex me audisti, quod mihi
temporis supereſt, non me libentius in excolenda orna-
daq; forma, ut ceteræ faciunt, quā in legendō, solere con-
ſumere.

M A

M A G I S T R U S. Audio; sed nunquam putassem, te usque ad Terentios & Plautos fuisse venturam.

V I R G O. Non eo inficias, in comediiis pervolutan- dis me diligentius fuisse versatam, quam fortasse necesse sit virgini.

M A G I S T R U S. De hac re alius erit dicendi locus. nunc quod ad rem præsentem attinet, si quidquain tibi no- tius est te ipsa, ea imprecatione digna es, qua sponsus, in Caenitio, sponsam prosequitur, his verbis, *S i teigno- ras, e gredere, & abi post greges sodalium tuorum, & pæce bædos tuos.*

V I R G O. Quodnam malum sponsus sponsæ impre- catur hac oratione, cujus verbum proflus nullum in- telligo?

M A G I S T R U S. Magnum ac formidandum. Nam abire è conspectu eam jubet, quæ se ipsam ignoret; &c, quod pejus est, imperat, ut gregum, hoc est, cupiditatum sua- rum, quæ gregum nomine appellantur, utpote quibus feritas quædam insit, & agrestis immanitas, ductum se- quatur. ab iis enim in abrupta vitiorum præceps agetur. at nihil terrius, nihil infelicius, accidere cuiquam potest, quam si procul à Dei conspectu, hoc est, longe ab ejus auxilio, remotus, rationi imperium abroget, illudque cupiditatibus improbissimis suis deferat.

V I R G O. Quandoquidem à mei notitia aberrare ti- bi videor, reduc, obsecro, me in viam, qua mihi nota esse possim.

M A G I S T R U S. Eam tibi viam aperiam, quam dicitur secutus Socrates, cum ad hæc intelligenda Alcibiadi dux esset atque magister. Censemne, inter te ac tua aliquod esse discrimin?

V I R G O. Censeo; ac magnum quidem.

M A G I S T E R. Qui igitur bona tua laudat, di- light, expetit, utrum te, an aliquid quod sit extra te, diligit?

V I R G O. Puto, meis tantum bonis eum inhiare, me autem contemnere ac nihil facere.

M A G I S T R U S. Idemne putas evenire posse in eo, qui formam tuam diligit?

V I R G O. Ita mea mihi forma, quantulacunque ea, hæret,

hæret, ut non videam, quomodo, qui eam cupiat, non una opera, me quoque cupere videatur.

M A G I S T R U M. Non igitur aliud tibi videtur esse tua forma, aliud tu ipsa?

V I R G O. Mihi quidem nullo modo.

M A G I S T E R. Cum tuæ senectus formæ sœvas manus injiceret, idne tibi in oculis lumen, hunc in genis florem, id in capillis, quod nunc fulget, aurum, reliqui faciet?

V I R G O. Minime quidem; immo, ut aliarum exempla me commonet, avare hæc omnia diripiet, & pro hilaritate tristitiam, pro floribus rugas, pro auro caniculum substituet.

M A G I S T R U M. Erisne eadem, quæ nunc es?

V I R G O. Si formam intelligas, minime; si animum species, qui non inveterascit, ero plane eadem.

M A G I S T R U M. Si tua forma, te sciente & intelligente, potest imminui, ac tota demum in nihilum redigi; cur eam, paulo ante negabas, tibi eripi posse, sed indissolubili quodam nexu constrictam hærere ajetas? Longe melius, quam tu, Bion Borysthenites, formam dixit esse bonum alienum; cum nemo possit eam sibi fingere, nec, à natura concessam ac traditam, quam din ipse velit, sarcinam teatam, ut ajunt, habere, & ab omni incommmodo, detimento, molestia, sinceram integrumque præstare.

V I R G O. Ita opinabar: sed gaudeo vehementer, me tua oratione fuisse de sententia dejectam.

M A G I S T R U M. Atqui jam tibi illud certum exploratumque necessum est esse, de quo à me consilium expeditum adveneras; nimirum eum, qui forma impulsus tua, te colat, non continuo tibi esse amicum, sed extra te ipsam aliud quidpiam expetere.

V I R G O. Nondum satis id mihi liquet: cupio de eo fieri certior.

M A G I S T R U M. Si tua forma bonum est à te distinctum atque sejunctum, quia, integræ atque superstes, ea carebis, ut diximus; ergo, qui eam sibi formam expetit atque habere cupit, non tui studiosus, sed bonorum tuorum cupidus esse convincitur.

V I R G O. At ille persancte affirmat, non meam se for-

formam, sed, mea coactum forma, me plus quam oculos suos, plus quam se ipsum diligere.

M A G. Ergo, si haec tibi astatula ac forma non esset, causae, quibus diligenteris, nulla subessent. Cum igitur utraque res annorum cursu perierit, omnis etiam de te amor necesse est ut in nihilum abeat. Frustra es, deciperis, si aliter sentis. non tu, sed tua in te aetas pulchritudoque diligitur, expeditur, in honore habetur; tuque tantisper in precio eris, dum haec integra maneat: ubi autem obsoleverint, spreta atque contenta, tanquam remotus & inutilis urceolus, in angulum rejicieris.

V I R G O. Cave, hoc suspiceris de tam suavi adolescente, qualis ille est; cui ego sum cordi, cuique se ipso longe sum carior.

M A G. Vah, quam te nunc hebetem ac rudem experior! at etiam primo callidam ac disertam credidi virginem. Atque, ut primo ad illud respondeam, quod secundo loco dixisti, videlicet te adolescenti illi se ipso cariorem existere, flagitiosa ac turpis est isthaec oratio. Nam qui tibi amorem ac benevolentiam, ea majorem quam praestare ipsi sibi debeat, pollicetur, leges, amicitia dictas, excedit; quae, ut parem amico & nobis amorem exhibeamus, jubent. unus est, qui prater cetera, & magis etiam quam nosmet ipsi, diligendus est; nimis Deus. Namobrem, si ille magis erga te affectus, quam erga se ipsum est; debitum Deo amorem eripit, arque in te, quod minime oporteat, transfert. itaque sceleris ac furti se alligat: &, si, quodcunque cum justitia fit, virtus, & quod sine illa, scelus ac pravitas dicitur; improbus certe est ejus in te amor, & te, quae illum in te admittis, in ejusdem cum eo sceleris societatem includis, & graviter peccas in Deum. Deinde, unde compertum habes, ejus adolescentis amorem tua tibi forma fidelorem ac diuturniore evasurum, nec pariter cum illa abiaturum? num fortasse, quia ille dixit? At Thaide illa Terentiana imprudentior invenitis, quae non est passa, dari sibi verba, sed fluxam in amoribus persequendis adolescentum fidem cum animo suo reputans,

Forma, inquit, impulsu nostra, nos amatores colunt;

Hec ubi immutata est, illi suum animum alio conferunt.

Idque

Idque etiam , non tam docta quam experta , intellexit Plautina Scapha , in Mostellaria ; quæ cum heræ suæ Philematio diceret , ne in Philolachete , à quo adolescentem tum amabatur , spem poneret rerum suarum ; fore enim , ut tandem ab eo , atate ac satietate , desereretur , se ipsam in exemplum duxit .

Postremo , inquit , si dictis nequis perduci , ut vera hac credas ,

Mea dicta ex factis nosce : rem vide , qua sim , & quæ fui ante :

Nihilo ego , quam nunc tu , amata sum , atque unius modo gessi morem ;

Qui , pol , me . ubi hoc caput colorem immutavit ,

Reliquit , deseruitque ; tibi idem futurum credo .

At , inquies , istæ , catum hoc alioqui consilium ac prudens , ad nequitiam suam referebant tamen ; nimirum ut eos , quos captos detinebant , everterent fundis , familiis , fama fortunisque omnibus , ne postea cano capite ipsæ mendicare cogerentur . Audio : verum istuc idem tibi , ad probitatem videlicet , ad pudicitiam tutandam , valere debet , cavendumque , ne temere cuivis credendum existimes . Ac bene & præclare cum mulierum genere ageretur , si semper amor ad canos usque produceretur ; sed formæ , ut dicebat Socrates , tyrannis non diurna , verum exigui dominatus est temporis : ac sit etiam plerunque , ut multi , quas perdite deperierant , simul atque avidæ mentis satiata libido est , oderint , nec velint aspicere . Et quoniam

Scitum est , periculum ex aliis facere , tibi quod ex usu sit ,
vel quia , ut est in proverbio veteri , optimum est , aliorum insanias frui ; potes adolescentium inconstantiae , vel
potius perfidiae , petere tibi exemplum à Phyllide , quæ
à Demophoonte , quem lecto excepere atque in obliuionem adducta , amoris impatientia , suspendio sibi vitam ademit : potes ab Hypsiphe , quæ Iasonem , cui se totam permiserat , sero experta est infidelem atque perjurum ; potes ab Ariadna , potes à multis aliis : sed , quia
exempla , ex sacris litteris petita , te magis movere debent , quod nuda in eis veritas , nullo mendacii fuco infecta , se prodat , una tibi Thaimar , virgo speciosissima , posse

test esse exemplo, quod nulla, in ejusmodi amoribus, stabilis fiducia permaneat. Etenim ab Ammone fratre, plusquam dici aut excogitari potest, adamata, ac per vim oppressa, eo odio cœpta est haberi, quod infinitis partibus amorem, quo eam antea prosequebatur, excederet. Nam, per suminam injuriam & crudelitatem, ejecta est foras, ut, quod cubiculum fuerat antea conscientum amoris, idem etiam fieret testis crudelitatis & odii. Possum etiam tibi, recens amatorum inconstantiae exemplum, afferre; quod, ne te obtundam, prætermitto.

VIRGO. Immo mihi pergratum facias, si narres. Nam, nescio quo modo, magis me nostra ac recentia, quam vetera & aliena, delectant.

MAG. Faciam tibi satis; sed sub hac condicione, si vini mei pocillum exhauseris. nam arbitror, te, ex itinere, atque ex calore, aridas fauces habere, degusta, obsecro. nam vinum est bene mordax, lene: sed meracum est bibendum; nihil enim valet in aqua.

VIRGO. Magnas tibi gratias ago de vino. nam nulla me sitis necessitas urget; ac modo licuit, apud Dorippam, amicam meam, bibere.

MAG. Quamnam Dorippam ais? illamne mulierem tumidam, elatam, gloriarum vanitatisque plenissimam, quæ semper, ad fastidium, virtutes suas enumerat, narrat, extollit; quæ existimat, se ceteris elegantius psallere, saltare, fidibus canere, versus facere, epistolas scribere, ab omnibus, propter formam, conspici, diligi, expeti?

VIRGO. Ea est. ac, si scias, qua modo inani jactatione mensæ suæ delicias extulerit, rideas. Iam nosti, eam velle ab omnibus credi, nullam se sumtuosius ac pollicibilius esse ac bibere. Itaque, simulac salutum ad eam veni, tanquam commota, Cur non, inquit, maturius accessisti? tibi enim prandium dedisem. modo enim à mensa surrexi. Ac, ne reliquiarum spes animum oblectaret meum, quid commenta sit, audi. Cum, inquit, essem, hoc mane, fastidiosior; credo, ob anni tempus fervidissimum; decrevi aliquo me obsonio nitiduscule curare, quod fastidium illud abigeret: ac primum cogito, gallinam mihi, bene conditam, in

O

patinis

patinis apponendam curare ; sed statim hanc cogitationem abjicio , quod fere jam prandii hora appeteret , nec ea posset in prandium recte curari : tum venit in mentem , par pipionum coēmere ; at hi sunt calidores , quam anni tempus efflagitet : volui pullastros aliquot mihi parare ; sed condimenta , quibus nunc coci utuntur , nouita palato meo sapiunt . quamobrem cum consilia omnia frigerent , nec quo me verterem haberem , frustulum succidiae , quod mihi ex hesterna cœna reliquum fuerat , super prunas imposui , meque eo refeci . Revocavit mihi in memoriam , hoc tum pollucibile prandium , lepidum mimi cuiusdam in comedìa jocum , qui , cum Gratiani partes ageret , ac rixam , qua olim rixatus fuerat , exponeret : Die quodam , inquit , cum essem domi , petulans quidam atque ebrius de janua , multis me verborum contumeliis provocavit in pugnam . at ego , quo eas tam indigne mihi dictas contumelias ultum irem , contineo ad lanceam accorro ; at ea erat rixanti incommodo . ad sclopum manum admoveo ; sed pulvis ex sulphure ac nitro plumbumque deerat . ad gladium me converto ; at ille educi non potuit ; ita vaginae hærebat . Quid ? quid igitur feci ? Audite doctum hominis consilium , audite memorandam audaciam ; stipitem validum & crassum accipio , eoque ostium obdo , meque domi contineo .

M A G . Quid mimus iste tuus attinet ad Dorippæ prandium ?

V I R G O . Nihilo plus , quam Dorippæ prandium ad nostrum mimum .

M A G . Quamvis latam tibi bibendi conditionem non accipis , nihil minus voluntati obsequar tuæ , & vini cyathum faciam lucri . Amicus quidam ac popularis mens misere torquebatur in nuptia ; cui identidem illud decantabat , quo amatorculus iste tuus maxime apud te valere se putat : nimirum non suam ipsius formam tantum sibi incendum cruciatumque conficere , sed humilitate , prudentia , modestia , ceterisque animi ipsius dantibus adigi se , ut suis etiam oculis sibi cariorem habeat ; atque , amoris impatientia , ut ajebat ipse , coactus , tantum animi habuit ad audaciam , ut die quodam , 3 prandio , non dubitaverit , mulieris domum intrare , dum mari-

maritus adesset, suaque in bibliotheca Aristoteli operam daret, qui cum uxoris vocein, cuius illi fides suspecta erat, quamque in proximo cubiculo reliquerat, non audiret, insidias metuens, relicto Aristotele, se foras eduxit; ac parum absfuit, quin audacem illum comprehenderet, idque illi faceret, quod mœchis fieri solet. At ipse, qui, diu ab æstu cupiditatis suæ jactatus, portum se tenere existimabat, hostiem conspicatus, versoriam capit, lembum subducit, ac fuga salutem quærit. Ineptam mariti stultitiam accipe. Qui infamiam suam sub linteo latentem habebat, rejectis involucris, omnibus aperuit: nam ubi ille sibi elapsus est è manibus, continuo clamores tollere, questibus viciniam implere, Dei atque hominum fidem implorare, impuri illius nomen ad magistratus deferre, tentatæ ab eo uxoris suæ pudicitiae reum eum efficere. Quem postea judices, re cognita, exilio multarunt. Itaque triennium urbe domoque cœruit: quo exacto domum rediit. Sed vix anni decem intercesserant ab eo die, quo penè pro mœcho comprehensus est; cum vir mulieris, senio curisque consecutus, excessit è vita. quæ mulier statim filium natu minimum mittit, amatori qui dicat, jam pestem illam esse de medio sublatam, quæ amoribus ipsorum distractionem, disfidium, vastitatem afferret; advenisse tempus illud optatissimum, quo palam ipsis liceret amare, nec amore inter ipsis uti surrepticio. Quamobrem, libello eum venerio citabat; ut ipsi se sisteret, neque esset in mora. Quidnam putas responsum puerò illi dedisse hominem, qui toties tam sancte juraverat, nec ætatem mulieris, nec formam, amoris in eam sui causam habere, sed ingenium, sed mores, sed animi ejusdem pulchritudinem, &c., quamvis Sibyllæ annos vixisset, se semper eodem erga illum animo futurum? quid, inquam, putas, respondisse? Contumelioso à se puerum dimisit, atq; Abi sis hinc, ait, lenuncule, cum mandatis istis: renuncia materculæ tuæ, eam esse anum jam factam, meque ejus amorem & gratiam nihil pendere. Quid potuit elegantius facere homo, totus in amore Platonico occupatus?

V I R G O. Tum tu igitur, fidelem mulieri nullum evenire posse amatorem, existimas?

M A g . Nullum , si ille corporis potius quam animi bona segetetur . Nam corporis forma atque venustas , ut diximus , fragile ac fluxum est bonum : ideo nihil in eo fundari potest , quod sit perpetuum atque durabile . Omnino necesse est , ut conciliatrix amicitiae sit virtus , si , ut stabilis ac firma sit , poscimus ; quod sola virtus res stabilis sit ; quæque solum ac fundamentum constitutum in ea habeant , nullam adversarum rerum , tanquam ventorum , vim metuunt , nullam imbrum calamitatem , tanquam ædes probe factæ tectaque , exhorrent , nullam temporis injuriam pertimescunt . Recte igitur Pausanias , in convivio Platonis , amatorem corporis , pravitatis inconstantiæque criminibus arguit . Neque enim est probus , quia rem impellentem ad nequitiam amplectitur ; neque firmus , quia fluxam ac fragilem sequitur . Intellexit hoc mulier , genere , forma , opibus , ac divitiis præstans ; quæ , cum à juvene , pari nobilitate , forma , atque ætate , tam diligeretur quam quæ maxime , communis fortasse mulierum errore , quæ se , non suam formam , expeti , falso arbitrantur , nihil proprius factum est , quam ut inanibus illius officiis , blandiciis , & epistolis misere scriptis , capta , ad nequitiam adduceretur . Sed cum jam in eo esset , ut impuris adulatoris illius cupiditatibns assentiri cogitaret ; tamen , qua erat animi sagacitate , solertia , atque etiam ad pudicitiam tutandam propensione , tantisper assensionem suam inhibuit , quoad mecum , cui maximum rerum suarum fidem habebat , rem totam communicaret , &c , quod sibi dedissem de ea re consilium , id assequeretur . Itaque mittit , me rogatum , ut , quod commodo meo fiat , quamprimum ad se veniam : velle enim mecum , de rebus gravissimis , atque ad utilitatem suam pertinentibus , agere . Accurro , atque eam invenio , non ut antea hilarem atque jucundam , sed perturbatam atque commotam . Cui ego , Quid est , quod te solicito ac suspenso animo esse cerno ? quid hoc est negotii ? salvæ restuæ ? Tum illa , Magnam , inquit , rem , dubiam , egenam consilii , ad te refero . Dic ergo , ajo , cur me accersiri jusseris . Amat me , inquit , adolescens nobilis , & quantum qui pote plurimum perire , deperit . Ac vivissim ejus ætatem commemorat , formam laudat , mores in

in cælum effert ; se quidem sentire, se adigi, ut eundem redamet , cum eoque mutuum faciat : rogat , quænam mea sit sententia , unde omnis ejus deliberatio dependeat. Ego, primum illi gratias ago, quod de tanta re, consilium meum anteponat suo. deinde, si, qui amat, dignus est, inquam, qui pariter ametur, possum ego tibi invenire unum, qui superet facile, ut superior sit tibi in amore , quam iste , quem tot laudibus exornas : nam longe præstantiori te amore benevolentiaque prosequitur , tibique melius consultum esse vult, quam mortalium quisquam. Tum mulier, Teneo, inquit, quem dicas ; Deum nimirum intelligis. At ego , Minime, inquam : erras ; alius est. Quisnam, mulier ait , hic est, qui me isto cupidius expertat ? at derides me : nam si esset , animadvertissem. Ego sum , respondeo ; qui propterea ardenter in te studio incensus existimer, quod tuam in primis pudicitiam, famam, existimationem, habeam me ipso carniorem : at iste, quem tibi benevolentem esse censes, tantisper blandietur, dum illud rapiat , quod nulla unquam opera restitui queat ; immo, postquam te sibi obsequenter habuerit, statim oderit, fugiet , nec aspicere volet ; ac, si uxor sibi sit habenda, hæsitabit, metuet, horrescit , vota faciet, ne in aliquam tui similem incidat, quæ precibus, blandiciis, precio, audeat alieno se viro committere. Quamobrem, si me audias, si fapias , si pudicitia , si pudor , si viri amor , si tibi Dei metus, est cordi , istum tui amatorem corporis, sed existimationis, sed famæ hostem à te nequissimum abiges, neque committes, ut tantum viro tuo injuriam , tantum generi tuo dedecus esse inflictum velis. Non exciderunt hæc verba cohortationis meæ , sed , per mulieris illius aures in animum permeantia, in eo altius infixa hæserunt, ac continuo litteras ad amatorem suum dedit, quibus illi præcipiebat, ut omnem de ipsa animum amatoris ejiceret : nam sibi fixum ac deliberatum esse, millies antea, per summos cruciatus emori , quam datam viro suo fidem infringere , vel aliquid in se, atque in familiam suam, dedecus admittere.

V I X G O. At multæ, ut audio dici, amoris gratia insane ac turpiter delinquunt.

M A G. Vera loqueris. verum ex iis, quæ, inhonestum ob amorem & alienum à bonis, insane quidquam fecerunt, ea in primis numeratur, quæ etiam nunc vivit, novum insanientis ob amorem mulieris exemplum, sive potius portentum atque prodigium. Hæc, in oppido Italæ celeberrimo, non ultimo loco nata, ac nobili viro nupta, adolescentem, summo genere natum, ad insaniam concupierat, ac propter eum multa fecerat contra jus fasque. sed ut cum maxime, clam virum, suam ab adolescenti voluptatem expleat, fit, ut ille solum vertere, & in Galliam ire cogatur. mulier, quæ, illius abiitu, voluptates suas coloniam coimmutare, & ad alias mulieres commeare, pro certo existimaret, statuit, suis eas vestigiis persequi, & antea corripere, quam altera in earum possessionem impetum faceret. Itaque in concilium cogitationes suas, seu astutias muliebres, advocate, & cum eis, de re tanta, comitia habet: sed, ceteris consiliis repudiatis, illud deum secuta est, quod sapientiae minimum, temeritatis plurimum haberet. Nam insaniam simular, facitque ea omnia, quæ faciunt ii, unde mens profusa & ratio abiit: videlicet deliramenta loquitur, nec tantum intra verba desipit, sed etiam manus delinquit, atque insectatur omnes domi gladio; nec quemquam patitur prope accedere. domestici credunt, incerent, ac mirantur, unde repente tanta in eam vis morbi irrupisset: & priusquam violentus se gerat, ac vel alteri vel sibi noceat, captaini vincunt, ac devinctam rus cogunt abire; tum medicos advocant, qui potionibus current, hellebore, si opus sit, jugere sanent. Illi, cum plures insanientium sint ordines, conantur ex signis conjicere, ad quem eorum numerum illa pertineat, quo curationem illi generi opportunam adhibeant. Illa, quæ jam in scenam prodiisset, ut personam, quam induerat, tueretur, primum in eo, quem simulabat, morbo persistere, tum eo se paululum relevatam fingere, postremo ab eodem omnino desertam ostendere: familiares credere, gaudere, medicorum operam efferre, metum depolare, ex vinculis eam eximere, ac sine custode aliquo, finere, quo libereret, incedere. at mulier, postquam sibi negotium videt satis ex sententia succedere, ultimam illi manum

manum properat addere. Quainobrem die quodam festo , cum, ceteris ad rem divinam profectis , domi sola federet , multas struices concinnat lignarias , & supra , mortui cuiusdam cadaver , duorum , quos sibi obnoxios fecerat, opera, effossum imponit, atque incendit. tum amiculio ejus generis induita, quo, in suis religiosis agminibus, sodalitia utuntur, cuius cucullus , à capite ad petus defluens, totum os contegit, inter illos duos, sibi fidos, quos diximus, media, mariti domo valere jussa, aliam urbem, aliam civitatem , alias deos penates laremque persequitur. Domestici, è re sacra redeentes, continuo ardente oculis rogum accipiunt ; advolant, introspiciunt, & cadaver in eo , propè cinerem factum , animadvertisunt ; nec dubitant , quin mulier , furore percita , eum sibi ignem conflaverit ; ac mœsti, perusta illa ossa legunt, condidunt, ac , multis cum lacrymis, mortuæ justa funebria faciunt. At mala , non ad fabulosos pictorum ac poëtarum positos sub terram manes , nova atque exuta membris umbra, diffugerat , sed cum pedibus, manibus, auribus, oculis, labris, & cum intestinis omnibus, in amatoris amplexum evolaverat , non alio igne combusta præter eum , quem ipsi amor in pectore fecerat. Sed ut revertamur eo, unde discessimus, amor iste , qui versatur circa corpus , nec dignus quidem est nomine amoris.

VIRGO. Quid est amor?

M A G . Si Diotimam, illam mulierem fatidicam, audiás, à qua Socrates eruditus est in amore , Amor nihil est aliud, nisi appetitio boni ; quiue amore flagrat, boni etiam cuiuspam cupiditate studioque incenditur. At vero, qui tui cupiens est corporis, non modo, bono aliquo augeri non postulat , verum etiam ingentis flagitii mole onerari se appetit. Libidinibus enim suis indulget ; quod fieri sine flagitio non potest. Ut non ineleganter Theocritus, corporis formam, eburneum integrumentum appellaverit ; quod illa quidem jucunda sit ad aspectum , sed ad pudicitiam , atque ad alias virtutes tutandas, iuutilis. Deinde Agatho, apud Platonem , Amorem definit esse omnium virtutum copulationem complexionemque. Et recte , ut mihi quidem videtur.

Nam primum, inest in amore iustitia. Amor enim, nec infert injuriam Deo, nec mortalium cuiquam; cum nihil sit tam contrarium caritati, quam injuria; neque ab eo, qui vicissim diligit, injuria damnoque afficitur. Tum, inest in eo temperantia, cuius est proprium, libidines coercere. Nam voluptas, quae in amore percipitur, cum sit innocens, & casta, ceteras alias voluptates respuit, & in odium atque contemptum adducit. Postremo, nec fortitudo ab amore sejungitur; siquidem morti, rerum omnium victrici, fortitudinis laude responderet. Nam fortis, ut mors, dilectio: atque, ut est in fabulis, quae, si recte explicentur, non inelegantem veritatis rationem includunt, Mars ab amore Veneris captus detinetur, non autem amor à Marte constringitur. quod autem fortior sit is, qui constringitur, ut ego non dicam, nemo non videt. Ex contrario, ex amore illo vulgari atque plebeio, quemadmodum eum Pausanias apud Platonem appellat, qua parte cupiditates exeunt, eadem omnes vitiorum sordes erumpunt. Primum, injuriæ, quae nos, cum Deo & hominibus, in odio inimicitiaque constituant; tum intemperantia, quae aperit libidinibus exitum in omne vetitum nefas: postremo timiditas, qua debiliores facti ad repugnandum, rationem cupiditati constrictam turpiter damus.

VIRGO. Profecto navavi operam, quod huc venirem. Nam optimum consilium, ac rationibus meis aptum, te mihi dedisse intelligo. Quamobrem magnas tibi gratias ago atque habeo: polliceorque, me, in hac re, tuarum admonitionum, præceptorumque ductu instructam, de recta rationis via non decessuram.

DIA-

DIALOGVS NONVS.

I O. I A C O B O
B V C C I A R D O,
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Egi nobilem & illustrem orationem tuam, qua Nicolaum Claudium Fabricium Peirescium, Gallie decus, litteratorum præsidium, orbis terrarum ornamentum, & clarissimum etatis nostræ lumen, extinctum, laudasti. & sane maxima cum animi mei voluptate illam legi: nam grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis;

¶, quod videri admirabilius possit, cum venustatis habeat plurimum ac leporis, neque gravitas venustate minuitur, neque venustas gravitate repellitur. Quamobrem evolutum mortalitatis integumentis Peiresci animum, equum est plurimum tibi debere. Non enim solum, tua ista eximia atque excellenti oratione, amori, quo te vivus prosecutus est, ex equo respondes, verum etiam gloriam, quam promovendis, toto orbe terrarum, doctorum hominum studiis, sibi peperit, immortalem reddis. At ego, pro oratione, quam ad me misisti, dedi operam, ut sermo hic de Amicitia, cum Paulo Mancino, amicissimo meo, habitus, in tuo nomine appareat. Nam cum, die quodam, ociosi domi sua sederemus, expelantes, dum privatis academicis disputationibus initium daretur, forte inter colloquendum incidit sermo de liberis ejus, qui tum ephebi apud magistros in scholis erudiebantur, quos ille liberos, à gymnasio Soc. Iesu, ubi tum litteris

O S operam

operam dabant, tanquam ab aliqua officina sapientie, non tam doctos quam probos, non tam liberalibus disciplinis instructos quam sanctissimis moribus præditos, prodire cupiebat; & in primis de eo sollicitus esse videbatur, ne in delectu amicorum errarent (quod eo tempore comparari amicitia soleant;) sed eos illis amicos contingere cupiebat, qui essent in omni virtutum genere principes. Atque occasionem hinc natum, coepit mecum agere, ut de amicitia aliquid dicerem, quod liberis suis esse usui posset. Neque, cum multas excusationes afferrem, potui tamen effugere, quin homini amicissimo morem gererem, quæque in mentem venirent, omnia proferrem. Ejus igitur disputationis sententias, in memoriam revocatas, ita exponam, ut si à presentibus coram sermo haberetur.

DE AMICITIA.

MANCINUS. NICIUS.

MANCINUS.



Ei nunc liberi, sicut nos antea fecimus, in scholis excentur: &c, quia nati sumus ad societatem & communionem, ex omni discipulorum copia aliquot sibi parant amicos, quibuscum suaviter vivant atque conjuncte. Et sane, mea quidem sententia, nullum est tempus vel locus ad conglutinandas amicitias aptior, quam prima ætas ac Iudus. Nam, quæ tum suscipiuntur amicitiae, ad senectutem usque firmissimæ durant: quod solidis fundamentis firmissimisque nitantur. Etenim, non eas cupidio, non utilitas, non ambitio, sed verus amor virtusque conjungit. Sed quoniam amicitiae mentionem faciunt, &c, quia non prius quam calor renisserit, qui nunc maxime fervet, solitus academicorum conventus habebitur; feceris mihi pergratum, si, de connectendis amicitiis, ea mihi explicaveris, quæ tum à magistris, tum ab usu didiceris; ut, quia consiliis meis non valeo, præceptis

ceptis tuis meorum adolescentiam liberorum erndiam.

N I C I U S. Rem sane utilem, vel potius hominum generi necessariam, efflagitas. Refert enim plurimum, quales nobis amici eveniant, sive boni, sive mali. Nam si quis, inenunte præsertim ætate, ad improbos & flagitosos accederit, continuo iis se fuisse inbutum sentiet, quibus illi redundant. Atque omnino vera est D. Pauli sententia, qui docet, ex improbis ac malitiosis nihil nisi malitiam & improbitatem excerpti.

M A N C I N. Magna liberis meis bonorum virorum copia suspetit. Vtrum ergo ex æqualibus, an ex majoribus natu, eligent, quos sibi usu amicitiaque connestant?

N I C I U S. Ego vero, ex æqualibus, censeo. nam grandiorum studia moresq; ab adolescentium moribus discrepant; quæ discrepancy impedit consuetudinem, cuius beneficio augetur confirmaturq; benevolentia. Verum, quia ætas illorum infirma est, &c., nisi sapientis cuiusquam consilio & auctoritate regatur, vix sine casu & prolapso consistit; arbitror in primis utile, ut se illi ad alicujus majoris natu ductum adjungant, rerum usu ac probitate præstantem, quem omnibus in rebus, ac præsertim de amicitiis conglomerandis dissolvendisq; (si minus felices in diligendo fuissent,) præcipientem monentemq; exaudiant, quemque in parentis numero habeant ac colant.

M A N C I N. Quæso à te, quoniam tam humaniter te mihi dedisti, ne graveris, tanquam signa quædam & notas veri amici ostendere; quibus acceptis, atque in memoria defixis, filii mei, quod querunt, sine ullo errore inveniant.

N I C I U S. Libenter, in re tam honesta & gravi, studiis tuis obsequar; eaque in medium adducam, quæ partim à doctis viris accepi, partim experientia usuque collegi: qui usus, est magister omnium optimus ac perfectissimus. Ac primum, inter omnes constat, ab amore dictam esse amicitiam. Nam duo, amici dicuntur ex eo, quod inter se amant ac diligunt.

M A N C I N. Ortum amicitiae video, sane generosum ac nobilem: neque res tam excellens, tamque præclara, poterat aliunde, quam ab hoc fonte, prodire.

N I -

N i c i u s. Iam vero, qui amore ac benevolentia in alterum fertur, si par in eo studium ac voluntatem inventiat, accedat præterea usus consuetudoque; hic iam pulcherrimam amicitiae formam se esse nactum intelligat.

M A N C I N. Quantum audio ex te, nihil aliud est amicitia, nisi mutuus inter aliquos amor & benevolentia, consuetudine adjuncta. Quod si ita est, inter adolescentes & mulierculas, quas depereunt, veræ amicitiae ratio constabit. Nam hi plerunque inter se diligunt, bene invicem volunt: præterea usus consuetudoque tanta inter ipsos est, ut interdum nulla vi distrahi queat. Vnde, in comediiis præsertim, amatores amicos, & meritrices amicas appellatas invenio. Immo amori, qui ejusmodi amicitias conglutinasset, tantum habuit honorem antiquitas, ut divinam eidem vim potestatemque tribuerit, cui obsisti non posset.

N i c i u s. Non sunt veræ amicitiae istæ, quas memoras, sed foedera impurissima ac flagitiosissima; neque amor, qui ea conjunxit, verus est amor, sed cupiditas indomita & effrenata, quæ cohibenda ac coercenda est, rationis imperio, & amicorum auctoritate. Et quamvis veterum nonnulli, quo sua flagitia, necessitatis excusatione, defenderent, cupiditati, cui se totos addixerant, dei nomen imposuerint; attamen eorum cordatissimi sapientissimiq; non deum, sed affectum iniquissimum impurissimumq;, eandem esse dixerunt. Et quia longum esset omnes enumerare, in hac præsertim temporis brevitate, uno contentus ero Phocylide, qui in poëmate admonitorio sic inquit: Amore mulieris totus ne diffugas perdite; non enim amor dens est, sed affectus perniciissimus omnium. Nonne vides, falso, huic cupiditati, amoris nonam inditum, & consuetudini in honestæ per pulcram amicitiae personam impositam? Atqui fiet hoc perspicuum magis, si meritricios amores ad veræ amicitiae calculos revocare conemur. Quid enim ad rationem amicitiae tam requiritur, quam benevolentia, quæ ita illi inhæret, ut ab ea separari non possit? Sed, in meritriciis amoribus, nullus est locus benevolentiae; ergo neque amicitiae. At si quæras, quid sit benevolentia, esse ea respon-

de-

débitur, quæ bonum ei, qui diligitur, vult. Quod quidem nemo ex amatoribus corporum facit. Nihil enim boni alteri quærit, sed unusquisque alterius in se bonum transmittere ac derivare contendit; suam nimirum ex eo voluptatem explere. Hoc idem Syra anus, in Hecyra Terentii, flagitiose, ut lena, sed ad veritatem apte, Philoti respondit; quæ mirabatur, tam paucos meritricibus fideles evenire amatores: idcirco id illi consilium dabat, ut, quemcunque posset, pecunia, fundis, atque omnibus demum fortunis, everteret.

S Y R A. Ergo propterea te sedulo
Et moneo & horor, ne cuiusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, quemquam nocta sis.

P H I L. Vtin' exinium neminem habeam?

S Y R A. Neminem. ac reddit hujus consilii sui rationem,

Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te ut blandiciis suis,
Quam minimo precio, suam voluptatem expletat.

Quamobrem eos videmus, qui, forma cujuspiam impulsi, se ad eam colendam diligendamque traducunt, simulac ea immutata est, statim suum animum alio conferre. Sui igitur animi gratia, se amatores ad mulieres applicant, easque amore benevolentiaque sibi devinciunt. At, ista etiam ratione, amatur vinum, equus, lepidum obsonium, & alia ejusmodi multa, unde nihil, nisi voluptatem, vel utilitatem aliquam quærimus. At, sicut nemo unquam sanus dixerit, esse sibi cum equo vel vino vel pulimento amicitiam, ita etiam absurdum est affirmare, libidinosis, impuris, veræ amicitiae vinculo meritrices adstringi. Amant quidem illi meritrices, & ab eisdem interdum redamantur, sed amore, ut loquitur D. Thomas, concupiscentiæ, non autem amicitiae. Nam amare alterum, amore amicitiae, nihil est aliud, nisi velle eidem omnia, quæ bona arbitramur, ejus causa, non nostra; eumque ad ea obtinenda, re, opera, & consilio juvare.

M A N C I N. Ego bonum esse arbitror, voluptatibus ac deliciis affluere: & quia ita mihi persuadeo, amicis ac sodalibus meis, refertam omnibus voluptatibus vitam ex-

exopto; atque, ut bonum sodalem decet, ad eas obtinendas, me illi administrum adjutore inque profiteor; quemadmodum Plautinus ille Enythus faciebat, qui, omisso omnibus aliis negociis, omni studio, cura, ac diligentia, erectam Carino, sodali suo, amiculam investigabat, ut illi redderet; vel quemadmodum Clitipho & Clitia inter se amabant, qui, in Heautontimoruineno Terentii, ad retinendas mulierculas, quas singuli deperibant, dabant operas mutuas. Itidem, sumnum bonum esse arbitror, Regno potiri. Itaque amico, regnandi cupido, ad illud occupandum, non modo me comitem, sed ducem præbebo. Sicut Zopyrus fecisse narratur; qui commissam sibi à Babyloniis urbem Dario, ejus potiundi cupido, (nota est historia,) per summan perfidiam ac fraudem tradidit.

N i c. Bonum, sapientissimi Philosophorum, illud est solum, quod est honestum. Nam, cum ab honestate discesseris, multa quidem occurruunt, quæ speciem boni præse ferant, sed revera sunt inania bonitatis, ac dedecoris flagitiique plenissima. qualia fere sunt omnia, ad sensum jucunda atque suavia, sed rationi contraria; ut voluptates; eæque in primis, quæ prodeunt ex meritricum lenociniis atque blandiciis. Quamobrem, qui eas amicis procurant, vel optant, non rem bonam, sed turpem ac flagitiosam exoptant. neque ii, quos modo commemo- rasti, ponuntur ante oculos ideo, ut eorum ad exemplum amicos diligamus, & cum iis in honeste vivamus, sed populo, tanquam improbi, flagitosi, inemperantesque, repræsentantur, qui in summa laude ponerent, flagitiis nobiles esse, neque, quemadmodum Paulus ait Apostolus. Deum alium, præter ventrem agnoscerent, atque inde gloriam expeterent, unde dedecus ignominiamque contraherent. Quo in numero se adolescentē fuisse, multis cum lacrymis confitetur Augustinus; qui virtus sibi dabat, non laudi, quod, improbitate nequitiaque, inventiretur æqualibus suis inferior, quos, in summo vite dedecore, non solum flagitia, verum etiam flagitorum fama delectaret: itaque, in amicorum, ut ita dicam, grege, cum non haberet, vere quod narrare posset, finiebat se fecisse, quod non fecerat, &c, ut ipse loquitur,

libe-

libebat malum facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis. Præterea neque Zopyrus, cum per proditionem Dario Babylonem tradidit, bonum, hoc est, honestum, amico voluisse dicendum est. Etenim, quid est tam contrarium honestati, quam injuria, atque perfidia? quod factum visus est etiam quodammodo Rex ipse damnasse, cum dixit, malle se unum Zopyrum integrum, quam centum Babyloniis potiri. Nam, cum eum integrum optabat, non tam id ad integritatem corporis, quam animi, referebat; ut videlicet, non tam eum naribus auribusque præditum, quas ad decipiendos Babylonios sibi præciderat, quam alienum à proditionis perfidiæque labo, deposceret.

M A N C I N U S. Cum aliqui plura cupiant amicis, quæ sint honestati contraria, siqne tamen amicorum nomen retineant, plura sint genera amicitiarum oportet.

N I C I U S. Qui universum amicitiae genus complexi sunt, tres illi partes subjecere; quarum una solum bonum respicit, altera voluptatem, tertia commodum aliquod spectat. Ex his tribus partibus, ea sola, quæ bonum habet propositum, veram amicitiae rationem includit. Quæ voluptatem vel commodum intuentur, nomen quidem retinent amicitiae, at rem ipsam & rationem excludunt. Nam in vera amicitia solus amici amor expetitur; quamvis non parum sæpe contingat, ut ferax sit iste amor, & utilitates ac voluptates maximas afferat. Hinc dictum illud Socratis extitit, qui nullam esse possessionem ajebat, ita fertilem, ita fœcundam, quæ tot fructus afferret, quot percipiuntur ab amico. At in aliis duabus amicitiis, non tam amici amor, quam utilitas, vel voluptas, ab amico profecta, diligitur; quarum amicitiarum inanitas, ac levitas, ex evenitu colligitur, nam voluptate vel commodo recedente, ipsæ etiam dissociantur & abeunt. At vero, quas virtus probitasque conjunxit, quia non in re tenui ac flixa, sed solida firmaque, fundamenta jecerunt, stabiles sunt atque perpetuae, neque aliqua rerum humanarum calamitate intercipi, neque ullo sævientis fortunæ impetu labefactari ac dejici possunt.

M A N-

M A N C I N U S . Cum sermo est de Amicitia , quæ nam earum trium in quæstionem venit ?

N I C I U S . Miror , cum sis tam prudens , ad hanc tam ineptam interrogationem te esse delapsum . Nonne tenes , cum de re aliqua quæritur , semper illud quæri , quod est in eo genere summum atque perfectum ? Itaque , cum agitur de amicitia , ea sola in quæstione versatur , quæ proprie ac per se , non autem improprie , atque ex similitudine quadam , appellatur hoc nomine . hæc autem ea est , quam , inter bonos viros , mutua benevolentia nexus adstringit ; qua benevolentia , ut diximus , bonum sibi invicem expetunt , nimirum honestum . Verum , ante quam eos eligamus , quos esse ad amicitiam idoneos judicemus , ea à nobis cura adhibenda est , ut bonum , hoc est , honestum , (dicendum est enim sæpius ,) quod amicis , quos parabimus , optare debemus , ipsi nos prius tota mente atque animo possideamus ; ut , cum honesti species , quæ pulcritudine sua omnium ad se animos allicit , tanquam lumen aliquod in nobis eluxerit , ad eam ii , in quibus inest causa cur diligentur , ad conjungendas nobiscum amicitias incitato studio ferantur . Quamobrem , si studiosi , si appetentes , si avidi amicitarum sumus ; deinceps operam prius , ut bonum illud , quod amicis expetituri sumus , nobis ipsi velimus ; nec simultates atque odia nobiscum exerceamus , sed pulcherrimo perpetuæ amicitiae vinculo colligati , sibi quisque carus existat . Etenim hæc amicitia , ut ita dicam , interna , externas multas ad se attrahet , quæ se illi conjungant atque perinsecent .

M A N C I N . Quid audio ex te ? Atqui nunc primum hoc aures meæ accipiunt . Fierine potest , ut quisquam inventiatur , qui non sit sibi ipsi amicus , ac vehementer amicus ? Immo hoc videtur cum natura ipsa pugnare . Nam omne animal , non solum homo , statim atq; natum est , ipsum se diligit & ea quæ sunt conservantia sui status , & ab alienatur ab iis quæ interitum afferunt . Sed nihil ita rem auget ac tuetur , ut concordia & amicitia ; nihil ita minuit , & ad nihilum redigit , ut simultas atque dissidium . Itaque , si quispiam odia inimicitiasque secum ipse fusciperet , sciens prudensque ad interitum rueret .

N I -

NICIUS. Non agnosco te tam hebetem ac rudem, ut non intelligas, quæ à me dicantur: sed simulas non intelligere; fortasse, ut ea, quæ strictim à me sunt tacta, fusis exponam. Verum, quidquid sit, sive similes sive dubites, faciam tibi satis. Ille capitali odio à se diffidet, qui dat operam flagitiis atque sceleribus. Nam, *qui diligi iniquitatem, odit animam suam* Quamobrem veteres Philosophi, qui, via ac ratione philosophandi, proxime ad Christianam veritatem accesserunt, vel saltem non longius ab eadem aberrarunt, ut Stoici, voluptates in principiis naturalibus diligendi se non posuerunt. Ex contrario, ille pulcherrimo præstantissimoque sui ipsius amore tenetur, qui animum virtutibus ornat ac compleat: quo ornatu tantam ille pulchritudinem concipit, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornacionis. Quid mirum est igitur, si admirabiles amores sui exciter, si sui similium ad se animos attrahat, sibique constringat? Verum, ex hac animorum ac voluntatum conjunctione, mutuns ille amor existit, qui, ut saepius diximus, in amicitia requiritur, quiq[ue] nt vides, nisi inter bonos viros, esse non potest. Totum hoc, quod diximus, non obscure D. Jo. Chrysostomus expressit, his verbis: *Quid facit amorem corporum? corporis luculentia & formositas. Itaque & animas faciamus pulchras & luculentas, & erimus inter nos mutuum amatores. Non enim solum oportet amare, sed & amari. Primum hoc curemus, ut amemur: eritque secundum factu facillimum. Simus pulchri & boni; & hoc efficiamus: & ita semper habebimus amatores.* Homil. XL in Actus Apostolorum.

MANCIN. Bene & præclare ageretur cum rebus humanis, si omnes omnium hominum amicitiae, ad hanc normam, dirigerentur.

NICIUS. Bene agis; (sed hoc est optare, quam sperare, facilius. *Quid opus est verbis? cælestem in terris vitam imitaremur, si nemo egrederetur fines veræ perfectæque amicitiae, tum ejus quam nobiscum intrinsecus habemus, tum illius qua alterum, ad similitudinem internæ, complectimur. non esset, qui injuria quemquam afficeret; non inveniretur, qui quidquam cuiquam eriperet, omnes enim, ut diximus, honestum ac re-*

Etum primum in se ipsis diligenter, tum in aliis: eosque, ob similitudinem studiorum ac voluntatum, pari benevolentia comprehenderent. Sed quo melius, hoc ita esse, intelligas, non te lateat, amicitiae maximam esse similitudinem vel potius cognationem cum virtute justitiae: adeo, ut nonnulli docuerint, amicitiam non esse virtutem à justitia distinctam, sed cum ea maxime copulatam atque conjunctam. Sunt autem similes inter se. Primum, quia utraque virtus in quadam æquabilitate consistit, nam justitia, tum in dandis præmiis, tum in dannis sarcendis, medium illud sequitur, quod est nimium inter ac parum; dat videlicet operam, ne quisquam justo plus auferat, sed eo sit contentus quod sibi æquitas ratioque permittit. similiter amicitia in æquabilitate versatur, quia, nisi inter æquales, inveniri non potest. Deinde, sicut justitia, quæ est ad alterum, dicit ortum ab ea quam adversus nos ipsi retineimus, cum nimirum facimus, ut unaquaque pars nostri, jus suum obtineat, & ratio præsit, & appetitus obtemperet: ita etiam amicitia, quæ cum altero instituitur, ab ea dependet, quam nobiscum, ut diximus, conflatam habemus. Postremo, cum vera amicitia, solum inter bonos, ea ratione qua boni sunt, inveniatur, atque ipsa bonitas ne intelligi quidem possit qualis sit, sine justitia; consequens est, ut hæc duo sint arctissimo inter se vinculo cognationis annexa. Immo, si homines perfecte amicitias colerent, nihil esset opus justitia. satis enim se ipsa humana societas tueretur, omnesque, non in inferendis sibi invicem injuriis, sed remuneratione benevolentiae, ac vicissitudine studiorum officiorumque, certarent. O vitam beatam atque omnibus imperiis ac regnis anteponendam! Nam, quid posset hominum generi beatius accidere, quam ipsum, in perpetuum, litium molestiis ac terroribus eximi? quid suavius, quid jucundius optari, quam strepitum fori silere, atque hominum querelas clamoresque quiescere, quam omnes lictores, omnes viatores, omnes magistratus, omnes denique qui ubique sunt judices, à civitatibus, à rebus pub. pelli? Cui enim rei usui essent, si omnes homines, sua sponte, virtute amicitiae, rectum honestumque persequerentur?

MAN.

MANCIN. Linquamus ista, sunt enim memoratae jucunda, re autem ipsa, præfertim ut nunc sunt mores, incredibilia. Satis jam videor intellexisse, suavissimum amicitia vinclum, nisi inter bonos, necti non posse, illudque similitudine studiorum ac voluntatum arcte constringi. Edissere nunc mihi porro, num orta inter duos amicitia possit statim maturitatem suam adipisci, an, sicut cetera omnia, sensim adolescat, atque ad extremum eo magnitudinis perducatur, ut progredi ultra non possit.

NICIUS. Vetus est illud proverbium ac verum, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. Nam, cum in animis hominum tantæ latebræ sint, tanti recessus, neque, uno tempore, sece omnes aperiant; nemo, qualis sit, introrsus explorari ac perspici potest, nisi longus cum eo usus consuetudo que intercedat. Itaque, ut recte admonet Cicero, prudentis est, sustinere, ut cursum, sic impetum benevolentia, neque existimare antea, sibi cum aliquo constitutam esse amicitiam, quam periclitatis ejus moribus, eundem tanto idoneum muneri judicaverit. Tenuit L. Sergius Catilina multos viros fortes ac probos, specie virtutis assimilatae, consuetudine usuque sibi devinctos; qui si statim se eidem totos tradiderunt, neq; antea ejus periculum probitatis morumque fecerunt, necesse est, ut postea judicium suum contemserint, seque nimia, in suscipiendo amicitias, celeritatis criminis condemnarent; cum videlicet idem, ex illis integumentis dissimulationis evolutus, mores suos fassus est, &c, tanquam furii actus, Reip. ac bonis fortunisque omnium, bellum impium ac nefarium indixit. Sed cum legitimus, Scipionem Æmilianum nunquam domum è foro rediisse, priusquam aliquem ex obviis amicum sibi junxit, non debemus existimare, propositum ipsi fuisse, statim veræ cum illis amicitia fœdus inire. Homo enim sapiens, non ignorabat, amicitiam unam esse ex rarissimis rebus, ac sero comparari, &c cum paucis iniri; sed ambitionis occupatione districtus, quam plurimos sibi conabatur adjungere, quorum suffragiis, ad summam amplitudinem, quo properabat, ascenderet. Ac, si aves sci-

re, quæ res præfertim amicorum fidem moresque pericitentur, Mamerterem interroga; qui tibi respondebit, miseras & ærumnas, esse tanquam indicem, qui amicum verum à simulato distinguat. Ignis probat aurum; adversæ res fortein amicum. At mihi quidem vehementer placet dictum illud Demetrii Phalerei, qui veri amici notas ostendens, eos amicorum nomine esse dignos affirmat, qui in secundis rebus vocati adessent, in adversis invocati venirent. Cujus dictum, à Chilonis sententia non discrepat, qui illi solum veri amici palam defert, qui ad res amicorum adversas, quam ad secundas, promptius accurrit. Summa denique huc reddit, ut amicitiae, exploratis jam perspectisque animis, judicandæ sint. Quod si quis incipiat te nimis cito diligere, &c, sicut mos est amicorum, officiis beneficiisque pluribus ornare; non continuo eum debes in amicorum numerum referre, sed tantisper expectare, dum res aliquæ incident, unde de ejus fide atque constantia judicium fiat. Etenim vigent quidem apud aliquos studia amicitiae ac benevolentiae, sed nondum vera adest amicitia, sicut etiam in quibusdam virtutum aliquarum studia cernuntur, virtutes autem ipsæ ne tenue quidem in eis vestigium posuere. Omnino, ex Theophrasti sententia, vel potius præcepto, amicum, cum judicaveris, ama.

M A N C. Quoniam pedetentim & caute ad amicitias affiliendum esse præcipitur; velim mihi narres, quænam in amicis diligendis adhibenda sit cautio & diligentia.

N I C I U S. In primis cavendum maxime est, ne pro amicis, adulatores nobis deligamus. Nam cum multi, utilitatis, ut diximus, gratia, amicitias persequantur, summam erga nos benevolentiam assimulant, ac faciunt etiam plura quam ii, qui amant ex animo; sed revera amant id, quod sperant se posse à nobis obtainere. In hoc genere sunt Balliones, Gnathones, ac Phormiones omnes, qui, cibi gratia, imperarunt ipsimet sibi, omnia regibus suis assentari. Quibus accedit aulicorum magna pars, hos cum astus ambitionis in spem honorum abstraxit, ita addictos iis videoas, quorum suffragiis, cupiditatibus suis se esse morem gesturos existimant, ut putes

putes, totos eorum amore dilabi. nam quotidie salutatum eos adveniunt, sectantur, colunt, mittunt munera large, earum rerum, quarum libidine eos infanire animadvertisunt; signa, picturas, sive in tabulis sive textiles, toremata, stragulam vestem, vasa aurea & argentea; ut, quibus obscura sit istorum cupiditas, illustre atque spectatum apud eos amicitiae exemplum reperiri videatur. His præsertim dolis L. Sergius Catilina adolescentes capiebat, quorum operam ad occupandam Remp. sibi utilem futuram arbitrabatur. Nam, ut potuisti legere in Sallustio, ut cujusque studium ex aetate flagrabit, aliis scorta præbebat, aliis canes aut equos mercabatur. Atque eo perniciosius ab adulatoribus peccatur, quo eorum venenum est dulcius, & cum quadam suavitate in animos influit. *Quis enim est, præsertim adolescentium, qui non libenter eos audiat ac videat, à quibus in suis studiis ac cupiditatibus adjuvantur, quam eos à quibus retinentur ac corripiuntur? Neque ego Terentianum illum Pamphilum laudandum censeo, qui magis obsequendo, quam, habita veritatis ratione, studiis aliorum ad versando, amicos sibi parabat, ac retinebat.*

Nam sic vita erat,

Cum quibus erat cunque una, iis se dedere,

Eorum obsequi studiis, adversus nemini.

Non enim ulla amicitiae lex præcipit, ut vitiis amicorum blandiamur: sed aperte fauicimus, ut eisdem, totis viribus, obviam eamus, admonendo, non solum libere, verum etiam acriter, si ita res exigat: &, si amicorum vitia eatenus progrediantur, ut nullum admonitionibus locum relinquant; ejusmodi amicitiae dissuendæ sunt, & interdum etiam discindendæ.

M A N C. Vtrum putas præstantius in amicitia? amare? an amari?

N I C I U S. Longe est præstantius, amorem suum in alterum transmittere, quam alterius in se benevolentiam derivare. Immo tota pene vis amicitiae in amando consistit. Est enim amicitia, ut diximus, una de maximis præstantissimisque virtutibus: at virtutis cuiusque habitus, præsertim in actione consistit: erit igitur magis

proprium amicitia, amorem dare, quam recipere. nam illud agendi, hoc patiendi vim habet. Deinde, illud est in unaquaque re præcipuum, quod majorem habet laudem. at quis nescit, in amicitiis colendis, magis aliquem laudari quod amet, quam quod ametur? Postremo, quam laudem quis mereat ex eo, quod totum ab alterius voluntate dependeat? at alterius arbitrii res est, quod amemur: nullum igitur ex eo laudem promeremur. Illud vero laudabile & honestum existimabitur, si amicum, ea qua par est benevolentia, complestemur; quod nostrum est totum.

M A N C. Ego quidem velim, ut mos est omnium patrum, filiis, quos genui, amicitias stabiles firmasque contingere. dic, obsecro, quanam ratione possit fieri, ut nulla in eas amicitias, quas conglutinabunt, calamitas incidat, sed, usque ad extremum spiritum, integræ inviolataeque permaneant.

N I C I U S. Tum hoc illi assequentur, cum æqualitatem in primis tuebuntur: hoc est, si primum cupiditatibus, quibus ceteri serviunt, imperitabunt; deinde, si æquitate justitiaque lætabuntur; dicam uno verbo? si boni viri erunt. Nam, nisi inter bonos viros, ut antea dictum est, amicitia constare non potest. Etenim, quos utilitas aliqua vel delectatio conjunxit, tam diu jucunditas illa vel utilitas manet; ea vero abeunte, absunt ipsi quoque ab amicitia, & quo nova spes utilitatis ac voluptatis ostenditur, omnibus, ut ajunt, velis remisque contendunt. Postremo, iis amicitiis, quas turpitudo conjunxit, breve, ut ita dicam, est ævum. Nam statim dissidium, vastitas, & interitus imminet. In pauca conferam; si filii tui æternitatem in amicitiis exoptant, cum ipsi prius animum ad virtutem instituerint, ad sui se similes applicent atque adjungant.

M A N C. Quantum ex iis, quæ hæc tenus à te sunt commemorata, conjicio, vera amicitia, nisi inter æquales, constare non potest; quo, omni ex parte, ea æqualitas, quæ necessaria est in amicitia, servetur. Ergo, si quispiam me diligat, qui sit opibus, divitiis, vel doctrina superior, non debeo facere cum eo mutuum; siquidem enim
fru-

frustra dilexerim, quicum mihi verae amicitiae societas esse non possit.

N I C I U S. Recte exigis æqualitatem in amicitiis: sed non recte concludis, inter superiorem & inferiorem, verae amicitiae vinculum necesse non posse. Nam, quæ inter eos inæqualitas subest, redigi ad æqualitatem potest. Primum, pietate, probitate, iustitia, ab utrisque ex æquo servanda. tum, ea communicando, in quibus alter ab altero vincitur: nimirum, qui est dives, si inopi amico opes suppeditet; qui est sapiens, si hæsitationi consilium præbeat; ac cetera, eodem modo. Vnde non immerito Epicurus in eo Pythagoram irrisit, quod auditoribus suis auctor esset, ut cuncta, quæ haberent, in commune conferrent, eo quod diceret, omnia amicorum debere esse communia. Nam videbatur diffidere amicorum fidei, qui, si veri sint amici, suis opibus ac copiis eorum inopiam sublevent, in quibus minimum est præsidii ad se se tuendum. Præterea, superior amicus se parem inferiori constituet, si dederit operam, ut quam ipse præstantiam dignitatis fortunæque afferat, ille etiam adipiscatur; cum hac tamen condicione, si possit, ac si tantæ eum moli parem existimet. Nam, si quid eidem imponendum curaret, quod ille non possit sustinere, peccaret in Remp. cuius amor oportet ut omnes amicorum omnium caritates exsuperet. Atqui omnes amici superioris erga inferiorem partes perfecte Christus implevit; qui, cum, infinito nobis intervallo præstantia dignitatis naturæque præiret, mortalitatem nostram suscipiendo, adeo se summisit, ut pene fieret nobis æqualis; ac primum, periclitantibus nobis opem attulit, tum, æternis suppliciis addictis, salutem perperit, postremo, eundem amplitudinis locum, ubi ipse Deus ex Deo, inaccessibili circumfusus luce, præfulget, quantum ferre humanæ naturæ condicio potest, attribuit. Nam dedit potestatem hominibus, filios Dei fieri.

M A N C. Quid audio? Deum inter & homines statuis amicitias posse conjungi? Vide, ne, superioribus amicis, cum inferioribus, exæquandis, te ingenii æstus longius abstrahat, atque eos conceris inter se pares efficere;

quibus nihil est tam disparatum , neque tam distans . Quid enim homo ad Deum ? alter enim infinitus , immensus , æternus ; alter contractus , angustus , ævi brevis : alter ipsa bonitas , ipsa puritas , ipsa sanctitas , ipsa sapientia , semper beatus , semper dives ; alter stultus , inquinatus , immo totus ex flagitiis peccatisque confitatus , fere semper miser , semper cum vitiis bella gerens , semper cum aliqua calamitate ærumnaque compositus .

N I C I U S. Quod homini cum Deo vera amicitia contrahi possit , ita certum est , ut in dubium revocari non debeat . Primum enim , non semel sed saepius , in Euangeliō , Christus appellavit Apostolos amicos ; ut apud Ioannem , *Vos amici mei es̄tis.* & paulo post , *Iam non dicam vos servos , quia servus nescit , quid faciat Dominus ejus;* vos autem dixi amicos , quia omnia , quæcunque audiri à patre meo , nota feci vobis . & alibi apud Lucam , *Dico autem vobis amicis meis , ne terreamini ab iis , qui occidunt corpus.* Deinde qui amor Deum inter hominesque versatur , nihil eorum desiderat quæ sunt ad veram amicitiam constituendam necessaria . Quæ tria omnino numerantur . Primum , benevolentia ; quam diximus versari in eo , ut bonum amico velimus , non nostra sed ipsius causa . tum , amor mutuus inter amicos , postremo , usus consuetudoque . & quod ad benevolentiam attinet , quod est primum in amicitia , Deo bona omnia optamus , propter se ipsum .

M A N C I N U S. Ea amicis bona concupiscimus , quorum illi sunt indigentes : divitias nimirum cupimus ut abundant , opes ut colantur ; valetudinem ut dolore careant , ac muneribus corporis fungantur : at quid horum desideratur in Deo , qui fons est unde in homines omnia hæc bona decurrunt ac proficiunt?

N I C I U S. Multa sunt bona , quæ Deo propter ipsum volumus : quorum duplex est ratio . Quædam enim ipsimet Deo insunt , videlicet sua ipsius vita , bonitas , sapientia , justitia , potentia , misericordia , & alia ejusmodi multa , quæ sunt ipsem Deum . atque bona hæc Deo dicimur velle , quia gaudemus , atque latamur ex animo , ita eum esse uti est . Sunt alia bona , Deo quidem exter-

externa, sed quæ tamen ad ipsum pertineant. in quo genere est honor, laus, cultus, obedientia. quæ bona tunc Deo optamus, cum capimus voluptatem, ea ipsi ab hominibus exhiberi; vel cum dolore, quanto maximo possumus, afficiamur, eidem ab improbis & sceleratis eadem denegari; ac præsertim, cum pro viribus id agimus, ut ejus religio cultusque quam longissime propagetur, idque non aliam ob causam, nisi quia Deus est. Neque hujus nostræ in eum benevolentiae fructus non maximos uberrimosque referimus. Nam præstat ille vicissim nobis benevolentiam suam, communicando se ipsum, & amorem suum impertiendo. Vnde Paulus Apostolus, *Fidelis*, inquit, *Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus.* Quod autem mutuus, Deum inter atque homines, amor intercedat, disertis verbis, apud Ioannem, Salvator noster ostendit, cum inquit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum.* Promittit enim diligentibus se, mutuam Patris caritatem, qui Pater idem est cum Filio, essentia atque natura.

M A N C. Iam tibi assentior, & posse hominem cum Deo benevolentia conjungi, & mutuo invicem amore connecti. Illud vereor, ut tibi possim concedere, quod nimis confidenter asseverasti; aliquem esse nobis cum illo usum consuetudinemque. *Quisnam enim possit esse nobis cum eo usus consuetudoque, qui nullis corporis sensibus pateat?* At hic usus consuetudo que tantam ad amicitias conjungendas vim habet, ut nulla re magis confirmetur amor, ac benevolentia ignis exardecat.

N I C I U S. Hujus quoque rei facilis est explicatio, si meminerimus, non simplici, sed duplice nos vita prædicta esse, altera corporea & aspectabili, spirituali altera atque ab aspectus judicio remota. Illi nullus est cum Deo usus; nam Deus spiritus est. hæc perpetua ejusdem, nisi peccata obsistant, consuetudine fruitur; quod tum accidit, cum mens & cogitatio hominis tota in Deo collocatur atque defigitur. Ac de spirituali homine intelligebat Apostolus, cum diceret, *Nostra autem conversatio in celis est.* Quæ conversatio non hic perfecte contingit, eveniet autem postea, ubi soluti corporis vinculis, vel stola immortalitatis induit, servi ejus, servient ei,

ei, & videbunt faciem ejus. Ortum igitur divinæ amicitiæ habes. Quamobrem pergam ad reliqua: nisi quid ad hæc fortasse vis.

M A N C. Nihil præterea requiro: sed incredibili voluptate perfundor, cum hominem, ceteroqui mortalem & caducum, eatenus dignitate atque excellentia progre-di video, ut Deum etiam possit arctissimo amicitiæ vinculo sibi constringere. Superest optandum, ut talis ac tantus liberis meis amicus eveniat, neque ipsorum cum illo conjunctioni distractio aliqua diffidiumque con-tingat.

N I C I U S. Nihil est, ut D. Augustinus inquit, ad impetrandum facilius. Nam Regum vel Principum ceterorum amicitias possum quidem expetere, sed adipisci non possum; amicus autem Dei, si volo, nunc fio. Sed, ut eo, unde digressa est, revertatur oratio, omnino sic comparatum est, ut, qui superiores sunt, summittere se debeant in amicitia, ut inferiores extollantur. Nullo enim modo, superior amicus se inferiori præponat, quin etiam honorem & observantiam adhibeat, si ille antece-dat ætate. Id quod est à Beatiss. Virgine egregie ele-ganterque perfectum: quæ, cum omnem plenitudinem divinitatis corporaliter utero contineret, longo itinere, arduo ac difficulti ascensu, salutatum Elizabeth venit; cui eriam parienti affuit, atque omnia cognationis, amici-tiæ, & humanitatis officia præstierit.

M A N C. Vnum inibi adhuc expedi; ac tibi posthac amplius hac de re molestus non ero. Ego, in amicitiis persequendis, animum nimis delicatum ac tenerum ha-beo; qui, quavis levi offensioncula accepta, sape com-moveor. Nam, quemadmodum do operam sedulo, ut veri amici partes adimpleam; ita etiam impotenter fe-ro, si ab aliis non fieri mutuum animadverto. Præterea id mihi vitium est maximum, quod, accusationes de-ferentibus, facile aures adhibeo. Quamobrem vereor, ne liberi mei, eisdem quibus ego moratus sum mori-bus, amicitias, maximo labore fundatas confirmata-que, statim evertant.

N I C I U S. Omnino ejicienda est à nobis hæc mol-licies animi atqne infirmitas, ac summa vis & constan-tia

tia suscipienda. Multa sunt amico petenti largienda, in quibus nulla honesto fiat injuria. Non contineo lacrymas, cum Nicoclem lego, a Phocione petentem, ut si bi antea venenum haurire liceat. qui quinquam ægre ferret, eum, quem aque ac se ipse diligenter, morientem aspicere; attamen, Concedamus, inquit, hoc etiam ei, cui nihil unquam in vita negavi. Multa igitur amico condonanda sunt. Ut enim non temere, sicut diximus, copulari debent amicitiae, ita etiam nec temere dissociari. Quamobrem, si longo nobis usu satis est perspecta amici virtus atque constantia, non continuo audiendi sunt, qui criminationes contra eum afferant. Verum, quia non cum hominibus plane perfectis vivitur, si amici peccatum sit in oculis, manuque ut dicitur teneatur; tum objurgationes suscipienda sunt. ac, si bonus vir est, qualis esse debet, continuo te audiet, atque ab errore in viam regredietur; si autem in errore perseveraverit, vel est occultum amici peccatum, vel apertum; si occultum, paulatim, remissione usus, dissuenda est ejusmodi amicitia; si apertum, statim recidenda, ne, ex illius turpitudine, aliqua ad te infamia redundet.

M A N C. Sed jam surgamus. nam, ex colloquenti-
um strepitu, frequentes adesse academicos, sentio.



D I A

DIALOGVS DECIMVS.

GVIDONI PATINO,

Medico Parisiensi Clarissimo,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.



X litteris, quas ad virum eque mihi tibique acceptum, Gabrielem Naudem, frequentes dare consueisti, hominem te esse deprehendi, ad eorum similitudinem exsculptum, qui niveo morum candore, & antiqua sinceritatis fideiq; professione, ceteros in sui cultum & amorem alliciunt. Quamobrē, ne parum sollicitus esse videar de benevolentia tua mihi consilianda, quam nemo bonus summo sibi honori & emolumento fuisse non expertus est, dialogum hunc de astrerum affectionibus, in observantia mea testem, tibi offerendum esse censui. Quem tibi, non minus cœli, quam eorum qua cœlo subduntur, perito, si gratum fuisse intelligam, non erit sane, quod suscepit consilii mei, & exhibiti in te officii, me poeniteat. Vale.

D E A S T R O R V M AFFECTIONIBVS.



Vm primum ab hoc gravi diutinoque morbo, quo nunc etiam premor, paululum sublevatus, domo egredi cœpi, incidi in quendam Lucium, meum veterem amicum, ac benevolentem; ac video eum pallidum, macilentum, squalidum, bacilloq; innixum vix ingredi. Statim suspicor id quod erat; eum nimirum, in his tem-

po-

porum iniquitatibus, una cum multis hæsiſſe. Et cum inter nos, ut noster usus fert, amicissime consalutasse-
mus, Non mirum eit, inquam, quod quatuor totos
hos menses te plane non viderim, quodque me non invi-
seris, quem mensem integrum, anceps oppressum mor-
bus lecto detinuit. nam, ut ex oris pallore conjicio,
tu quoque affixus lectulo tenebaris. Non potest, in-
quit ille, dici verbis tantum, quantum re ipſa me mor-
bus affixit: neque quidquam proprius est factum, quam
ut adirem, sicut ille ait,

*Acherontia templa alta Orci, pallida,
Lethi obnubila, obsita tenebris loca.*

Sed quam pridem, ajo, tibi melius est factum? **Quindecim** sunt dies, inquit, cum febris abscessit, minusque me tuffis exercet; sed in antiquum locum valetudinis ad-
huc revocari non possum. Tum ego, Affide hic, in-
quam, mihi, atque animam, quam laſſitudo interceptit, paululum recipe. Quod cum ab eo esſet factum, Ergo,
inquam, debacchantis hujus morbi æſtus te una cum a-
liis abripuit? Sed eſt quod gaudeas, cum, ab ejus fauci-
bus eruptus, salutis portum attigeris; quod sane paucis
obtigit. Tantamne esse in astris potestatem, ut, ex varia
eorundem conjunctione, tum bona tum mala nobis mul-
ta contingent! Quid tu, ait, præsentem cladem astris
affignas? At communior cæterorum opinio Soli attri-
buit, in cuius lumine deambulare, fuit hoc anno teterri-
num. nam gravedines destillationesque commovit. Qui
meum fundam, atque omnes fundos, atque etiam om-
nes vineas, male Deus perdat, nam si illæ non essent,
nunquam me Soli tam temere commissem. Ne, obſe-
cro inquam, tam inclementer dicas omnibus fundis.
Nam eſt mihi prædiolum carum in primis, quod bonis
Sancti Honuphrii Fraterculis, vicinis meis, utendum de-
di; ubi me olim, à negociis omnibus feriatum, include-
re ac mirabiliter recreare solitus eram. Sed quid aīs?
num alius eſt sol hoc anno, atque annis superioribus
fuit? Non, inquit ille, cum cælestia corpora sint om-
nis plane mutationis expertia. Cur igitur, inquam, hoc
anno, pestiferum, superiori vero salutare, vel saltem non
ita noxiū lumen exhibuit? Sed fortasse in ea hæresi

es, quæ ejusmodi astrorum affectiones funditus rejicit. Mihi vero, inquit ille, id probari possit, quod rationem non habeat, nec Aristotelis, nec cuiusquam antiquorum autoritate nitatur? Quid ais? inquam; adeone tibi alienum à ratione videatur, suam nobilioribus astris ad aliquid efficiendum vim dare, cum eam tam large munificeque lapillis nescio quibus elargiamur, à cali dignitate atque præstantia, infinito pene intervallo, disjunctis? Deinde, quis tibi dederit, quæ contra te disputationur, ab Aristotelis inventis aberrare? Immo ajo, illa esse cum eisdem maxime copulata atque conjuncta. Nam cum Deum doceat, ad omnium rerum procreationem, cæli vicaria, ut ita dicam, opera uti, nonne hujusmodi astrorum affectiones, si non verbis ponere, saltem re ipsa videtur inducere? Locus, inquit ille, in quem tanquam in arcem confugere niteris, jam ab adversariis tuis captus, præfidiisq; munitus, tibi patere non potest. Præstat quidē cælum Deo, tanquam patrono operas suas, sed motu, lumine, atq; calore deservit. Etiamne, inquam, ad ea producenda, quorum natura lumini atq; calori repugnat? Quid continuatos, totis diebus ac noctibus, imbres, grandinis impetum, nivium vim, præterea tempestates perfrigidas, constrictos gelu amnes, solis calore molitur? quis, ante annos octo & triginta lecto Tiberim depulit? quis vicatim ostiatimque perduxit? quis multorum etiam urbanorum cubilia obire permisit? Num solis ardor? At hic, cum maxime fervet, amnes refrenat, intra ripas cohibet, & aquarum detractione, coactos fastigium summittere prætereuntium pedibus, proterendos concuncandoque concedit. Audebisne affirmare vim illam venti, quæ tibi superioribus mensibus omnes ruri de teeto tegulas deturbavit, cæli lumen commovisse? nisi idcirco lumen ad tam incredibilem culpam injicias, quia ædes tibi illustriores factæ sint, fenestrisque completæ. Iam tu, respondit ille, solis calorem, cognatum, ac pæne æqualem hnic igni efficias, quem ad vitæ usum habemus. non tanta cælo societas nobiscum est. nam hic noster ignis, quem usus vitæ requirit, confector & consumtor est eorum omnium, quibus ipse se implicat; contra, solis calor, vitalis ac salutaris, simul ac terra visceribus

sceribus sese infudit, statim ad ea omnia, quæ illa sustinet, concipienda ac proferenda, tanquam semina injicit. Nec mirum, cum omnes etiam frigoris humoris que venas includat, quas, pro rei cujusque varietate atque natura, recludit; ita ut frigidis frigus, humorum humidis, ardentibus calorem infundat. Tum ego ridens, Placide, inquam; nimis tu quidem longe progrederis; ego nunquam me inini, solis calore cuiquam humorum vel frigus induci; tu si tibi id videre contigit, memora: vidi equidem ante annos multos, Iulio mense, currum, sceno confertum, meridie ad Solis radios igne concepto, in cælum usque flammas emittere: legi etiam, æstate summa nonnullos, supplicii causa in sole detentos, ut calore, non frigore conficerentur: soleo etiam speculo, in eum usum factò, & Solis radiis objecto, ignem excitare, cum lubet. Sed cur adversus te rationum mucrones exacuo? tecum ipse pugnas, tuoque, ut dicitur, gladio te jugulas. Primum ais, solis calorem huic nostro incrementum ac vires infundere: tum eos negas inter se, velut cognitionis ac necessitudinis nexus, constringi. Debuxisti enim ex Aristotele discere, non posse quidquam in eo, quod est sibi intrinsecum & naturale, sublevari ab altero, à quo, genere & natura, dissideat. Omnino naturæ ejusdem vinculum intercedat oportet, quo quid alterius ope præsidioque succrescat. Das, calorem hunc nostrum à solis calore juvari? idem etiam utrique genus tradas necesse est. Est una atque eadem utrique natura? erit etiam una atque eadem vis. Igitur plus poterit solis calor, quam noster: at noster calefaciendi tantum facultate se jacitat, neque extra id aliquid audet: eidem etiam finibus solis calor sese teneat oportet, neque egredi postulet, quainvis tam multos eidem, ad egrediendum, exitus aperiatis. Deinde, si isthæc, solis luminis, ad res tam multas tamque inter se contrarias efficiendas, facultas à natura contingere, quid prohiberet, quo minus illud semper, quovis accederet, statim universam vim suam effunderet? Itaque simul calefaceret & frigesceret, humectaret & exsiccaret, nisi solem animantem, & ratione utentem effingas, ut, cum opus sit calore frigus inhibeat, cum frigus humorque requiratur, calefaciend

faciendi & exsiccandi vim teneat: quo quid fangi aut
 dici potest absurdius? Quanto facilius te ex his laqueis
 exueres, si, cum Astrologis, suam cuilibet astro vim da-
 res? quibus auctoribus Saturni stella refrigerat. Iovis
 illustrat ac temperat, Martis incendit, ipse Sol mundum
 sua luce lustrat ac complet, Venus remissum & condi-
 tum humore frigus emittit, postremo Luna in humidis
 ac frigidis dominatur. Quorum sententiae quid magis
 adstipulatur, quam tunc omniumque consensus? Cur
 mitulos, ostreas, conchas, umbilicos, cancos, & cetera
 id genus, non nisi plena luna coëmis, nisi quia te docuit
 usus, meliorem, à luna, tunc temporis, præstantiorem
 que, in eas res, utpote aquatiles, succum saporemque de-
 fluere? Sed vide, ne, dum in sententia pertinaciter ha-
 res, vere illud in te dici possit, quod Epicuro Balbus ob-
 jecit; videlicet, dum palato, quid sit optimum, judicas,
 te cœli palatum non suspicere. Sed, nisi molestum est,
 cum terras nox opacarit, excelsum aliquem locum, ni-
 mirum domus tuæ tectum, inscende: tum inde a spice
 hunc altissimum atque omnia cingentem cœli comple-
 xum: primum, illa septem sidera cernes, quæ dicuntur
 errare, non eidem orbi simul affixa, sed singula singulis
 orbibus tanquam propriis locis hærentia, non eodem
 impetu rapta, sed variis ac dissimilibus inter se motibus
 convoluta atque contorta: tum pene infinitam inerran-
 tiuum stellarum multitudinem varietatemque percipies,
 non pari magnitudine atque splendore compositam, sed
 dispari præditam; non æqualibus spaciis sedibusque di-
 stinctam, sed quasi temere casuque conspersam. Hic ille
 sermonem meum interrupit, nec est passus progredi lon-
 gius. Atque, Itane, inquit, me rudem in Mathematicis
 atque hospitem censes? Iam dudum est, cum ego eru-
 ditum illum pulverem attigi, atque in studio demetiundi
 cœli & terræ pene consenui. Tanto, inquam, placet
 magis, magisque gaudeo tanto. Dic ergo, cur tot spha-
 marum globos effectos atque ita dispositos putas? Num
 propter lumen? multum vero tenuis illa & incerta lux
 prodest, quæ à plerisque astrorum vix manat. Num pro-
 pter ornatum? at longe hic quidem pulchrior ex aptio-
 si stellarum collocatione ac dispositione prodiret. Restat,

ut

ut aliud quid esse quasitum videatur. At nihil occurrit
prater eorum, quæ apud nos sunt, efficientiam, & fa-
bricam; sive ea nocendi ac perterrendi vim habeant, ut
sunt grandines, tempestates, ustiones, morbi, vastitas,
pestilentia, terræ motus; sive juvandi exhilarandique fa-
cilitatem obtineant, ut est salubritas cœli, libertas fru-
gum & fructuum, æqualitas temporum. His auditis,
Quanto, inquit ille, satius esset, hæc fateri nescire, quam
ad astrorum præsidium, tanquam in aram, confugere!
Sed imparatum me, &, quod mihi ægrin est, parum
valentem offendis: cum vires & arma suppeditabuntur,
certamini haud deero. tu cave interea, ne te pessimæ istæ
astrorum affectiones, pro quibus pugnas, acrius quam
cœperunt, invadant, atque opprimant. Vale.

DE A S T R O R V M AFFECTIONIBVS, PARS ALTERA.



Am dies ferme triginta intercesserant, ab
hoc sermone disputationis nostræ; cum
rursus in idem certamen revocatus sum.
Nam cum, die quodam, mane, in hortu-
lis D. Honuphrii, solus inambularem,
meam mecum fortunam tacitus que-
rens, cui caderent omnia, sive facta sive cogitata, teter-
rime, ac præsertim, quod morbus iste, qui me tam diu
macerat, non dimitteret; sentio, me pallio prehendi ac
retineri. respicio, videoque Lucium illum, contra quem
astrorum affectiones antea defenderam. qui, Non me,
inquit, hodie infirmum, ac pene vocis usu carentem, ru-
moribus perterrebis; sed, te rectius, valentem, & in cla-
mando robustiorem invenies. Tum ego ridens., Quæ-
nam, hæc, inquam, vis est? bene mecum agitur, quod
te scipionem habere non video: nam si haberes, vere-
rer, ne eo mihi caput, scapulas, & brachia committi ga-
res. Rationibus tecum, ait, agam, non fustibus: &, quia
habeo

Q

habeo in memoria , tanquam in conspectu , non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum; primum cum ratione illa congregari, qua pugnabas, non posse à solis lumine atque calore, vim refrigerantem humectantemque defluere. atque eam mihi hujus memoriarum maximam Tiberis inundationem objiciebas ; nec minore in me imperu irruuebas, quam ejus olim diluvies

lapides adesos

Stirpesque raptas, & pecus, & domus

Volventis una,

clamabas, desipere, insanire, furere eos, qui tantam aquarum vim & copiam à solis ardore dederent, qui potius redundantes amnes ac superfluentes reprimeret, ripisque includeret , quique torrentes ipsos & stagna peribberet, vel potius exureret, sed, utrum ego , an tu insaniatis, videamus. Vter nostrum peccat catenis dignius? tu, qui ais , credere nos, ab ea solis vi , qua scenum illud, de quo dixisti, in cinerem abiit, qua etiam ii, qui in sole relicti semiustulati interierunt, perpetuos imbrues , grandinum, ut ita dicam, lapidationes, ac tempestatum tumultus ac terrores exire ? an ego, qui ita doceo , hæc à sole fieri, ut longe alia ratione contingent ? Nam cum sol, abiens à nobis , terram atque aquam ad suum naturale frigus, unde eas abduxerat , velut comineare permittit, cum eam humorum vim , quam ex agris tepefactis excitavit , atque in eam aëris regionem, quæ frigore rigescit , attraxit , in nivem vel grandinem cadere , vel tantam aquarum vim refundere sinit, ut flumina ripis excedant , lapidum moles effringant , urbium tecta corripiant ; quænam stultitia sit asserere, solem, discessu suo, naturis prædictis , tanquam frigoris humorisque semina causasque relinquere ? Hic ego respondeo , Placet hoc mihi ; sed dic, quid illi respondeam, qui me roget, Cur aliquot annis extra ripas flumina diffundunt , cum etiam quotannis de cælo decidant aquæ , interdum etiam magiores quam illæ fuerunt, quibus auctus Tiberis , omnes pene hujus Vrbis ædes invisit ? nonne illum necessario horum eventuum discriminem , ab astris percontatum, amittam ? Frustra eum, inquit ille, ad tantum laborem, tantumque iter obeundum impellas , cum sint hic apud nos

nos cause, quas rectius consulere, quæque hoc illi expedire facilius possint. Dic mihi, obsecro, cum terra, superioris æstatis ardore exiccata, ita subeuntes excipit pluvias, ut reliqui nihil amnibus faciat, quod in subiectos campos immittant, vel cum pulsa Aquilonibus flumina, longe prius collectos imbræ evolvunt in mare, quam ut eos possint in vicinas valles infundere; nonne tibi diserte rationem videntur afferre, cur hac hyeme inundatio nulla contigerit? Ex contrario, cum terra humoribus saturata aquas respuit, vel flantes Austri, maris aditum torrentibus obstruunt, vel, id quod sæpe accidit, cum moles lapidum exciduntur, vel arborum trunci profligantur, qui contra eruptiones amnum in tutela urbium excubabant; nonne, sine ullo astrorum auxilio, satis tibi ipsi patet, cur fluminibus facile sit exire, & circumiectos campos obruere? Quamobrem, quod ad flumen inundationes attinet, gratis ita, te rogam, ad astra compellas, à quibus non majus sibi auxilium expectant ea, quæ terræ visceribus inclusa nascuntur, quæ, si quid ab astris attraherent, id esset humor ac frigus; at hæc, minore cum fœnore, mutuari ab illis quatuor naturis possunt, ex quibus omnia conflantur, quarum temperatione atque mistione, camporum vestitus viridissimi, auri argenteaque venæ, infinitaque vis marmoris, ortum, incrementum, absolutionem perfectionemque percipiunt. Ut vero tu me tuis illis minutis interrogationibus, velut copiis, premebas! ut usque ad mea caltra atque præsidia ruebas! Natura nulla est, quæ sui dissimilia possit effingere; non igitur solis calor refrigerandi vim habet. Solis calor & noster, sunt ejusdem plane rationis; non igitur plus poterit unus, quam alter. Si Solis etiam calor humectat refrigeratque, aut hæc simul omnia cum calore profundet, aut mente a ratione adhibita, hæc tam varia, tamque inter se distincta, pro rei cujusque natura distribuet. Hæc atque his similia profligantur atque fundantur ab iis, quæ contrarias excursiones, tanquam in præsidio locavimus: videlicet, ut sol accedens, ignea vi, quam habet, sit fons & origo caloris, recedens vero, quod naturas contrarias, quas oppresserat, suæ sponte esse patiatur, sit quodam-

modo auctor caloris & frigoris. At etiam, quodam in loco, facetus esse voluisti. Rogabas, cur testas, umbilicos, cancros, non nisi plena luna coémerem? Quid ais? excipio; nonne magnum hinc siderum potestatis argumentum ostenditur? quid tam docet, aliquid nobis ab illis influi, quam quod luna accedens corpora impleat, recedens inaniat? Hic ille stomachans, Abiis hinc quo dignus es, cum tuis nugis; satis jocatus es, ait; cur id potius luna conchyliis, quam ceteris piscibus, præstet? cur, in uno genere aquatilium, vim suam magis, quam in aliis, exerceat? dic tu, cur ceteros pisces, tam crescente quam decrescente luna, æque sinaves ac plenos esse comperias. Sed afferam tibi hujus varietatis rationem, cui repugnare non debeas. Nam ideo ejusmodi aquatilium genera, magis quam alia, accedente luna complementur, quod ea tunc temporis, non solum interdu verum etiam noctu, ad lunæ radios cibum accipiunt. nec mirum, cum præ ceteris, hiant ore, atque imminentि voracitate sint, ut, nisi si quid impedit, semper aliquid hient, ac postulent. Tum ego, Optime, inquam, quando faceris res agitur, non rationibus. Perge porro, & si quid in pectore adversum me habes, protinus evome. Postremo, inquit, vocabas me, tanquam mustelam, vel murem, in tegulas ædium meatum; ibique jubebas aspicere circumfusum hunc ætherem, contemplarique illa clarissima cælestium corporum agmina, è quibus, singula illa septem, quæ errare dicuntur, singulos orbes motusque cepissent, reliqua vero inerrantium siderum turba, in unum orbem compulsa, unico simul motu corriperentur. Perinde, quasi nunquam ego in cælum oculos sustulisse, nisi à te fuisse admonitus: verum, tum ex diversis errantium siderum motibus, tum ex inerrantium, tenuissimo lumine, & collocatione, quasi fortuita, concludebas, non lumen nobis aliquod, non ornatum, esse quæsumum, sed eorum, quæ apud nos fierent, originem plane quandam & fontem. Primum, possim tibi negare, nullam in collocatione astrorum habitam esse rationem ornatus, & luminis, me quidem valde illa delectat, ex notarum figurarum similitudine, descripta distinctio, sicut etiam gratissima, meos ad

ad oculos veniunt, pulcherrima earum flammarum lumen, quarum nonnullæ, centum ac decem partibus, terra magnitudinem superant. Sed me, diei tempus, huic rei supersedere, compellit: illud tibi de astrorum affectionibus respondeo, si astra parem obtinent cum eo orbem naturam, quo cum una volvuntur, (quod necesse est esse, cum ex densiori ejus parte conflentur,) erunt etiam eisdem viribus praedita. Quare desipiunt, qui dicunt, leonem incendere, gemellos ejus nimios moderari calores, aquarium & pisces, refrigerare, atque alias ejusmodi nugas. Nam haec omnia orbis ejusdem complexu comprehensa continentur. Deinde, si cœlo, influendi vis esset in terram, nil prohiberet, quod minus eadem semper apud omnes & que producerentur. Nam cum illud, ab omni parte, sui simile sit, nec perpetuis illis conversionibus quidquam præter loca commutet, nonne, quamcunq; terræ partem, sese vertendo, iustraret, eisdem plane fætibus uberem eam atq; fœcundam efficeret? Itaque neque Polonus, neque Germanus querentur, apud se vina non nasci, neque nos thus & odores Arabiae, neque piper Indiæ invideremus, neque jam

*Pectinibus patulis jactet se molle Tarentum,
nec Picenis cedant pomis Tiburtia succo,
neque sit Murice Bajano melior Lucrina Peloris.*

Tum ego, Satis est, inquam; desine; jam incipis versus fundere, hoc es, furere; & iratus es. Non possum cum duobus potentissimis hostibus, ira & furore, contendere,

DIALOGVS VNDECIMVS.

BARTHOLOMÆO
TORTOLETTO, V. C.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Ac etate qua nunc es, & eo sanitati vigore qui medio in itinere vita contingit, deberem potius gratulari tibi, tantam felicitatem adepto, quam, ingratum forsan & morosum, de sevitate ac morte non pertimescenda, Dialogum offerre. Verum, cum ea sis etiam animi fortitudine donatus, & eo fame nominisq; splendore præditus, ut elapsos annos non multum requiras, & hercle nihil aliud supellectilis literariaz haberem, quod tibi convenientius offerre possim, preter hunc Dialogum; putavi, eo mihi utendum esse, quo reponerem aliquid tot elegantissimis carminibus, & academicis dissertationibus, quibus me non semel donatum esse voluisti. Lege ergo illum benevolo animo, & meum in eo testande met erga te vetustissima propensionis desiderium aqui bonique consule. Vale.

DE

DE SENECTVTE AC MORTE NON pertimescenda.

NICIUS. CLINIA.

NICIUS.



Nter ea , quæ à Stoicis inepte differuntur, illa numerantur in primis : videlicet eos, qui sapientes non sint, stultos & furiosos esse ; tum eos solum dignos nomine sapientis haberi, qui omnes sapientiæ numeros habeant , ceteros non item, etiam si proxime ad sapientes accedant ; postremo , nullum esse discriminem stultiæ , sed in pari ejus gradu versari , tum eum qui sit sapienti proximus , tum etiam eum qui à sapiente longissime distet. Quo fit , ut Plato , si nondum illam sapientiæ perfectam formam sit adeptus , æque furiosus sit habendus , atque Ajax, cum, pro Agamemnone Vlysseque, oves, passim in agro vagantes , obtruncabat. Sed , omissa in præsentia rerum tam futilem confutatione , illud tantum dico , quod si propositum erat Stoicis, ostendere, quam late desipientium familia se diffunderet , quid erat opus, ea dicere, quæ minime probari possent in populis ? Satis erat, experientiam in medium adducere : ea enim teste , nemini non probassent, vix quemquam existere, qui aliqua saltem ex parte huic affinis vicio non inveniatur. Quindecim abhinc annis , Kal. Maji, (hoc adeo cominemini magis, quia illo dñe, sub vesperam, magna me febris invasit , atque incenattim cubitum misit ;) eo igitur die , venit mihi obviam amicus ac popularis quidam meus , Clinia nomine, cui summam ægritudinem afferebat cogitatio senectutis ac mortis ; quarum alteram jam advenisse, alteram in propinquuo esse querebatur. Atqui ego, paucis ante mensibus , conatus eram hanc illi ægritudinem adimere; sed nihil profeceram. Itaque , in hac cogitatione defixus, eam maciem contraxerat , ut nihil ei-

dem supereriset, præter pellem & ossa. At ego, ex misericordia illius aspectu, misericordia commotus, Heustu, inquam, o Clinia, quænam hæc figura est oris? jam eo redactus es, ut facile te pro manduco probare possis, quem nutrices infantulis, in fletum effusis, minitantur.

C L I N I A. Vetus ille morbus, qui me jam diu ex-cruciat, nimis his diebus miserum habet.

N I C I U S. Quisnam est tuus antiquus hic morbus? Narra obsecro.

C L I N I A. Mea illa ægritudo, ex assidua senectutis mortisque cogitatione, contracta. quam senectutem instare atque imminere, paulo ante querebar, nunc adesse atque hærere, misere desleo; idque propterea, quia mortem, quam maxime perhorresco, mihi supra caput esse conspicio.

N I C I U S. Etiamne tua illa te vetus strultitia exigitat, ac nondum, ratione, exturbata dimisit? Profecto, quantum audio, actum est de te, illicet, periisti: etenim ægritudo ista, non est ex earum genere, quas dies minuat, sed potius earum ex numero, quæ ab ætate incrementum ac vires accipient. Nam si tibi causa doloris est ætas, profecto, quantum ea ad annos accelerit, tantudem etiam ad doloris istius acerbitatem, ut ita dicam, velis remisque contendet.

C L I N I A. Nullane igitur relicta est misero mihi contra dolorem istum medicina? fer opein, obsecro; meque, quod potes, adjuta.

N I C I U S. Tantumne mihi ab re mea esse occii putas, ut tuis ipsis ineptiis audiendis refellendisque vacare liceat? Refer te ad ea, quæ superioribus mensibus tecum copiose differui; tibique exinde, quantum videbitur, hauri.

C L I N I A. Numne ideo tibi futere & insanire visdeor, quia, ætatem effluxisse celeriter, doleo, quia, præteriti temporis voluptates recolens, in quibus honeste jam versari non licet, molestia, quantam animo maximam capere possum, afficior?

N I C I U S. Habeine, quomodo ætatem amissam recuperes, necne? Si habes, obsecro imperti; ego etiam cupio revocare annos meos, opinione mea celerius elapsos,

psos, si non habes, cur te perperam crucias? cur gratis esse vis miser? Deinde, utrum eae voluptates, quarum memoria animum percudit, sunt permisæ, vel vetitæ? si permisæ, quis te iisdem, in hac etiam ætate, oblectare animum prohibet? Si vetitæ, est, quod magnam senectuti gratiam habeas, quæ te illis, si maxime cupias, uti non finit.

C L I N I A. Esto; voluptates magni non æstimo; æquo illis carere animo possum. Quid, mori? quamnam rem esse putas? num apinas tricasque? id in morte, ne nescius sis, agitur, ut ne sis.

N I C I U S. Quid, si ostendero, mortem esse viorem rebus à te prolatis? num quid causæ est illico, quinte hominem esse nihil prædicem, qui re propemodum nulla commovearis? Nam quid est mors? Nihil plane, nisi vitæ privatio. At, qui privationi plurimum tribuunt, rem esse ajunt totam hominis mente & cogitatione conflatam; nullam autem ejus partem satentur existere. quod autem sic est, longe minoris, quam apinas æstimo; si quidem à nihilo, minimo intervallo, disjungitur. Vide igitur, quanti sit res pretii, quam metnis. Quam mallem, in quovis alio levitatis genere, quam in isto, peccares! Nam, quid est levius, quam nulla re expavescere, ut larvati, certiti faciunt?

C L I N I A. Iam tu, ipsis spinosis & contortis interrogatiunculis, persuadere mihi postulas, cælum meridiem non lucere.

N I C I U S. At hæc, ex Philosophorum disputationibus, non ex meo sensu, depromsi: æquum est, te illis acquiescere.

C L I N I C A. Nescio Philosophos. Vnum scio, mortem ultimam lineam rerum esse; haud nihil esse. à qua me proprius abesse cum cogito, intimo eodemque acerbissimo animi dolore pervellor. Huic tu malo afer opem, si potes; aut molestus ne sis.

N I C I U S. Næ tu homo es ridiculus, qui, sine Philosophia, postules, à te animi morbos expelli. Sola enim Philosophia medetur animis, solicitudines detrahit, curas evellit: illa contentum mortis ingenerat;

illa vitæ mortalis dolorem spe aeternitatis leniendum edocet. nihilne igitur ista ad restinguendam vitæ mortalis sitim, ardensque rerum, fluminis ritu prætereuntium, desiderium, valere debet?

C L I N I A. Præceptorum istorum plenus sum, quæ aliis decantare soleo; sed non quidquam omnino ad levandam ægritudinem pertinent.

N I C I U S. Tum tu citharae vel fidium similis es, quæ sensum aliorum, voluptate permulcent, ipsæ autem sunt omnis sensus ac voluptatis expertes: vel perinde hæc te præcepta juvant, ut cervum cornua, quæ non tam sunt ei auxilio ad pugnam, quam impedimento ad fugam; cum pleraque animalia, nihil ejusmodi præsidis munita, acriter bellum repellant, atque inferant. Novi ego non paucos, exacta ætate senes, omnium bonarum artium rudes, hilares ac jucundos, nou magis adventantis mortis metu terreri, quam diuturno labore confectos, noctis vicinitate, quam ad quietem somnumque esse datam intelligunt. tu vero, litteris doctrinaque exultus non mediocri, tanquam supplicium aliquod, mortem pertimescis? Cur id, quod senex decrepitus non timet, viridis adhuc ac vegetus metuit? cur id, quod indoctus potest, doctus non audet? Propterea, opinor, quod in illius pectori, omni eruditione, velut armis, exuto, leonis animus latet; in ista tua, superba litteris, velut cornibus, fronte, cervi timiditas inest.

C L I N I A. At hanc eis securitatem, non animus facit, sed incogitantia. Quid enim potest eis esse læsum, exitus suos cogitantibus?

N I C I U S. Quamquam te magis effeminatum, quam quamvis mulierculam, præbes, tamen, quia didicisti, habere tibi honorem volo ut Philosopho. Tecum itaque tanquam cum Philosopho loquar, & cum eo Philosopho, qui præsertim in Platonis atque Aristotelis scriptis versatus esse dicatur. Quid istic Philosophis, ad levandum mortis rerumque humanarum metum, tam utile videtur, quam frequens atque perpetua conditionis humanæ meditatio cogitatioque? Primum ille, qui à Panætio Homerus, à Cicerone deus Philosophorum

ap.

appellatur, Plato, vetat Philosophum uspiam, nisi in aliud mortis commentarye, vitæ tabernaculum colloquere. isque rationem, cur ita sit, affert; quia videlicet, per hunc modum, animus, ad cælites, quibuscum una semper futurus est, commigrare assuescit. Deinde Aristoteles, cui hodie in scholis primæ deferuntur, nonne docet, summam hominis felicitatem in contemplatione, quæ sola id maxime præstat, existere? quod si beatū habendi sunt ii, qui per contemplationem, animum ad se ipsum advocant, secum esse cogunt, &c à corpore, quantum potest, abducunt; nonne omnes numeros felicitatis assequatur necesse est, qui re ipsa, per mortem, hujus vincula carceris ruperit, qui ex his tenebris in lucem illam, omni voluptate refertam, emerserit? Vides igitur, in hac Philosophia, quæ tibi sola est in amore ac deliciis, non modo nullam, ex cogitatione mortis, miseriam, verum etiam felicitatem maximam consequi. Verum, quia id, quod est obscurius, exemplis illustratur, veniat in medium Socrates, unde, tanquam à capite, omnis hæc doctrina defluxit. quid in judicio capitum fecit? numquid de illa perpetua vultus sui hilaritate remisit? minime; sed, ut consensu cum eo, quod docebat, inveniretur, tum defensionem à Lysia scriptam repudiavit, tum, cum posset educi à carcere, noluit. Itaque ita mortiferum illud poculum hausit, ut non ad mortem trudi, sed in cælum videretur ascendere. Adsit Theramenes, paucis annis ante, triginta tyrannorum jussu, conjectus in carcerem, atque damnatus. Hic magis etiam quam Socrates, delectari visus est morte. O virum egregium! etiam extremo spiritu lusit, ridensque, illam potionem publice mistam, non aliter quam medicamentum immortalitatis, obduxit. Deinde, quid magis est proprium hujus philosophiæ, quam ægritudines tollere? At quomodo evellet? primum, earum radices exquirit; tum, inventas, funditus extrahit. Tui tibi morbi radix invenienda atque extirpanda est, si est in animo convalegere.

C L I N I A. Morbi mei causa senectus est, &c, quæ eam consequitur, mors.

N 1-

NICIUS. Dic, obsecro, nonne hac condicione in hanc lucem venisti, ut senesceres ac morereris? Si tibi contumeliam displicebat, ne accepisses; cum accepisti, quid quereris? Immo est, quod latari & gratias agere debeas, quod tibi plus servatum sit, quam fuerat promissum. **Quis** tibi, cum vita daretur, non dico senectutem, sed unum diem promisit? nemo; sed totum est in dantibus arbitrio ac voluntate relictum; qui vel statim potuit, quod utendum dedit, exigere. Nec mirum: nam homo, simul ac nascitur, maturus est morti. Quamobrem fatexi cogeris, tecum benignius actum, quam cum innumeris, quos in ipso vita apparatu vita destituit.

CLINIA. O si mihi daretur, exactum vitæ spacium repetere!

NICIUS. Ergo, si tibi daretur, ut decursum ætatis curriculum rursus inires, omni molestia cares?

CLINIA. Si quis mihi Deus hoc daret, ut, tanquam Æson, juvenescerem; amoenitatibus facetiisque omnes mortales, quotquot sunt, anteirem.

NICIUS. Quid? cum ad ætatis calcem, sicut nunc, devenisses, servaresne eundem hilaritatis modum?

CLINIA. Minime, si ad eandem moriendi necessitatem revolvereret.

NICIUS. In eodem igitur luto haereres, versuras solveres, ut Terentianus inquit Geta. Quamobrem, quare aliam causam hujus ægritudinis veriorem, quam extirpes.

CLINIA. At nulla, in præsentia, occurrit, nisi nimia hujus vitæ cupiditas.

NICIUS. Tenes. Hanc igitur cupiditatem radicibus extrahe. Iam faxo, mortalis hujus vitæ fugam non magis retinendam esse arbitreris, quam fluminum cursus, in mare labentium.

CLINIA. Sunt ista, ut dicas, & ad ægritudinem levandam necessaria: sed, cum ea appetit, nescio quomodo mihi è memoria, tanquam è manibus, excidunt, vel ut verius dicam, non sunt in promptu.

NICIUS. Næ, tu bellator essem indiligens. Facile enim

enim in insidias hostium devenires. Quid tam miles ca-
vet, quam ne imparatus inveniatur? Immo sagacitate, ac
diligentia, multis belluis inferior invenireris, quæ arma,
sibi à natura concessa ac tradita, semper habent contra
omnes ferarum incursus expedita ac prompta. Subvenit
apologus, tibi ex usu qui sit. Avis quædam, nomen non
memini, dentes acuebat, arbori cuidam insistens, quam
ut vulpecula aspexit, rogavit, quamobrem, nulla re ne-
cessaria cogente, ita dentes acueret. Quia, inquit, ve-
reor, ne, cum sit opus defensione, satis spacii habeant
ad me comparandum. Tu quoque hoc exemplo, ratio-
nes, quibus rectus esse possis, expeditas, & tanquam gla-
dium exertas, ad omnes ægritudinis hujuscem impetus,
habe.

C L I N I A. Omnes cum valeamus, recta consilia æ-
grotis damus: sed num quid me vis?

N I C I U S. Nihil, nisi ut ne sis miser. Vale.



DIA-

DIALOGVS DVODECIMVS.

DOMINICO GILBERTO
CÆSENATI.
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.



*On tam erat inclinata etatis mea,
quam vivida tue & florentis, patro-
cinium Veneris suspicere. Verum post-
quam res ita cecidit, ut ego juvenis
partes sustinuerim; reliquum est, ut
senis officium subeas, & meam hanc
apologiam, in tuam clientelam, reci-
pias: qui facta deorum & heroum,
argutissimo tuo plectro nobilitare, & mira felicitatis carmi-
na pangere consuevisti. Vale.*

VENVS, ÆNEAM AB HELENÆ CÆDE prohibens, defensa.



Vdus quartus viro cuidam docto, domi
meæ, prandium dedi: à quo cum satis
uterque nostrum quievisset, cœpimus,
fallendi otii causa, ut sit, varioſ ac ju-
cundos sermones inferre, inter quos,
sumſit ille in manus libros Æneidos
Virgilii, qui in quadam mensa, cum aliis
voluminibus confusi ac permixti jacebant: quibus apertis,
incidit in eum locum, ubi Æneas, Trojæ direptionem &
incendium narrans, exponit, nihil propius esse factum,
quam ut Helenam, in æde Vesta latenter, à se conspe-
ctam, sua manu interficeret; putasse enim, Trojanis, qui
ab ea cæde superstites extitissent, nihil fore ad existima-
tio-

tionem turpius, nihil ad dolorem acerbius, nihil ad posteritatis memoriam luctuosius, quam si eam, quæ Trojæ exitium, ipsis luctum, diis penatibus suis exilium ac fumam peperisset, incolumem & ovantem, domum ad suos redire contigisset: additque, se id, quod cogitasset, facillime perfectum fuisse, nisi imperium & auctoritas matris intercessisset. Hic ille Æneæ fortitudinem & amorem in patriam laudare, Veneris consilium execrari, atque eam pessime de rebus Trojanis meritam dicere, quod illam pestem, illam Erynnim, Orco dari prohibuisset, per quam tot viros fortes, tot cives egregios, Orcus haberet. At ego, dissentiens leviter ab eo, quærebam, quam ille laudem, ex mulieris calamitosæ interitu, relaturus fuisset; nam, quis calamitosam eam neget, quæ suis esset propter Paridem invisa, Trojanis vero, ob excidium suæ urbis, infesta; ut merito Varius & Tucca locum hunc, utpote ab Æneæ dignitate prorsus alienum, à toto opere segregaverint atque se junxerint. Calamitosam, inquit ille, eam vocas, quæ tanto scelere se obstrinxit? atrox illud facinus favore & benevolentia prosequeris, quod dignum est omnium deorum atque hominum odio? At ego Helenam, inquam, prorsus à culpa non eximo, sed multum ex illius invidia deonero, & in alium, scilicet in Paridem, transfero; qui quidem multo est, confessione sua, nocentior, quam à me arguitur. Nam, quamquam fuit illi malo caput, in aliquam tamen ejus criminis partem Helena venit; ille autem, totum crimen, Helena expulsa & ejecta, invadit ac detinet: ait enim in ea epistola, quam ad Helenam scripsit, ne crimen ullum vel dedecus ex discessione vel fuga metueret; nam ipsum in se totam ejus invidiæ tempestatem derivaturum. ac verba epistolæ, si memini recte, sunt ista:

Si pudet, ac metuis, ne me videare secuta,

Ipse reus sine te criminis hijus ero.

At ille, Nugæ, inquit, sunt isthæc, & gerræ germanæ; nec vera est ea epistola, sed falsa, ac tota, ex Ovidii libidine, excogitata atque conficta. Ego totam in ea culpam crimenque constituo. Tolle Helenam è mundo; omnem simul belli Trojanæ causam excideris. At ego contra, totidem pene verbis, Tolle, inquam, Paridem cor-

corruptorem; continuo Troiae eversorem ademeris. Ille ille, inquam, ea fax fuit, quæ in Asiae perniciem edita, totum illud conflavit incendium: quæ quidem, simul ut edita est, ex Regis edicto, comprimenda fax fuit, non aliena; in profundum abjicienda, non in visceribus patriæ constituenda. Quantam misericors ille pastor, in tempestiva illa pietate, crudelitatis saevitiæque vim perit! quot hominum millia unius anima conservata necavit! Nunquam illa debuit alienum ad se virum contra ius fasque admittere. Neque ille, inquam, debuit hospitis uxorem domum suam abducere, quam sibi fas non fuerat tangere. Ac si illa peccavit, semel peccavit, virum videlicet suum deserendo; at in Paridis peccato, numera, quam multa & gravia scelera concludantur. Primum, sacratissimæ hospitiū leges violatae, sanctissima legitimi thori jura neglecta, turpisssimum proditionis crimen admissum, vis matri familias illata. Hic me ille interpellavit, ac, Deus bone, inquit, quid audio? tu vim eam vocas, quæ fit volenti atque cupienti? eamne vim pati affimas, quæ statim, de stupro rogata, consentit, immo quæ prius exoratur, quam rogetur? Tum ego, Vtrum in hoc asseveratur, an tentatur? Sed te, arbitror, joci magis causa, quam quod ita sentias, mihi adversari in disserendo. Nam quis est in jure civili ita hebes ac rudis, qui nesciat, non minus raptam eam mulierem dici, quæ sua voluntate, clam virum vel parentes, cum amatore discedat, quam quæ invita atque repugnans abducitur? Nam ut eleganter Iustinianus docuit, hoc ipsum velle mulierum, ab infidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Similiter, quemnam hac scientia iuris mediocriter instructum effugiat, non eam solum vim dici, quæ armis, minis, ac terroribus fiat, verum etiam eam, quæ pollicitationibus, precibus, ac blandiciis, teneros adolescentium vel mulierum animos in frandem illiciat? Quod autem his armis, ad expugnandam Tyndaridis pudicitiam, egregie munitus Paris accesserit, testantur in primis missi ad eam nuncii, epistolæ, quæ divitias & honores pollicebantur; ejusdem lamentationes, lacrymæ, & petita alte suspiria; navis à Phereclō, ad ornandam singam extracta; quam navem Homerus initium ac seme-

men Trojanæ calamitatis appellat. Quid regalis adulteri cultus, aurum vestibus illitum, egregia forma, calamistrata coma, nonne magna quædam dicenda vis est? Præterea, vox ejus suavissima, cantus, scripti in Helenæ pulchritudinem versus, diligens soliciti amatoris officium, vis, sine controversia, fuit. Pergis, inquit ille, Ovidii testimonio rem totam absolvere? cui tanquam Poëtæ licuit, in hoc fingere, si quid vellet. Tum ego, Si, inquam, Ovidius auctor idcirco minus gravis habetur, Poëta quod sit, omnis etiam Homero Virgilioqne, summis item Poëtis, auctoritas abrogetur; & quidquid de Helena & Ænea scriptum apud eos invenitur, id falsum esse, totumque ab eis confictum, existimetur. Aut igitur, de illorum testium fide detrahamus oportet, aut Ovidio æque atque illis ut credamus necesse est. Sed finge Helenam, longe post homines natos improbissimam; quamnam Æneas laudem, ex unius mulierculæ supplicio, retulisset? Evidem didici ex Aristotele, eum esse fortem virum, quem sola honestas facit, adversus mortem aliosque humanos casus, invictum: vel ab hac similitudine, quamvis minus proprie, hoc eum nomine appellamus, quem in contemptum mortis, vel metus infamiae, vel ars ususque feriendi, vel temeritas, vel furor impellit. Summa denique huc redit, at vir fortis, sive verus sive non verus, ne intelligi quidem possit, qualis sit, sine periculis: remove pericula, omnem simul fortitudinis rationem ejeceris. At, quod erat periculum, mulierem inermem, timidam, nec repugnanteam, invadere? Tum fortasse aliquem virorum fortium numerum obtinebat, cum amens, ira atque dolore, ex incendio Trojæ, in confermissimos hostes irrupit armatus, cum Androgeum aliosque ferro constravit, cum victores Danaos, metu compulso, in naves adegit: ex hoc vero, quod coactus erat, si illud perfecisset, nihil nisi summæ immanitatis sævitiae que famam collegisset, atque haud scio, anue nunc quidem eam effugerit. nam quod Helena non ceciderit, non habet Æneæ hanc gratiam, sed Veneri, cuius auctoritate est illius surentis ardor inhibitus: at ad contrahendam facinoris cuiuspiam notam, non tam eventus requiritur, quam animus consiliumq; spectatur. At vide, quan-

ta ejus mulieris extinguendæ libidine, ferus exarserit, ut fuerit necesse Virgilio, divinam illi viuin & potestatem opponere. O furorem incredibilem! nisi Venus è cælo descendissent, omnes ad eum cohibendum humani conatus in irritum recidissent. Existimavit Poëta bonus, id quod in præceptis suis Aristoteles tradidit, hunc Aeneæ impetum, esse ejus generis nodum, qui deo vindice dignus existeret. Itaque, si solus perpetrandi facinoris animus magnam nobis infamiæ notam inurit, quantem Aeneæ existimationi plagam ille furor infligat, quo in Helenam cæcū invasit? Tum ille, Non desunt mihi, inquit, arma, quæ contra hos tuos impetus opponam, si velim: sed ab iis abstineo, tum quia hic in tuo regno versor, tum quia metuo, ne mihi posthac iratus nullum ejusmodi prandium apponas. Nam à te ita acceptus sum hodie, ut non me pœnitiat, quod huc venerim. Sed cras, volo, sis apud me, nam licebit mihi liberius, adversus ea quæ dixeris, omnes meas copias exponere. Tum ego, Optime, inquam; non potes valentiorem adversus mea castra exercitum, quam hunc, opponere, non alia potentiora arma parare, quam hæc escaria. Immo, si potes me curare nitiduscule, sponte me tibi dederim, libensque in tua castra confugerim. Sed, in crastinum, non promitto. Vides enim, ex tibiæ inflatu, me non posse ingredi. Cum convalluero, condicionem accipiam. Hic leviter ille arrisit; ac tum, Non tam, inquit, epulis, quæ, pro re nostra, erunt ejusmodi, ut nullam legi sumtuariæ fraudem esse factam dicas, quam rationibus, tanquam vinculis, constrictum te in mea castra perducam. Sed age, ut lubet, si quod est in Aenea peccatum, si modo est ullum, citius (id quod de Catonis ebriositate dixit Seneca) honestum illud effeceris, quam Aeneam turpein. Et, cum ad tollendam superioris disputationis molestiam cachinnos sustulissimus, ille pallium poposcit, & ad D. Honuphrii ædem iter accepit; ego domi remansi.

DIA-

DIALOGVS DECIMVS TERTIVS.

Nobili eruditoque viro,
V A I O V A I O,
 IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
 S. P. D.



Oan. Iacobus Buccardus, vir doctissimus, & amicissimus tuus, orationem editurus, quam, de Christi Ascensione, ad Urbanum VIII, Pont. Max. habuit, petiit à me, ut meo aliquo epigrammate eam, ut ipse aiebat, honestarem, in quo aliquid etiam dicerem, de modis antiquorum, quos ipse, in referenda Seneca Troade, in vitam revocavit. Morem gessi amico. Et, quoniam à Pont. Max. poëta summo, emunctissimeque naris censore, semel atque iterum lectum est epigramma istud atque probatum, placuit, ejus exemplum ad te mittere; cuius ego ingenium, atque judicium, facio, ut equum est, plurimi.

Troadi indignum dederas nos cernere fatum,

Audire & priscos, te revocante, modos.

Nunc Petro, & sacro Petri plaudente Senatu,

Ipse refers Christi celsa trophea ducis,

Alta triumphatis repetit qui sidera terris,

Agmina de Ditis carcere rapta trahens.

At ventura tuum laudabunt secula nomen,

Qui duo restituis pene sepulta situ.

Nam per te celebris rediit sua fama theatris,

Et vetus eloquii stat tibi in ore decus.

Multa hic Romæ, intra paucos dies, evenere, fœda & atrocia. In his, adolescens Forojuliensis eum, cui operas suas

pro servo locaverat, in adibus Marii Frangipani, à quo ille alebatur, multis confossum vulneribus, clam vita devolvit, tum, auro argento aliisque preciosis rebus, quæ miseri illius fuerant, convasatis, aliam urbem persecutus est. Hic erat vir, annos quinque & quadraginta natus, humanissimis his litteris haud mediocriter excultus, Academicus Humorista, qui librum etiam, ad poësin pertinentem, eruditæ scribium, editurus mox erat. Aliæ præterea cædes factæ: multis pecunia per sycophantias & doctos dolos erepta. Inter quos, callida, sycophanta cuiusdam Neapolitani, technæ fallacieque palmam obtinenter. Hic, qui ad expugnandas Vrbanorum crumenas, plures, lepidissimarum astutiarum, tanquam legiones Romam adduxerat, quo sua furtæ felicius cederent, ac plures, nominis splendore circumventos, in insidias attraheret, se ipse in nobilissimam Caraffarum familiam adoptaverat, & insuper Marchionem effecerat; neque aliter, nisi Marchionem Caraffam, se dici volebat. Hic igitur, ita graphicus sycophanta, penetraverat in amicitiam nobilis cuiusdam adolescentis, ut dici audio, Ianuenſis patre parco ac duro, sed admodum divite, qui multa hic nummū aureorum millia collocata habet in locis montium, ut vocant; atque persuasit bomini, si bene sibi esse vellet, ut, ex patris nomine, se lo. Baptistam appellaret, ac loca illa venderet; idque satis processurum ex sententia, cum pater nunquam Roma visus fuisset. Itaque ille, sycophanta præceptis oneratus, confert se ad eos, qui singula, montis cuiusque creditorum, nomina, in tabulis descripta habent, ac locorum eorundem emtionibus ac venditionibus præsunt. queritur, nescio quo casu, crediti sui diplomata periisse, ac propterea se postulare, ut altera conficerentur; se esse lo. Baptistam, qui in ipsorum codicibus magna pecunia rationem haberet. Querunt illi; inspiciunt: atque, ex libris, rem esse inveniunt. sed duo illi præstanda esse respondent; primum, cognitorem aliquem dandum, qui, ipsum illum esse lo. Baptistam, & non subditicium, testificaretur; tum, alterum exhibendum, qui pro ipso sponderet. Vtrumque sine mora factum est. nam cognitoris partes suscepit tabellio quidam, mercede conductus, cui non magis adolescens ille erat notus, quam mihi, quam tibi, qui, ne natum quidem esse eum, novimus; sed ita catus, ita malus, ita confidens, ut, si palam ibidem affuisset, verus

lo.

Io. Baptista, nunquam fuisse ille potior Io. Baptista, quam adolescens: eo enim illum, dolis atque mendaciis, adduxisset, ut negaret, eum esse se qui esset, & adolescentem, ut esse affirmaret qui ipse esset. Intercessit deinde pro eo Marchio ille Caraffa; quem nemo ausus est repudiare. quis enim fidem illi abrogasset, qui, prater generis nobilitatem, auri & argenti montes sibi domi esse jaetabat? Impetrat igitur, ut altera diplomata conficiantur. Verum, adolescens iis, ad quos eares pertinebat, nihil esse opus diplomaticis, ait; sibi esse in animo, loca ille vendere; proinde laborem illum compendi facerent, & quidquid ipsis pecunie pro illorum confessione deberetur, acciperent. Annunt illi; emtores etiam adducunt: &, quia raptim omnia agebantur, ea erat precii vilitas, ut non venditiones, sed largitiones fieri viderentur. Ne longum faciam; transactis jam rebus omnibus, adolescentis coactam pecuniam in rhedam imponit, atque, una cum Marchione, pergracatum abit, non apud Sybaritas, non apud Phaeaces, sed quo Marchio ducebat. At vix urbem reliquere; cum, ex occulto ac de insidiis, armati quatuor erumpunt, in rhedam impetum faciunt, rogan, quid in ea lateat, querunt, investigant, pecuniam inveniunt, auferunt, abeunt. Hi erant sycophantes illius satellites, ab ipso ad id conducti: quos tamen, educto gladio, se simulans persecui, una cum illis e conspectu evolavit. nihilque adolescenti, nisi plorare, reliquit. Legi in tuis litteris, magnam fuisse illis, quos mea ad te epistola participes fecisti, curam injectam, mei cognoscendi, videlicet,

Vnde domo, quis,

Cujus fortuna, quo sim patre, quo ve patrono.

Itaque, quo percontantibus de me respondere possis, sermonem descripsi, inter te & me domi mee habitum; in quo totam ferme vitam meam seriem exposui, eumque, de meo nomine, Nicium inscripsi, eo quod priores loquendi partes mihi attribuam. Interim potes illis breviter respondere, me esse bono genere ortum, bonis prognatum, modicis facultatibus, quamvis ea calamitate, que cives fere omnes complexa est, non parum imminutis. Ac, ne veniat illis in mentem, mihi uxorem dare, addas, Bacchi potius quam Veneris muneribus me esse idoneum, nec quidquam jam vobis scitulas istas ac venustulas puellas invidere, sed vina suavia simulque palatum

tum vellentia, quibus, cum est genio indulgendum, vos patentesque vestros madefacitis, mihi animum eripere; sed, quamvis albus est capillus, me neutquam esse ingenio senem, non tristem, non difficilem, non morosum, non querulum, sed hilarem, lenem, comitem, jucundum; denique, me esse penitentem adolescentem moribus, dicas. Ac jam eos, qui te hac narratem intelligent, audire jam videor exclamantes; O lepidum senem! Sed, omissis jocis, miraberis, hac te domi mea fuisse locutum, qui, ne ubi quidem ea sit, nosti. Sed scis morem dialogorum. quam nobrem ad rem aggredior.

N I C I V S.

V A I U S. N I C I U S.

V A I U S.



Vinam sunt isti libelli, quos in manibus habes? Etenim, nisi me oculus fallit, sunt omnes tua manu conscripti.

N I C I U S. Sunt reliquiae laborum meorum, vel, ut verius loquar, ineptiarum, in quibus interdum meum ocium contrivi. Nam plurima eorum, quæ scripsi, passus sum æquo animo, interire. Nihilo enim elegantiora erant istis, quæ ab interitu, nescio quis causis, eripuit.

V A I U S. At hæc, qualiacunque ea sint, ad exactam acerrimi tui judicii normam revocas; quia tibi sit in animo, brevi in lucem emittere.

N I C I U S. Nihil minus cogito. At vide, quam easim cupidus edendi, ut ex eo die, quo scripserim, ad hanc diem, adeo nullam in eis corrigendis emendandisque curam ac diligentiam adhibuerim, ut ne relegerim quidem. Neque mirum: etenim, non aliquam ingenii gloriolam aucupans, sed ocii oblectamentum quærens, me ad scribendum conseruo. Itaque labores meos, ad nullum plane usum utilitatemque suscepitos, non pluris esse faciendo existimo, quam telas aranearum. Nam illæ etiam, ex corruptæ alvi materia, nullis fere humanis usibus

usibus proficuas telas ordiuntur , ac texunt. Cum enim non pauci ex æqualibus meis , in hac luce orbis terrarum collocati , opibus & honoribus ad cælum usque extollerentur; ego , à Rep. exclusus, domi meæ, tanquam in angulo, hæc, non tenui, tereti, & æquali filo, ut illæ, sed crasso impolitoque texebam. Atque utinam hæc , quamvis levia , quamvis inania , quamvis frugis expertia , omne meum tempus abstulissent , neque majorem ejus partem aliae minus honestæ occupationes sibi vendicassem. Profecto nunc minus multo inmetet mei pœniteret.

N I C I U S. Usque eo tua mihi modestia probatur, dum suis se finibus teneat. Verum si longius progrediatur, atque aliquam nobis utilitatem fructumque intercipiat, nullo modo probari mihi potest. Incidi in quasdam epistolas tuas ; neque indignas judicavi , quæ in manus hominum venirent : immo easdem, audivi , ab hominibus doctis laudari. Quamobrem des operam censeo , ut extrema scriptis tuis manus addatur, quo possint emendatione atque ornatoriæ prodire.

N I C I U S. Omnis me jam pridem eloquentiæ & eruditionis cura studiumque deseruit ; neque amplius docti eruditique viri fama delectat. Quamobrem mihi est in animo , ne minimum quidem temporis , in his nugis expoliendis ornandisque, consumere.

N I C I U S. Si te honorum cupiditas , vel potius Reip. capessendæ amor & studium , urgebat , cur non iis nomen tuum dabus , qui ad magistratus petendos accedunt ?

N I C I U S. Non equidem mihi defui ; sed dedi operam , quod in me fuit , ut Reip. usui esse possem. Sed illa meam à se operam funditus repudiavit , neque ullam in partem publici muneric admisit. Quod ego eo iniqiore animo tolerabam, quo nulla in re inferior iis esse videbar , quibus se totam illa commisisset. tum autem non plane nudus atque inops ab iis artibus eram, quibus illa recte administratur , sed ex Iuris civilis ac Philosophiæ fontibus tantum hauseram , quantum esset suscipiendis ac gerendis honoribus satis.

N I C I U S. Miror, cum sis ejusmodi , cur non ipsamer
R 4 Resp.

Resp. tuam ad se operam vocaverit, atque adeo attraxerit.

N i c i u s . At fuit tempus , quo tempore ea visa est me ad sese arcessere, atque , ut tu ipse dicis , attrahere, sed repente , excitatis aut à fortuna aut ab invidia magnis ac turbulentis tempestatibus, rejectus sum inde, quo aggredi misere cupiebam. Nam eos , quorum opera, Reip. tradebar, statim, atque ex improviso, mors abstulit; vel iis , quibus erat molestum, me potissimum eligi, omnes livor dentes ad me conficiendum exacuit. Proh Dens immortalis, quot invidiæ ventis necesse est circumflari loca ista honorum edita, cum, ad ea nitentibus, tam multi sese flatus objiciant ! Sed fortasse Deo propitio meo , nullus mihi ad honores aditus patuit. Non enim eos instrumenta virtutum , sed materiam libidinum, habuisse. Præterea, multa mea peccata, quæ nunc latent in hac veluti caligine ac tenebris privatæ vitæ, tunc, magno existimationis meæ damno , nec sine gravi aliorum offensione, in oculis pene omnium constitissent.

V a i u s . Quandoquidem pericula, quæ in altum honorum evectos , assidue circumstant , animo , tanquam oculis, cernis; jam tibi grave videri non debeat, nullam potuisse publici munera partem attingere ; neque pessime tecum esse actum existimes , quod , remotus à laboribus ac periculis , nulla re egens , ac nemini parens, in ocio privatæ vitæ, tanquam in portu , relicitus sis. Nolim quidem videri , tuis studiis ac cupiditatibus obviām ire; tamen ea auctoritate , quam mihi in te esse voluisti , dicam libere, quod sentio. Cecidit tibi sane feliciter, quod non licuerit, è tenebris privatæ vitæ, in lumen honorum exire. Nam, quæ major homini felicitas potest accidere , quam totam suam ætatem in potestate habere ? quid , ex contrario , infelicius contingere, quam cogi , omnes sui temporis partes , nulla earum sibi relicta , in aliorum usum impendere ? At homo , in administratione publicorum munera occupatus , parum sibi ex sua vita reliqui facit; totam fere negotiis attribuit. Immo, si est dicendum magis aperte, qui sic occupatus est, nullo modo vivit. Nihil enim, ut inquit Seneca, minus est hominis occupati, quam vivere.

N 1-

N I C I U S. Ut verum tibi fatear ; antea quam potuerim existimare , quanto liberior vita sit eorum , qui procul à Rep. vitam agunt , erat mihi mortis cuiusdam instar , quod non possem meum tempus in aliorum usum conferre , sed totum mihi integrum illibatumque relinquatur : & , tanquam insignis aliqua injuria vel damnum impositum esset , ita querelis ac lamentationibus omnia complebam . At postea ocii mei dulcedine delinitus , & simul turbulentia eorum vita perterrefactus , quibus nihil vacui ac liberi temporis à negociis publicis reliquum esse animadvertebam ; sensi tandem , eos , qui cuperent ocium suum alteri tradere , perinde insanire , ac si pecuniam , sibi necessariam , in aliorum usum erogare contenderent . Quis enim , nisi stultus , quod sibi opus sit , alios potius habere velit , quam se ? Omnino , nihil carius est tempore , nihil indignius quod temere effundatur ; cuius solius , ut inquit Seneca , honesta avaritia est . Id ego insaniens , tanquam pecuniam , alteri largiebar ; & , cum non acciperent , dolenter casum meum miserabar : neque animadvertebam , interea illud inutiliter fluere , ac neque meo neque alterius cuiusquam usui cedere . Nam hac una in re , longe alia ratio est pecuniae ac temporis ; quod pecunia , quae non expenditur , integra remanet ; tempus , quod non arripitur , effugit , nec ullum post se sui vestigium relinquit . Quid opus est verbis ? Dum meum tempus alteri defero , atque ille negat accipere , multi mihi dies inertes abierte . Dum ocium meum negligentius custodio , impetum in illud fecere , somnus , desidia , officia , inanes cogitationes , noxiæ cupiditates , luxus ; sibique totum usurpavere .

V A I U S. Est , quod magnas & ingentes Deo Opt. Max. gratias habeas , cuius beneficio , pulsis errorum tenebris , in aperta veritatis luce versaris , neque facis id quod plerique committunt , qui hac ipsa , qua tu veheris , navi feruntur . Etenim , contrariis fluctibus à Reip. procuratione rejecti , lucem perosi , tenebras diligunt , ac , se Deo suo irato natos , exclamant , semperque fortunam queruntur adversam .

N I C I U S. Nullus mihi , revera , fortunæ accusanda relictus est locus . Nam , si bene calculus ponitur , be-

nigma atque propicia eadēm usus invenior. Primum, non est passa, quidquam mihi deesse, quod sit ad vitæ usum necessarium. Deinde, perfecit, ne, hoc extremo vi-
tæ meæ tempore, cujusquam imperio ac potestati subji-
cerer. Vnde, si recte existimare volumus, fecit me quo-
dammodo Regibus parem. Nam, quid aliud largiri Re-
gibus potest, præter hæc duo, videlicet, ut ne qua ree-
geant, & ne cui pareant? Atque una in re, melius mi-
hi multo quam illis, esse consultum voluit; quod in Re-
gibus multa sibi reservat, in quibus irata desæviat; at in
mea vita, pauca sibi reliqui fecit, quæ feriret irata. Ita-
que, dum mihi illa consultum esse vult, pene illi juri re-
nunciavit, quod in me habere potuisse. Atqui, cum for-
tunam dico, usitato more utor, qui ita loqui consuevit.
Ceteroqui, satis mihi persuasum est, eam esse nomen si-
ne re, atque à Deo immitti, quidquid ad nos adversi vel
secundi deveniat.

V A I U S. Bene, atque ex Catholicæ veritatis senten-
tia, loqueris. Neque injuriā statum tuum ita magnifice
effers. Id enim unicum erat sapientissimi illius votum,
qui nec paupertatem nec divitias sibi contingere postu-
labat, sed tantum, quæ essent ad vitæ usum necessaria,
dari petebat. Sed, quidnam illud, quod semper tuo tibi
arbitraru licuit in studiis litterarum hærere, quanti
astimandum est?

N I C I U S. Iam vero, ad litterarum studia quod at-
tinget, sine quibus, recte qui sentit, vitam esse nullam du-
cit; quam multa, etiam in hac parte, mihi tribuit Dei,
singularis in me, bonitas ac benignitas! Nam (ut etiam
tibi videtur) nec tardum ingenium mihi dedit, & optimorum
magistrorum copiam fecit: ac, sublatis omni-
bus impedimentis, vel invitum ac repugnantem, in stu-
diis litterarum detinuit: adeo, ut uterque nostrum pro-
pe certare videretur, ille, ut mihi prodesset, ego, ut vi-
cissim obessesem.

V A I U S. More hominum feceras, qui, in malum pro-
pensi, in bonum tardi, quod sibi est optimum, aspernan-
tur, quod pessimum, eligunt.

N I C I U S. Sed, quo divina in me beneficia tibi clari-
rius eluceant, si est ad audiendum benignitas, repe-
tam,

tam paulo altius memoriam præteriorum temporum ; ac per omnes ætatis meæ gradus, quanta potest celeritate, percurram. Lubet enim hodie, si non est molestum, me tibi totum aperire ; quo, non nævo aliquo, aut crepundiis, ut dicitur, sed corpore omni, possis cognoscere.

V A I U S. Facis sane injuriam, cum de mea ad te audiendum voluntate dubitas. Cui enim libentius, quam tibi, operam dederim, in quo diligendo, filii mihi constituerim sanctitatem ?

N I C I U S. Primum igitur, admodum puer, quod ingenium non tardissimum celerem culturam admitteret, in ludum missus sum ; ubi, discipulorum natu minimus, in addiscendo arripiendoque ea, quæ à magistris monstrabantur, (absit verbo invidia,) majorum natu industriam exæquare videbar. Quantas parentibus meis voluptates creabat, quantas de me spes commovebat, hoc ingenii non hebetis neque instrenui signum ! De quibus parentibus meis, locus admonere videtur, nisi aliter censeas, ut pauca quædam, quanta possum brevitate, complectar.

V A I U S. Narra, obsecro : nam, ut de te conjecturam facio, eos, arbitror, in omni genere virtutis fuisse præstantes.

N I C I U S. Atqui haud scio, an cuiquam, qui esset ejusdem ætatis atque ordinis, meliores parentes sapientioresque contigerint. Pater meus, vir probus ac prudens, erat Gracis ac Latinis litteris doctus, Philosophia non ignarus, Iuris civilis peritissimus; præterea fide optima, integritate summa, ab omni inhonesto lucro abhorrens; non callidus, non veterator, non alieni appetens; ad hæc, homo certus ac diligens. Quibus virtutibus siebat, ut ille multis principibus viris, quorum negotiis operam dabat, esset apprime carus. Et sane, (quantum me postea usus docuit,) ea fide ac probitate hominum haud vilis est annona.

V A I U S. Præfertim, ut nunc sunt mores. Nam, præter admodum paucos, quem hodie invenias, cuius, in negotiis contrahendis, fidem tuto sequaris? Adeo est hominum vita in dies improbior, fides sublestior, ut inquit Plautus, Sed perge, ut cooperas.

N i c i u s. Matrem vero meam, optimam ac sanctissimam foeminam, utrum formæ dignitate an castitatis decore spectabiliorem fuisse dixerim, nescio. Ita, in summa forma, summa etiam pudicitia inerat. Illa, ut cum maxime, tum post viri sui mortem, eleemosynis vigilisque dedita, ad pietatem proficiebat. Quotidie mane templum, prope ab nostris adibus positum, adibat, ibique in preces fusa, Deum orabat, ut daret pacem propitiis, salutem & sanitatem nostræ familiæ. Ocius, quod semen atque fomentum omnium malorum esse consuevit, ita oderat, ut nemo eam, nisi orantem, aut opus aliquod facientem, aspicerit. Vtinam ex hac indeole ego miserrimus aliquid hausssem. Vnum in ea vitium deprehendebatur; quod nimis misere cupiebat suos sibi liberos honoribus ac divitiis quam maxime florentes aspicere.

V a i u s. Commune est hoc vitium ac pervagatum. Quam enim matrem invenias, quæ filios suos non esse quam ornatissimos cupiat? Atque Agrippina, impurissima Neronis matre, omissa, quæ paratam sibi à filio necem non est deprecata, dummodo aliquando regnante eum aspiceret; fac tibi matris filiorum Zebedæi veniat in mentem: jam minus miraberis, matrem tuam, ea qua narras probitate præditam, in ejusmodi affectus fuisse prolapsam.

N i c i u s. Sed hujus tam immoderatae cupiditatis dedit pœnarum satis. Etenim non modo ejusmodi nullam ex filiis voluptatem accepit, sed contra, dolores multos & graves invenit. Sed, ut ego arbitror, non est passus Deus, eam in tanta probitate maculam hærere, sed multis magnisque animi & corporis acerbitatibus eluendam delendamque curavit.

V a i u s. Maximum est ac prope certissimum divini in nos amoris argumentum, si perpetuis hic doloribus malisque vexemur. Nam, quos ille in filiorum loco diligit, frequenter incommodis ac damnis exagitat. Sed quid tandem adversi in illam Deus immisit?

N i c i u s. Primum, me, in quo præsertim spes suas omnes collocatas habebat, tantum studiorum odium cepit, ut mori viderer, quoties magister ac metus in lumen

dam impellerent. Tum, animus, nūgis puerilibus deditus, quæ à magistris tradebantur, neque omnia percipere, neque percepta continere fideliter poterat, neque, qua concepisset, ad maturitatem frugemque perducere.

V A I U S. Nonne istuc, quidquid est in te eruditionis atque doctrinæ, ex prima illa puerili institutione manavit? Non fuit igitur irritus, in te erudiendo instituendoque, magistrorum tuorum labor & industria.

N I C I U S. Odiosum est, de se ipsum prædicare: sed, quia cum homine mihi amicissimo, non gloriandi sed vita meæ exponendi rationes causa, loquor, dicam audacter id quod est; neque metuam, ne apud eum aliquam gloriösi hominis suspicionem incurram. Ergo, quemadmodum ager fertilis, quamvis à cultura desertus, commissas sibi fruges interdum cum usura reddit; ita etiam ingenium meum, vi sua ferax, nulla fere exercitatione subactum, jacta à magistris bonarum artium semina, aliqua ex parte, comprehendebat, reddebatque cum scenore. Quoties, cum pauplulum me labori dedissem, nonnullorum assiduam diligentiam vici! quoties, cum accurate aliquid scripsissem vel dixissem, jacentem ac prope extinctam parentum meorum de me spem proflus erexi! Sed reliqua persequamur. Iam, una cum pueritia, ab iis studiis excesseram, quibus ea ætas informari ad humanitatem solet; cum in Philosophiae curriculum sum compulsus. At, si ullum fuit tempus, quo magis alienum à studiis animum gesserim, profecto illud fuit. Etenim ea studia, quibus vanissimus quisque, ex adolescentia, flagrat, in me fere omnia aderant; videlicet perpetua exornandi corporis diligentia, assidua excolendæ formæ solicitudo, &c, quo promptior essem ad cantum, nimium ac superstitionis curandæ voculæ studium. Non iis invidebam, qui acrius rerum vim naturamq; perspicerent; sed, quibus elegantior corporis species contigisset. Non eos æmulabar, quos, in studio doctrinæ, discendi aīnor dies noctesque contineret; sed, quos cura cultus sui major solicitaret. Ornatissimum quemque spectabam, laudabam, ac felicem eum esse clamabam. Neque illud curabam scire, utrum recte, an seclusus, natura desuiretur esse principium motus & quies-

s,

tis, an materia, quam primam vocant, sit formæ cujusquam expers; sed magis me illa movebant, ut recte pedi calceus hæreret, ut caligæ aptæ atque habiles essent ad tibias, ut satis pileus & pallium decerent, ut quam maxime multis, formæ bono, placerem. Sed jam tibi stomachum excentio cum his nugis. Quasi vero tua magnopere intersit, agnoscere, utrum ego in adolescentia fuerim gravis an levis, studiis an jocis puerilibus deditus.

V A I U S. Perge obsecro. Nam Augustinum audire videor, peccata prodente sua.

N I C I U S. Inter has ineptias atque stultitias, primus me dolor percussit; mors videlicet patris mei. Quanto fuit mihi detrimento ille tam importunus interitus! quam alienus à rationibus meis ille ejus è vita discessus! Vere possum dicere, omnes familiæ nostræ honores & commoda, una cum eo funere, fuisse elata. O fallices hominum spes, fragilemque fortunam! Cum ille apud principes viros auctoritate & gratia valeret, cum sibi ac liberis suis opes & copias pararet, morte extintus pene subita est, vix diebus septem post eum diem, quo cum febri in lecto decubuit. Mors hæc matri meæ iuctum, nobis orbitatem, rebus nostris prope vastitatem & exitium atrulit: communi rerum omnium fato; quæ, ubi paululum in altum provenerunt, plerunque retro, fere præcipiti lapsu, revolvuntur. Primum, mater, rerum omnium imperita: neque enim erat nonnullarum similis, quas ego novi, quarum prudentiæ quævis posset provincia tuto mandari: imperita, inquam; & quod est deterius, nimium sui juris sententiæque; rem familiarem capessere, bona, quæ fuerant patris mei, indiligerenter tutari, peritiorum consiliis non acquiescere. Tum, frater, anno fere minor quam ego, adolescentis, natura acer ac vehemens, judicioque non admodum firmo, &c., quod est consequens, à consiliis prudentiorum abhorrens, in administratione rei familiaris, lubentissima matre, versari, cuncta miscere atque pervertere; deinde, quodam quasi æstu adolescentiæ abruptus, atque etiam extra rectam viam abstractus, multa nequiter facere, æs alienum grande conflare, pro aliis spondere, quotidie aliquod vel damnum, vel turbam dare. Hæc-
jus

ius vivendi ratio, totos duodeviginti annos, ita matrem meam exercitam habuit, ut nullum eidem tempus vacuum à curis, à laboribus, lacrimisque, reliquerit. Unde factum est, ut, perpetuis solicitudinibus macerata, ac spe illa honorum, quam in filiis collocaverat, decepta, propemodum omne ambitionis studium ex animo ejecerit.

V A I U S. Factum est à Deo, divinæ ipsius justitiæ, & saluti mulieris, convenienter; ut in suo ea vitio plecteretur, atque infinita illa divitiarum honornimque cupiditas, amissione bonorum, & humilitate filiorum, sanctiretur.

N I C I U S. Interea ego animo perturbato atque sollicito, levandæ ægritudinis causa, totum me litteris dedram. Erat mihi, per id tempus, cum duobus præstansissimis viris magnus usus consuetudoque, quorum alter juris civilis scientia, alter poëticæ facultatis studio, longe multumque præferat. Hi fuere mihi auctores, ut jus civile perdiscerem. Non sum cunctatus; sed statim cœpi in eo studio, non negligenter, ut antea, sed magna cum industria, versari, Quotidie, tum mane, tum vesperi, publicum Gymnasium adibam, singulos Iuris doctores studiosissime audiebam; multum ipse commentabar, legebam, scribebam; quibus exercitationibus, multum me erat necesse proficere. Itaque mater lætani, amici gaudere, omnes laudare. Quarum rerum fama compulsus vir quidam amplissimus, qui fuerat patri meo amicus in primis, cumque jam utriusque Iuris interpretandi facultatem obtinuisse, admodum adolescentem, neque ita multis annis ante ex ephebis egredsum, me sibi à cognitionibus fecit. Magnus à clarissimo viro honor mihi habitus, multum ad opes & honores adipiscendos contulisset, si esse diuturnum licuisset. Sed mature fortuna ademit. Nam ille, paucis post diebus, est mortuus.

V A I U S. Ut initia se dabant, iam poteras suspicari, te, non ad strepitum fori, sed in hæc amceniora & eleganteria studia compelli.

N I C I U S. Nihil propius est factum, quam ut animum desponderem, vel ad aliquam aliam disciplinam à

Iure

Jure civili transferrem. Sic enim cogitabam, nunquam mihi posthac similem occasionem sese daturam ingenii declarandi. Sed precibus amicorum vixtus, ægre me in eo studio continuo. Atque ab eo tempore, cœpi ea, quæ didicissem, ad usum conferre, principes advocates & patrones in forum sectari, iis, qui me uti vellent in patrocinis & advocationibus, gratuitam operam dare. Verum, in has humanissimas litteras natura propensus, ab illis severis ac tristibus in dies magis ab alienabar. Et jam nec spes ulla honorum ostendebatur, neque barbaris recentiorum jurisconsultorum vocibus poteram aures assuefacere: multoque libentius, Plautum, Terentium, Ciceronem, Cæsarem, sumebam in manus, quam Accursium, Bartolum, ceterosque ejus notæ scriptores: eorumque lectione mirabiliter me recreari sentiebam, ac paulatim fori odium capere. Non eo tamen inficias, me quinquaginta libros Digestorum cum admiratione legisse, ob eorum, quorum è scriptis illi conficiuntur, gravitate, prudentia, æquitate, rerum scientia, atque orationis splendore: semperque existimavi, nihil in eo genere reperi posse elegantius atque limatus. Sed non poteram ferre, tam lautas tamque delicatas epulas à nostris, sordida & inquinata oratione, tanquam manibus, tractari. Quamobrem factum est, ut, primum de usu atque exercitatione forensi multum remitterem, tum, ut propemodum totam abjicerem, atque intermissa, longo intervallo, humanitatis studia repeterem; unde, si nihil utilitatis haurirem, voluptatis certe non parum exciperem.

V A I U S. Omnino permittendum est, ut ea quisque studia sequatur, in quæ natura propendet. Nihil enim est, quod ægrius aut laboriosius agas, quam quod repugnante facias, ut est in proverbio, invitaque Minerva.

N I C I U S. Iam meo mihi arbitratu licebat vivere; neque quisquam erat amplius, qui voluntati adversaretur meæ. Matri, senio curisque confessæ, ambitio decresserat; qui me ad juris prudentiam impellebat, occiderat; amici, quibuscum una vivebam, vehementer errant his litteris dediti; eruditissimi viri se mihi ultro ad docendum præbebant. Itaque, omissis ceteris studiis, veteribus

teribus tum oratoribus tum poëtis legendis volutandisque me tradidi. Nullum fere diem intermittebam, quin aliquid commentarer vel scriberem; quod statim doctissimis illis viris, qui se mihi dederant, ostendebam, quo ab eis corrigerer. Atque, ne ingenii exercendi occasio decesset, cooptatus sum in Academiam nobilissimam, quæ per id tempus præstantissimis ingenii florebat. Non cessabam, novum semper aliquid & elaboratum in medium afferre; ac pro me sedulo faciebam, ut, quidquid ego recitassem, doctis præsertim viris probaretur.

V A I U S. Hæc est vera vita, illique simillima, quam, in hortis Elysii, felices illæ animæ, ut est in fabulis, vivunt.

N I C I U S. Hic meæ iterum spei, lassæ & quiescenti, novus fatus ostendi visus est; quo si uterer, recta, brevi navigatione, in portum honorum inveherer. Correxeram, &c, quantum in me fuerat, expolieram orationes eas, quas adolescentulus, ac pene puer, in scholis haberam; sed quid inquam, correxeram? immo, paucis immutatis, descripsoram potius, easque, juvenili quadam audacia magis quam maturo judicio. adductus, edideram. Iis perfectis, vir quidam eruditissimus, qui erat Principi nostro à brevibus, patrique meo, dum vixerat, amicissimus, venit ad me ultro, rogans, per amicitiam, quæ sibi cum patre meo intercesserat, ut sanctioribus Principis sui epistolis scribendis operam navarem meam, seque adjuvarem; neque id se tam facere, ajebat, quo laboris illius molestia liberaretur, quam mea causa; fore enim, ut, si ille processisset honoribus longius, sic ut sperabat, se adjutore in illum eundem locum pervenirem, ab hoc aditu januaque patefacta. Non dimisi tempus, neque destiti; dum ventus operam daret, eo quo impellebar, alacris ac promptus, velis remisque contendere.

V A I U S. Expecto, quorsum hic tuus, ad honores, navigationis novus cursus evadat.

N I C I U S. Rem omnem audies. Iam amico meo navabam operam pulcre; sed clam, ne quisquam posset persentiscere, quod scribebatur, ex mea officina prodire: ita enim muneris ejus ratio postulabat. Iam, quid-

quid à me emanabat, ita homini probabatur, ut ne verbum quidem unum commutandum videretur. Cum, ecce tibi, adversus ventus exoritur, miserasque spes meas ad illum eundum scopulum, ad quem saepius offendissent, affixit. Nam vix annus intercesserat ab eo die, quo novæ huic spei velificatus fueram, cum vir ille clarissimus diem obiit supremum. Heu mors, mihi semper acerba, cur tantas tecum inimicitias geris? cur toties, in aliena morte, meas simul spes omnes interimis?

V A I . Mirabar, si tibi quidquam ex sententia cessisset.

N I C I U S . Verum, mortis crudelitas adhuc fere versata est in damnis earum rerum, quas nunquam possedebam, quibusque carere induxeram animum. Quamobrem, si quæ adhuc mihi bona, ejus sævitia, ademta sunt, ea potius intercepta quam erepta existimari debent. At voluit etiam funesta, rebus à me possellis, longeque carissimis, manus afferre. Nam matrem mihi dulcissimam abstulit. Quantos, eheu, mihi luctus, ejus interitus attulit! quantas acerbitates doloresque confavit! Sane omnes, quos ad eam diem exceperam, fuerant, præ illo, leves, quem mihi mors ejus inussit. Quænam mihi poterat ægritudo tanta intervenire, quam non continuo, meo ab anno, ejus aspectus suavitasque deterget! Tum vero quid agerem? Vnde mihi solatum in rebus adversis peterem? Ergo nihil mihi reliquum esse videbam, nisi ut moerore luctuque conficerer.

V A I U S . Ni mis sane molliter ejus ferebas interitum, quæ, decurso spacio, metam attigerat.

N I C I U S . Quid tibi vis? mater erat, diligebam eam unice. Sed nullus est dolor tantus, quem noui longinquitas temporis minuat atque moiliat. Ita vivebam miser, ut mihi in dies semper aliquid adimi de ægritudine illa sentirem. Iamque tota ferme decesserat; com nova spes ceteris luculentior affulsit.

V A I U S . Iam mihi videtur fortuna te, tanquam pilam, habuisse. Nam modo tollebat, modo deprimebat, atque, ex libidine sua, ludos faciebat.

N I C I U S . Sed ea quoque spes, simul ac falsit, statim, sicut ceteræ, extincta est. At ego, tam saepè deceptus, illud assecutus eram, ut, si quæ spes mihi sese dileret

disset, non eam quidem excluderem, ne in hominum reprehensionem incurrerem, sed perinde illi fidem habetem, ut homini frivola fide; ut, si, quod promiserat, fecisset, gauderem, sin aliter, non magnopere commoverer animo. Erat mihi eo tempore cum Iurisconsulto celeberrimo magous usus; qui, plus mihi tribuens, quam quantum in me erat, facultatis, ferebat moleste, removerti à Rep. operam meam: itaque dabat operam, ut ad aliquam ejus partem admitterer. Etenim ille, cui commissa erant Principis arcana omnia, cum per valetudinem, tot laboribus sufficere unus non posset, quarebat aliquem juvenem, honesto loco natum, litteris præditum, fide optima, quem tanto oneri, aliqua ex parte, subjiceret. Perfecit Iurisconsultus, ut cæteris anteponeret; meque ad illum adduxit. Introductus, breviter sum locutus, quid essem. **Quid multa?** Primo congressu, ita totum hominem possedi, ut nil ei videretur longius, quam dum munus suum mecum partiretur. Itaque institit, oppressit, quantum potuit, ut me in ædes Principis transferrem. Sed repeente mutata omnia. Venit, non ita multo post, Iurisconsultus ad me, tristis, eo quod bonus ille vir mutasset sententiam suam, causatus, ut ajebat, nescio quam affinitatem, quæ mihi cum aliquo intercederet, cui, verebatur, ne arcana Principis, si mihi essent commissa, proderentur: sed, re vera, castigatus à non nemine, quod juvenem, nec vacuum ingenio, nec humiliatum loco, sibi socium ascisceret, à quo periculum esset, ne è Principis gratia paulatim everteretur, & cum, tanto studio atque labore, honorum ac laudis auctiūm & venationem faceret, aliis leporem excitaret. A mea igitur spe tam saepe delusus, homo natura quietus, atque à molestiis abhorrens, ac repulsæ in primis impatiens, statui, non amplius fortunam experiri, sed totum me ocio tradere, & mecum, ut dicitur, vivere. **Quod sine ulla cunctatione perfeci.**

V A I U S. **Quid?** illos duodeviginti annos, quos, à te audivi, potentiori amico traditos, cui putas fluxisse? tibine, an illi?

N I C I U S. Nec mihi; nec illi. Obscro, ne me in memoriam mearum miseriarum inducas. Atque equi-

dem nihil tam mihi præter opinionem accidit, quam ut
repente aulicus fierem. Nam pridie, quam me in has
plagas indui, miserat ad me purpuratus ille, quem dicas,
ex intimis suis familiaribus unum, qui suis verbis mihi
nunciaret, ut, si quem nossem, bono genere natum, at-
que litteris his humanissimis præditum, quem studiorum
suorum socium, & consiliorum participem ficeret, in-
dicarem. Respondi, neminem mihi in præsentia occur-
rere, ad id muneris aptum; sed versaturum me cogita-
tione in eos omnes, qui se exercecerent in Academia, eum-
que electurum, qui esse usui posset. Discedit, postridie
revertitur, rogat, ut, quod meo commodo fiat, ad eum
veniam; se enim velle, de tota hac re mecum diligen-
tius agere. Parui, veni; intromissus, hilari vultu exci-
pior; atque, Parce, inquit, labori quærendi; nam inve-
ni, quem volebam. At ego primum, non mediocriter
gavilus sum, quod ea molestia atque periculo, si mi-
nus idoneum tradidisse, liberatus essem. at malus,
paulo post, mihi in amplexum irruens, Gaudeo, in-
quit, vehementer, tibi deliberatum esse, in numero
meorum familiarium venire. atqui, scias, me non
alio nisi in germani fratri loco te habiturum. At ego
primum, hac voce percussus, miratus sum, obstupui,
quid responderem non habui. Verum, ubi me collegi,
quo aliquid responderem, libenter me ipsi daturum ope-
ram dixi, sed sine aliquo illius sumtu; nam posse me e-
jus commodis meo cibo servire. Scio istuc, inquit ille;
sed alii etiam, summo genere nati, in aulis de diariis
istis vivunt. In pauca ut conferam; postridie mane, do-
mum rediens, diaria ad me missa, simulque in aula dia-
ria rodentium albo scriptum invenio. Quid ageres? Fe-
rendum fuit. Neque enim tam me dolebat, alteri vive-
re, quam nulli; neque tam, me mihi eruptum esse, argu-
erat, quam, inertiae desidiæque traditum; neque tam,
meum ocium, alterius voluntati concessum, quam sine
cujusquam fructu emolumentoque addictum, deflebam.
Verum hic dolor compensabatur, tum viri amplissimi
consuetudine jucunda, qua fruebat, tum eorundem cum
illo consiliorum societate, qua perpetuo eidem hærebam.
Quam eum, vellem nunc etiam vivere, quamquam nec
uti-

utilem mihi nec Reip! nam erat vir probus, atque à me, propter ejus suavissimos mores, diligebatur in primis; neque ulla unquam condicione adduci potui, ut eum desererem, cum multæ mihi magnæque proponerentur: neque dies ullus præterit, quin ejusdem, in meis ad Deum precibus, meminerim. nam quainvis, in morte sua, me, qui annos fere viginti, tot meis laboribus, periculis, ac damno rei familiaris, dies noctesque eidem navaverim operam pulcre, parem eis fecerit, qui, nullo suo sumtu, nullo periculo, nullo labore, vix annum integrum, operas ipsi suas locaverant; tamen quidquid est id, quod reliquit, proficit; deque eo magnas & ingentes illi gratias ago atque habeo. Sed quorsum, inquies, hæc tam alte repetita narratio? Nempe, ut intelligas, quam olim misere cupierim, negotiis publicis implicari, quamque miserum duxerim, carere miseria. Nam nunc miseros eos deputo, ad quos labor aliquis publicus redeat, propter ancipites casus, qui non possunt esse sejuncti. Ac simul summam Dei in me misericordiam admireris, qui, præter eos annos, quos illi de quo diximus dedi, reliquos vitæ meæ dies apud me residere permisit, neque eorum aliquem, in usum alterius, abire.

V A I U S. Quandoquidem tantum nunc tibi ocium, quantum cuiquam fas est optare, contingit, gaudeo, Deumque, ut sit perpetuum, oro. Sed, quoniam jam se calor fregit, & inclinat in vesperam dies, surgamus censeo, atque amcenam aliquam Vrbis partem, rheda vecti, adeamus.

N I C I U S. Sic agamus censeo. Eamus.

DIALOGVS DECIMVS QVARTVS.

Illustrissimo ac Reverendissimo
FABIO CHISIO,
 Sedis Apostolice apud Vbios Nuncio,
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
 S. P. D.



*Vm, anno superiore, difficillimo illo
 ancipitique morbo implicitus detine-
 reris, in quo, à calculis, vesica inclusa,
 acerbissimis doloribus excruciaris;
 pro nostra amicitia meoque in te amo-
 re, incredibili molestia afficiebar. Ve-
 rum, cum admirabilem animi tui
 in illis doloribus perferendis, equita-
 tem constantiamque perciperem, sentiebam, in illis molesti-
 mea quasi tenebris quoddam solatii lumen emergere, quod
 eum tandem invenissem, cui Crux, qua onerati, Christum
 sequijubemur, quamque ita omnes horrent, reformidant, fu-
 giunt, non, inquam, suavis (non enim vis tanta contra do-
 lorem sapienti tribuitur, ut illum suavitatis nomine afficiat,)
 sed nec horribilis, nec pertimescenda, immo etiam amplecten-
 da videretur. Itaque hac occasione excitatus, Dialogum de
 Crucis amore, scribere sum aggressus; quo, tuo exemplo, si-
 us veniat, animum ad tolerantiam malorum instruerem
 atque firmarem, iisque rationibus, quas tibi, dum calculi a-
 cerbissimos illos dolores cierent, in mentem venisse non ambi-
 go, mihi persuaderem, non illud esse in cruce mali, quod vul-
 gus opinatur, immo innumeris refertam eam esse uilitati-
 bus, quibus salus nostra eterna contineatur. Mitto nunc il-*
lum

lum ad te, ut, jam gravissimis illis malis, quibus premebaris, periculisque defunctus, quantum tibi in sapientia tua praesertim ad illa alacriter pro Christo subeunda fuerit, iis qua à me offeruntur legendis agnoscas & gaudeas, & ubi me in eis retenendis memoria effugerit, ibi in sapientissimis tuis litteris, ut subvenias, quo, te magistro ac duce, ad horum vel similium incommodorum ictus, fortiter excipiendos perferendasque, pacatior inveniar.

DE AMORE CRVCIS,

Sive

De ferendis hilari animo ærumnis
atque molestiis.

MAGISTER. DISCIPULUS.

MAGISTER.



Vænam causa tam gravis, tam vehe-
mens, hoc diei tempore, te huc impel-
lit? Nonne soles, à prandio, aliquid
temporis otio somnoque concedere?
Quid est, quod valetudinem tuam, cu-
jus in primis studiosus esse deberes, ita
negligas, vel potius nihil facias?

DISCIPULUS. Commisi me quidem lecto, ut
meus mos est, statim à prandio: sed cum omnem mihi
ab oculis somnum culices, suo illo odioso susurro, ac
molestissimis acuminibus, abegissent; ejeci me iratus è
lecto, sumtoque pallio huc properavi, ut aliquid ex te
audirem.

M A G. At ego, majorem aliquam esse causam adven-
tus tui, suspicabar: sed, quoniam ita es studiosus me
audiendi, pone, de quo velis audire; de quo rogatus,
respondebo tibi, ut potero, ut sciam.

DISC. Scis, hodie esse ferias, Christi Crucis sacras at-
que

que solemnes ; cum nimirum patibulum illud, olim de decoris contumeliaeque plenissimum , summis ab Ecclesia honoribus ac laudibus afficitur, & tanquam in altum extollitur. Atque hinc natum opinor , ut nihil frequenter agitari in concionibus soleat , nihil libentius commemorari , quam crucis amorem & studium, (quasi tot honoris gloriae, insignibus fulgeat, sed, re vera, nihil in se crux ipsa contineat , nisi ærumnas , labores , atque molestias,) præterea in perpeſione malorum, vera vita & tranquillitas fructusque constituatur. Mihi certe satis adhuc probari non potest, res acerbas atque difficiles cum summa lætitia ac voluptate conjungi , res damnosissimas perniciosissimasque cum summa utilitate fructuque copulari , res dedecoris ignominiaeque plenissimas cum incredibili honore gloriaque connecti. num, obsercro, cuiquam est suave , cruciari? num utile , fortunis everti? num honestum, contumeliis omnibus affici?

M A G. Tota hominis felicitas posita est in eo , quod tibi miserum & horrendum videtur. Et, qui potuit intelligere , nihil esse homini imagis aprum atque conveniens, quam res arduas, asperas , ac difficiles , hic , mea sententia, summum sapientiae verticem attigit, hic sapientis numerum ac locum obtinuit. Etenim rem assecutus est omnium maximam ac præstantissimam, nimirum sui ipsius cogitationem atque notitiam. quæ profecto tanta res est, ut sapiens vox illa, *Nosce te ipsum*, non ab homine aliquo edita sed à Deo ipso profecta , veterum iudicio existimetur. Homo enim, propter peccata , nulli rei ita natus esse videtur, ut ferundis ærumnis atque miseriis ; adeo ut, qui flagella deprecetur , qui rei familiaris damnum extimescat , qui cruncem exhorreat , &c, ex contrario , voluptates appetat , utilitates & commoda quærat, honores amplectatur ac teneat , à sui ipsius cognitione deflectat. Christus ipse, cum de hominis beatitudine loqueretur , non retulit in beatorum numerum eos , qui divitiis abundant , qui deliciis explentur , qui honoribus affluunt ; sed eos esse beatos dixit, qui in opere laborant , qui contumeliis afficiuntur , qui mœrore luctuque tabescunt. Beati, inquit, pauperes ; beati , qui persecutionem patiuntur ; beati , qui lugent.

D I S C.

D I S C I P L. Si scelera hominum atque peccata, ut tu antea dixisti, atque ipse fateri compellor, à luctibus ac miseriis non possunt esse sejuncta; quid causæ dicam esse, cur virtutem, probitatem, innocentiam, omnibus sæpe malis afflictam atque prostratam aspiciam? possum enim, ex omnium seculorum memoria, plures nominare, si velim, omnium virtutum laude cumulatissimos, qui ne digitum quidem à divinæ legis præscripto recesserant, attamen cum improborum hominum calamitate atque malitia semper adeo conflictati sunt, ut ad extremum usque spiritum, vitam in summis calamitatibus miseriis que traduxerint. Sed quid hominibus innocentissimis erat opus flagellis? quid commeriti erant? quænam in eis scelerum maculæ tot pœnis suppliciisq; eluebantur?

M A G. Si omnes, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt, homines, de animi integritate & innocentia, in disquisitionem Dei vocentur, nemo, præter B. Virginem, adeo mundus à sorde invenietur, ut divinæ severitati sese jure possit eripere.

D I S C I P U L. Rem prope incredibilem narras. ego enim, partim ipse percepī, partim ab aliis audī, semper suisse, atque etiam esse, non paucos, qui, divinæ gratiæ præsidio muniti, integrum ac purum ab omni labore animum servent. Qua igitur ratione pœna illuc irrumpit, nude exulat fraus & culpa?

M A G. Si, quoties Deus ærumnas & calamitates immittit, solum propria cuiusque peccata ulcisceretur; esset, quod Dei justitia in admirationem nos raperet, cum homines, cereroqui innocentissimos, maximis gravissimisque vitæ incommodis conflictari cerneremus. Sed non est ita. nam interdum, sola naturæ communis culpa ad supplicium pœnamque vocatur. Etenim peccatum Adæ, quod solum ærumnas ac miseras, quibus premimur, in genus humanum invexit, quemadmodum in omnes æque diffunditur, ita etiam omnes eodem calamitatis jure complectitur. Hinc fit, ut multos non suo sed naturæ vitio laborantes aspicias. Neque id illis perpetram accedit, sed magna cum utilitate contingit, nam & superioribus meritis aliquis semper cumulus accedit, & frequenti perpessione malorum, mortalium animi,

adversus humani generis hostes, acrius vehementiusque firmantur. Omnino magna vis est in rebus adversis, quae non ægros modo relevant, sed sanos etiam recteque valentes sustinent, atque à peccatorum morbo defendunt. Sed, ut eo, unde paululum digressi sumus, revertamur, scribit Augustinus, statim ab initio ortus sui, hominem divinæ severitati constrictum teneri, ob eam solum causam, quod ab Adam originem duxerit. In quam sententiam, docet Anselmus, Sodomitarum infantes ac pueros una cum parentibus ad unum eundemque calamitatis scopulum offendisse, eo quod veterem Adamum naturæ cognatione contingenterent. Quæcum ita sint, mirum nobis videri non debeat, si, remotissimi à scelere, in summis saepe calamitatibus hæreant, cum isti non solum sed naturæ vitio premantur, nec quidem sine præmio, tum perseverantiae in hac vita, tum gloriæ amplioris in cœlo. Quod autem ad eos attinet, qui, præter natura culpam, suis etiam criminibus laborant atque peccatis, quidnam aliud dicendum est, nisi longe eos magis, quam cibo potuque, egere flagellis ac lacrimis, eoque majoribus ac frequentioribus, quo etiam majora ac graviora sunt vulnera, quibus ea curandis accedunt? Id ipsum, multo quam nos elegantius, Gregorius expressit his verbis: *Iustum est, ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quanto majora intulit damna per culpam.*

D I S C I P U L U S. Haec tua responsio ad novos me dubitationum scopulos adigit. Nam, si calamitates & flagella præsertim debentur improbis, quid est, quod videre licet quotidie tam multos, omnibus insignies notis turpitudinis, qui nullis calamitatum ictibus feriuntur, immo semper prospero & æquabili vita cursu, ad sursum cupiditatum vota perveniunt? Quodnam igitur curationis genus periculosisimis istorum morbis opitulatur?

M A G I S T R U S. Quos, magna peccatorum mole oppressos, nulla adversa res sublevat, vel minus etiam adjuvat, quam vis morbi desiderat, hos in perditis ac desperatis habendos esse Augustinus tradit, his verbis: *Aliquando peccatores, in hac vita, aut non, aut minus flagellantur, quia jam desperata est intentio eorum.* Hinc est, quod sancti viri, quos anteacta vita maxime pœnitiebat, magno

stone incredibili, ex rebus prosperis & ad voluntatem euntibus, horrore metuque concuterentur. Sed, quid, inquam, ex rebus prosperis? cælestes etiam voluptates, cubus interdum perfundebantur, illis esse in metu solebant. Nimirum verebantur, ne, velut ægri planeque depositi, à cælesti medico negligerentur; quod res in precipiti, ac deum in propinquuo mors, esset. Omnino sic se res habet, ut non aliter injuriæ, divinæ majestati illatae, quam susceptarum pœnarum compensatione, tollantur.

D I S C I P. Quid est compensatio?

M A G I S T. Si vis verbi quæratur, est debiti & crediti inter se contributio. Sed aptius ad id quod loquimur, est, cum opere satisfacentis, injuriæ facta collatio; cum scilicet is, qui aliquem læsit, tantundem ei persolvit, quantum injuria detraxit.

D I S C I P. Quid est, obsecro, quod quisquam possit Deo detrahere, cuius infinita vis & potestas nullis est circumscripta terminis, nullis injuriis obnoxia? Vel, si Denum aliquo affici damno posse defendis, cupio demonstrari mihi, ubinam ejusmodi satisfactio inter homines lateat, quæ damno, divinæ infinitæque personæ imposito, ex æquo respondeat.

M A G I S T. Quamvis nullum possit, ab homine, Deo immortali infinitoque damnum inferri, attamen summa data est opera ab eo, ut aliquid Deo mali conficeretur. Verum, hunc tam impium nefariumque conatum non est fas eum impune lucrari, sed æquum est, ut ejus quasi premium æstimationemque persolvat; non quidem ad exactam perfectamque justitiae rationem; hoc enim modo nemo, nisi Christus in Cruce, satisfecit, quia simul erat Deus & homo; sed pro eo quod ferre vires hominis possint. Atqui illud in primis in hac compensatione requiritur, ut opera, quæ suscipiuntur, non solum pia sint ac religiosa, verū aliquid etiam acerbitas in se contineant. Etenim, cum compensatio injuriæ, ut diximus, satisfaciens non nihil adimat, quod læso largiatur, si bona hæc opera ab omni prorsus acerbitate atque molestia vacent, adeo pœnitenti nihil adimat, ut etiam plurimum addant. ea enim vis est recte factorum, ut hominem

nem augeant atque perficiant. Quamobrem necessarium est, ut talia sint opera, quæ ex natura sua aliquam vel molestiam vel dolorem inurant.

D I S C I P L I N U S . Commode , vel potius vere , hæc à te dicta , esse arbitror de pœnis , ultro à nobis , satisfaciendi gratia , susceptis . Sed quid de iis , quas ab altero , nimisrum à Deo , injurias suas ulciscente , illatas , inviti perferimus ? numne , eas quoque compensationis habere vim , placet ? At id quam vere dicatur , ad eos rejicio , qui melius haec norunt quam ego . Verum , nondum satis possum intelligere , quomodo supplicium , ab altero de nobis sumptum , compensationis , ultro eidem à nobis traditæ , numerum ac locum obtineat .

M A G I S T R U S . Docte prudenterque dubitasti . Nam si , non populari quadam trutina , sed exacta artificis statu , res tota examinetur , non est dubium , quin id propriæ satisfactionis vim habeat , quod ab eo , qui peccavit , sponte persolvitur , illud autem , quod à Deo , suas injurias persequente , nobis infligitur , magis vindictæ quam satisfactionis rationem obtineat . Sed inventa est via , qua divinæ animadversiones , in satisfactionis vim transfeant , adeo ut ita iis in compensando uti possimus , ac si nostræ , non Dei , animadversiones essent . Quamobrem , qui potest perficere , ut calamitates & ærumnæ , quibus premitur , magis à se susceptæ , quam à Deo immisæ videantur , hic pulchram satisfaciendi materiam se esse noctum intelligat .

D I S C I P L I N U S . Istuc ego aveo scire , ecquando ea , quæ incogitantibus atq ; adeo repugnantibus nobis ut plurimum accident , advocasse nos ultroq ; suscepisse dicantur .

M A G I S T R U S . Cum videlicet , ad eluendas peccatorum nostrorum maculas , acri præsentiq ; eas animo sustinuerimus . at , si recusantes , contraque nitentes , totis à nobis viribus repellere rejicere que conemur , in ratione divinæ ultiōis remanebunt , nec satisfactionis vim & facultatem accipient .

D I S C I P L I N U S . Vtrum esse putas laboriosius ? eane mala preferre , quæ nobis ipsi irrogavimus ? an ea , quæ alii intulerunt ?

M A G I S T R U S . Longe sunt difficiliora perpetuū , atque acri-

actius animum fodiunt, quæ alii dederunt, quam quæ nobis ultro arcessivimus. nam ista, neque vehementius accidunt, neque altius inhærent, neque diutius immorantur, quam voluntas nostra ferat; illis autem, tum in lacescendo, tum in feriendo, tum in hærendo, aliorum libido moderatur atque imperat. Quid est, quod, si ipse innumera in me maledicta congeram, ne tantulum quidem commovear, si vero ab altero, uno tantum verbo, acerbius appeller, continuo clamores tollam, iram in promtu habeam, inimicitias sumam, par pari referre contendam, nisi quia illa, ex animi mei sententia, hoc autem ex alterius libidine, patior? Omnino ægrius difficultusque ea tolerantur mala, quæ nobis alii conficiunt, quam quæ nobis ipsi peperimus. Sed danda est opera, ut ea etiam perinde nobis accident, ac si à nobis proficerentur. Quod facile aslequemur; primum, si meminerimus, hac præsertim nota dignosci Dei filios à ceteris, quod illi rebus semper adversis agitentur, qui vero hereditatis jure nihil ad eum pertineant, voluptatibus deliciisque circumfluant. Quid verbis opus est? Quos Deus in filiorum numero habet, patrium adversus eos animum gerit. nam, si quid forte delinquunt, inultum eos auferre non sinit, sed arguit, corripit, castigat. Aspere ab eo duriterque tractaris? Magnam æternæ hereditatis adipiscendæ spem animo concipe. Fili, inquit Sapiens, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris, cum ab illo mereparis. quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit.

D I S C I P U L U S. Sed cur liberi tam severa à parentibus disciplina continentur?

M A G. Quia ipsum morte, sua omnia ad eos redunt bona. At naturalis omnium parentum cupiditas est, ut filii & heredes quam optimi sibi contingent. Non vis, ait Augustinus, flagellum? non tibi datur hereditas. Omnis enim filius necesse est ut flagellis subjiciatur; adeo ut Deus ne proprio quidem filio pepercit, sed pro omnibus, quorum in se culpas receperat, illum tradiderit. Atque hinc perspicue, stultus illorum error deprehenditur, qui, affecti calamitatibus ærumnisque, Deum accusant, quod implacabiles secum iras & inimicitias exerceat, nam, si nos,

nos, inquiunt, ille in filiorum loco diligeret, non tot laboribus premeret, non tot flagellis perureret, sed disciplina mitiori complectetur, immo potius in deliciis ac voluptatibus contineret. Nonne vident stulti, quod, si Deus ipsos sineret lascivire, ac voluptatibus fluere, hoc ipsum ponendum esset pro arguento, quod omnem de eis ejecisset animum patris? Nam, ut Chrysostomus ait, *si flagellat omnem filium quem recipit, ille, qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum.* Ad hanc, quo hactenus, in sacris litteris ac sanctorum Patrum monumentis inveniri indicavimus, natura vel Deo potius duce, penetravit Seneca, Philosophorum disertissimus; qui in eo libello, quem inscripsit, *Quare bonis viris mala fiant, cum sit providentia;* hoc, ait, differre bonos ab improbis, quod eos Deus in filiorum loco diligit, hos servorum numero habeat. & quemadmodum severus parens ac diligens, aliter servos, aliter liberos educat, (nam filios parce ac duriter habet, ab ocio, à vitiis, à voluptatibus avocat, servos vero lascivire, animo obsequi, vitiis ac peccatis obrui facile patitur,) itidem Deus bonum virum in deliciis non habet, sed experitur, indurat, sibi præparat, malos vero prosperis successibus inflari, opibus ac divitiis affluere, cupiditatibus obtemperare permittit. Præterea D. Paulus, Deum inter ac parentes qui nos genuere, hoc statuit esse discrimen, quod ceteri parentes, cum liberos suos laborare, sudare, ac per arduum ad virtutem niti compellunt, non tam filiorum, quam suam rem agunt: multum enim honoris ac utilitatis ab illis expectant. At Deus, bonos exercendo, vexando, nihil sua causa facit, sed omnia ad utilitatem eorum refert, quos probat, quos diligit. Illi, inquit, *in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos;* hic autem ad id, quod utile est, *in recipiendo sanctificationem ejus.* Summa denique eorum, quæ diximus, huc redit, ut ille res adversas, à Deo immisas, ultro provocasse atque in se derivasse videatur, qui, spe divinæ adoptionis erectus, forti eas animo excepit pertuleritque.

D I S C I P L I N A. Placet mihi vehementer hæc ratio satisfaciendi justitiae divinæ, ex iis malis, quæ, velimus no-

limos, ferenda sunt. Sed antea, in his recensendis, distributione videbaris usus, ac velle alia etiam enumerare, quæ id ipsum possent efficere. Quæso te, si quid habes, ne graveris in medium afferre.

M A G I S T E R. Recte ais; ḡram tibi morem. Illud etiam facit, ut divinis in nos animadversionibus Deo satisfaciamus, si nimirum eas peccatis nostris, quorum sunt remedia, referamus acceptas. Et sane non alio erga eas animo affecti deberemus esse, atque ægrotantes erga illa, quibus se posse sanari confidunt. Sed accidit, ut remediis, quibus curari possumus, irascamur, peccatis, quibus mortem incurrimus, ne vultum quidem commotum ostendamus. Nonne fere omnes, oppressi calamitate aliqua vel damno, tradunt se lacrimis atque tristitia, peccata vero, quæ eam vim mali concitarunt, quæque in primis odiisse deberent, adhuc amant ac diligunt? Quod perinde est, ut si æger medicamenta, quibus sanari potest, horrescat, morbo autem, cuius magnitudine periclitatur, delebetur ac gaudeat. *Flagella*, inquit Aristoteles, *sunt peccatorum medicinae*. At, quemadmodum æger, quo recuperare amissam valetudinem queat, nullum curationis genus à se repellit, quantumvis asperum ac difficile, ut etiam ultro venas sibi secandas præbeat, ignem ferrumque admoveri permittat, dolorem contemnet, quem ignis vel ferrum inurit; ita etiam peccator, ut à peccatorum morbo convalescat, nullam debet calamitatem deprecari, nullum animadversionis divinæ genns à se rejicere, nullum dolorem, quantumvis gravem, effugere, sed totus esse intentus in eo, ut à peccatis, quorum vitio laborat, animum liberet; Davidis exemplo, quem, pluribus & gravissimis cladibus afflum, sola peccati, quod sanandum erat, cura cogitatione torquebat. *Quoniam*, inquit, *annunciabo, & cogitabo pro peccato meo*; vel, ut D. Augustinus legit, *curam geram pro peccato meo*. Cum flagella inferuntur, cum calamitates ingruunt, tum peccator sua debet peccata agnoscere, confiteri, & pro illis curam gerere, hoc est, ut ideminet Augustinus interpretatur, dare operam, ut sanentur. Quod autem David re ipsa præstiterit, quod verbis profitebatur, ut nimirum, æruminis æquo ani-

me

mo preferendis, peccatorum suorum vulnera sananda curaret, tum ostendit in primis, cum, commotam ab Absolone filio contra ipsum tempestatem effugiens, à Se-me, maledictis ac lapidibus impeteretur. Etenim neminem voluit, tantam sibi ab homine nequissimo illatam contumeliam persequi, cum multi se ejus ulciscendæ vindices ac ministros exhibuissent; sed cunctos prohibens, Sinite, inquit, eum, ut maledicat, juxta praeceptum Domini; si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna.

D I S C I P U L U S. Perge porro, nam gratissima mihi ad aures tua accedit oratio. sentio enim mihi, ab hoc sermone cohortationistuæ, mirabiliter conciliari amorem crucis, jam pene ut nolim, ne unum quidem diem, ab ea sejunctus vivere. Siquidem eorum, quæ moras, Chrysostomos, Gregorios, Augustinos, auctores non modo producis, verum etiam Paulum, Davidem, ac Salomonem, magistros enumeras.

M A G. Verum, cum alacri res adversas animo toleramus, tanquam peccatorum medicinam; illa etiam bona consequimur. primum, calamitates ærumnasq; quas ferimus, leviores efficimus: nam perfecta caritas, ut Joannes inquit, foras mittit timorem. quod mirum videri non debeat, cum non parum saepe accidat, ut studio recuperandæ valetudinis, ægri, quæ sunt perpessu gravissima, ne sentiant quidem. Sed, quod rem continet, hæc in laboribus ærumnisq; sine magno doloris sensu preferendis alacritas, auctore D. Thoma, non modo vim satisfaciendi non minuit, verum etiam auget ac perficit. deinde, quod mirabilius est, calamitates omnes, ad sanandos animorum morbos exceptæ, non solum fiunt nobis leves, ut diximus, sed suaves quoque atque jucundæ. Cum æger, remedii causa, sentit, sibi radi ossa & legi, vel sanguinem mitti, vel membra amputari, quamvis primo, dolore cruciatuq; afficiatur, attamen non multo post totus re-createtur atque reficitur. Ita etiam peccator, dum flagella incidunt, premunt, urgent, à dolore tristitiaq; invaditur, sed continuo sentit, dolori levamen, incestitiæ voluptatem hilaritatemque succedere. Nec mirum, cum vel inexplibilis avaritiæ sitis abscesserit, vel inflantis superbiz

tumor refederit, vel ardens tibidinis æstus refrixerit; quorum singula crudeliter animum vexabant, distrahebantq;. Præterea, quælibet calamitas cum patienter toleratur, continuo impletur animus voluptate atque lætitia, ac fit experienti tolerantiq; suavis, ideo quia ea convertitur in crucem Christi. ad quam crucem, tanquam ad portum & requiem malorum, nos Christus invitat, cum dicit, *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabu vestris.* At requies, ex Aristotele, non potest esse à voluptate suavitateq; sejuncta; cum ea sit inventa, ad oblectamentum doloris, ex labore suscepit. Cum igitur Christi crux, ab eodem, ad relaxamentum laboris proponatur, consequens est, ut non solum labore careat, verum etiam suavitate redundet. Posset etiam subjici alia ratio, qua mala, Deo permittente, nobis ab hominibus nequam illata, nihilo magis nos perturbent ac moveant, ac si ea ultimo ipsi advocassemus. Sed te arbitror esse defessum audiendo, vel satis multa esse putare ea quæ diximus.

D i s c. Prome, quæso, omnia quæ habes; tibi enim jam libens operam præbeo, neque ullam orationem superflua existimo, quæ amorem crucis, rem adeo invias, persuadere, atq; animis hominum conetur inserere.

M a g. Audi igitur. Ea etiam perficiemus, ut, quod à Deo incommodi atq; acerbi immittitur, volentibus nobis incidiſſe videatur; si verba illa B. Job meininerimus, quibus nos laboribus ærumnisque non gratuitam inquit sed mercenariam operam dare, adeo ut post hanc vitam, ad laborum ærumnarumque, quas pertulerimus, mensuram, relaturi simus mercedem ac præmium, & sicut mercenarii dies hominis. Quem locum commentariis suis Gregorius magnus illustrans, Quemadmodum, ait, merces, pro laboris ratione, mercenario persolvitur; ita etiam nobis, pro malorum, quæ patienter ferimus, modo, aeterna in celo præmia tribuentur; & quemadmodum mercenario, cui labor vita est, nihil molestius ocio, adeo ut saepe queratur, nimis rapide ac velociter tempus effluere; ad eundem modum, sanctis viris molestum est, aliquod sibi temporis spacium, quantumvis exiguum, laboris vacuum dari, ut etiam, cum nullus durior casus, cum quo colludentur, incidit, querantur, ingemiscant, doleant, quia

tantum sibi eripi putant ex præmio , quantum ex labore detrahitur: ex contrario , exultant gaudio , in rebus adversis : quamobrem ? quia , quam mercedem relaturi non, quid passuri sint, cogitant. Iam verba Gregorii audiamus. *Vir sanctus adversis gaudet, passione reficitur, maiore refovetur, & propter æternæ vitæ præmia, ut est in Psalmis, millies in dies, aut cupiditati sue multa negando , am aspera & acerba multa ferendo , morti se tradit. Propter te, inquit David , morificamur tota die. & Paulus Apostolus, Ob hanc inquit , causam hec patior, sed non confundor; scio, cui credidi.* Deinde, si mercenarius, laborem suscepturnus, molestias, quas habet labor, in consilium adhibeat, nunquam inducat animum, illas accipere: si vero ad mercedem aspiciat, quæ labori persolvitur , omnes eidem molestias videbuntur leves, ac maximæ peccæ loco cessatio ociumque continget. Ita etiam electi, si ad mala, quæ patiuntur, animum referant, ut ea illis aspera, ut difficila , ut dura, videbuntur! at, si de præmio cogitent, ne unum quidem diem vivere sine illis velint. D. Paulus, cum sibi veniebat in mentem eorum, quæ patiebatur, nihil se ipso miseriis existimabat ; cuius sunt illæ querimoniae, in carcerebus abundantius, in plagiis supra modum , in mortibus frequenter; atque illa innumerabilium pene malorum series, quam deinceps enumerat ; quibus ait se supra modum gravatum , supra virtutem; ita ut tæderet ipsum etiam vivere. sed , vix æternæ vitæ præmia , quibus ea mala compensanda erant , sibi in animum revocabat, cum hilaris & exultans in eam vocem erumpebat, Non sunt dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ relabitur in nobis.

D i s c. Si , rebus asperis & adversis fortiter excipitendis tolerandisque , si, uno verbo , Christi cruce hilari animo amplectenda, æternæ felicitatis præmia complicantur; quis hoc precio, tam vili abjectoque, rem omnium carissimam preciosissimamq; mercari non properet? quis , æternorum bonorum desiderio , cestantibus etiam calamitatibus non ultiro se offerat? Evidem , me plurimum tibi debere confiteor, quod me adduxeris cum illis in gratiam, à quibus antea, ne eam inficias, capitali pene odio dissidebam. Vale.

DIA

DIALOGVS DECIMVS QVINTVS.

Eminentissimo ac Reverendissimo
VIRGILIO CARD. VRSINO
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Vm annos abhinc duodecim, admodum adolescens, omnibus ingenuis artibus operam dares, quibus illa etas informari ad humanitatem solet, placuit tibi, patrique tuo, viro principi nobilissimoque, honoris videlicet gratia, me tibi, studiorum tuorum ducent, vel comitem potius, adjungere.

id quod ego in summi ac singularis beneficiis loco ac numero duxi. Cum igitur, hac de causa, sepe numero domum tuam ventitarem, neque alius nobis sermo esset, nisi de literis; die quodam incidit mentio de Horatio, qui, non alia de causa, impias sorori sue manus attulit, nisi quia interemtum ab ipso sponsum lugebat; atque ex nobis alter cedis illites atrocitatem execrabantur, alter excusabat: sed tandem in id convenimus, ut, illud duriter, immisericorditer, atque adeo impie actum, affereremus; neque recte iudicatum esse, eadem illam è re publica factam videri. Sed cum iam totus in eo esses, ut optime, Latine scribendi loquendique rationem, assequereris, sui tibi auctor, ut eam disputationem, quasi inter duos habitam, Latinis literis mandas; meamque tibi, eam ad rem, operam sum pollicitus; quam etiam ex fide præstiti. Nunc autem, cum aliquot mei Dialogi sint imprimendi, placuit mihi, hunc etiam illis inserere, quoque inscriptum nomini emittere; primum, ut mea tibi servitutis memoriam commoverem; tum, ut, tua singularia

in me ornando tuendoque, beneficia mihi nunquam ex animo effluxisse, ostenderem, sed perpetuo in eo defixa habere, neque fore, ut inde ea vel aliquod locorum intervallum, vel diuturnitas temporis, evellat atque abstrahat. Id si tibi erit persuasum, maximo beneficio me à te affectum esse existimabo.

D E H O R A T I I

in sororem saevitia feritateque.



Vm descenderem nudius quintus ex Capitolio, in eum locum, ubi forum Romanum fuisse traditur, Belgam ibi quendam invenio, mihi notum, & antiquitaris Romanæ studiosum. cui ego, post salutationes, **Quid agis?** inquam. Ille, Cogitabam, ait, ubinam petra illa angularis inhaeserit, in qua collocata fuisse legimus spolia tergeminorum Albanorum, Pila Horatia dicta. Tum ego, Rem, inquam, difficilem queritas. nam, si vix constat, ubi forum ipsum fuerit, quomodo rei tam renuis notitia effugere oblivionem hominum potuit? Sed cur tanta te libido incessit, hujus rei percipienda? Quia, inquit, Horatii victoris factum, sororem, in victoria sua ac publico gaudio lugentem sponsum, obtruncantis, admiror. Quid, inquam audio? probasne illud facinus, quod Patribus Plebique visum est atrox? Quidni, ait, laudem, quod pater virginis, jure factum, pronunciat? ecquis non jure cæsam eam dixerit, quæ sola in publico gaudio mcereret, quæ crines in genitu solveret, quæ, ejus audita morte, qui totas in id vires effuderat, nt fratrem morti daret, ut Romam in servitutem adduceret? At, plurium criminum reæ, levis una mors fuit. duplicitis enim parricidii consciuum animum suum, Populi Rom. oculis, lugens aperuit; nimirum in fratrem, & quod est gravius, in patriam. nam, quem luget extintum, eundem tum vivum tum certaminis superiorem optasse, demonstrat. sed neutrum fieri poterat, nisi frater occideret, & Roma serviret, ergo, & pro fratribus mor- te,

te, & pro servitute patriæ, vota fecisse videtur. jure igitur fratre, ab ea poenas repetens, Sic eat, inquit, qui cunque Romanum lugebit hostem. At ego, Diserte tu quidem pro Horatio causam dicis, sed levi prorsus argumento. nego, virginī illi mortem fratri, & servitutem patriæ, cordi fuisse. atque inficiandi causam dat mihi illa ejus alacritas, qua fratri obvia ante portam Capenam fuit. quod si, viso in humeris fraternali sponsi paludamento, deflevit, mota est naturali quodam affectu, quo, ipso incolumi, patriæ libertate fratribusque victoria frui voluisset. Horatii vero rabies plusquam ferina, ex sororis comploratione commota, quid aliud nisi implacabilem in eo iracundiam ostendit? in qua, quid rectum, quid consideratum, quid cum virtute conjunctum, effici potest? Ain tu? inquit ille; iram à virtute sejungis? quis Philosophus, nisi sit Stoicus, inimicitias inter eas ponit? Quamquam ille, in sorore punienda, non tam vindetur voluisse iræ morem gerere, quam pessimum exemplum de Rep. tollere. Primum, non omnem, inquam, iram ejicio, sed quæ modum excedat; qualis, ut mox dicam, fuit in Horatio. tum, suminam, in ea ultione, superbiam arrogantiamque, tanquam manu, tenere me ajo. etenim animadversionis illius auctor quis illi fuit? rogas me? Ecquem erat æquius, respondit, patriam ulcisci, quam, qui servaverat? At, quæ lex, ajo, ultionem injuriæ publicæ privato committit? erat Romæ lex, erant magistratus, ad quos ea res pertinebat; si patriæ amor urgeret, faceret, ut apud Magistratus nomen sororis esset, diem illi capitîs diceret, impositam gloriofissimæ civitati, ut ipse interpretabatur, injuriam, jure ac legibus persequeretur. sed non erat, quod, patriæ caritatis excusatione, summae crudelitatis invidiam deprecaretur, nam celeritas magnitudoque vindictæ declarat, dolori eum suo magis, quam alienæ injuriæ, consuluisse. etenim, ut vir sapientissimus ait, difficilis est moderari, ubi dolori debetur ultio, quam ubi exemplo. Sed quid, ait, tantum illi dolorem inusit? Contemtus, inquam; cuius aculeum viri fortes, & magno animo affecti, ferre non possunt. putavit enim, in illis sororis lacrimis se fuisse despectum, atque hosti postpositum: itaque exar-

sit stomacho & iracundia vehementius; neque illi adfuit
 mansuetudinis virtus, quæ nimios illos motus revoca-
 ret, atque intra rationis cancellos coimpelleret. sed quid
 cum eo perinde agimus, quasi, justam irascendi causam
 nactus, se totum iræ permiserit, nec mediocritatem fer-
 vaverit? gratis, gratis inquam, ferinam rabiem induit, &
 abjecto homine, in silvestre animal transiit. quid demum
 illi miseræ, nisi summum egregiæ pudicitiæ specimen,
 gladium in pectus infixit? lugebat eum, cui se frater pa-
 terque desponderant, qui connubii lege ita sibi in animo
 defigendus esset, ut inde etiam omnem patriæ, patris,
 fratrisque memoriam evelleret. si conjuges nonnullæ
 laudantur, quod spiritum viri redemerint suo, vel quod
 sese supra ardentis viri rogum immiserint; cur isti capi-
 tale fuit, viri sibi per fratrem erepti desiderio, semel il-
 lacrimasse? si immodicus illarum amor, deniq; in odium
 sui desinens, benevolentia & admiratione excipitur,
 cur moderata istius pietas, quæ tantum intra lacrimas
 constitit, ferro atque odiis expetitur? Sed viri, viri in-
 quam ipsi, hostium à se vel ab aliis interfectorum mis-
 ricordia, voces & lacrimas non tenuerunt; idque illis
 non modo fraudi tributum non est, sed etiam datum est
 laudi. nonne Æneæ pietas laudatur in primis, quod Lau-
 si, à se interfecti, morte ingemuit, miserans graviter?
 nonne Achivum lacrimæ tolluntur in ccelum, qui, quam-
 quam ab ea parte essent, quam Hector multis cladiibus af-
 fecerat, Astyanacten, ejus filium, ab Vlysse de muro
 præcipitatum, tam pie luxerunt? quod si mitissimus hic
 affectus, virorum animis, hostium suorum exitum lu-
 gentium, laudabiliter se immiscuit, cur puella non im-
 petravit à fratre, ut sponsum suum, illius interfectum
 manu, sine fraude lugeret? At Horatius, si viveret, ait
 ille, tibi diceret. Non est soror ea dicenda, quæ fratris
 incolumitate gloriaque consternitur, & in hostem, ex
 sorore, descendit. At ego, inquam, id illi contra refer-
 rem. Si tibi non videtur digna appellatione sororis, quæ
 sponsum suum per te queratur extinctum, tu nomen fra-
 tris mereberis, qui, qua fævitia hostes feris, sororem ob-
 erucas? immo, tum jure in eam animadversum esse di-
 ceras, si nihil commota fuisset, poterat enim frater di-
 cete;

cere; Quid doleat, si, sponsum, hoc est, carissimam sui partem ereptam esse, non doleat? quam sit in me atrox oportet, quæ tam sœvum, suum in sponsum, animū gerat! At possum, inquit ille, concedere, humanum fuisse illum affectum, atq; etiam laudabilem; attamen, non eum continuo à pœna supplicioq; exemerim. an nescis, condicione temporum incidere etiam quædam, quæ possunt laudata puniri? quanta cum laude T. Manlius Torquatus, à Gemino Metio pene in pugnam abstractus, ejus certaminis vicit evasit? sed, quia contra imperium patris decertaverat, intempestivæ virtutis pœnas morte per-solvit. similiter Horatius amore illum sororis in vi-
rum, quamvis laudabilem & egregium, sed immatu-
rum, ferro coercuit. Graviter uterque, respondeo, ve-
hementerque peccavit; sed alius alio genere culpæ delinquit: Torquatus crudelitatis arguitur, quod, à clemen-
tia deficiens, delictum filii, gravissimo mortis suppicio persequitur; Horatius iracundiaæ damnatur, cui iracun-
diaæ, mansuetudine relicta, totum se, in ulciscenda soro-
re, permittit. Sed cur, ait, illum clementiæ, hunc man-
suetudinis desertorem appellas? distant hæc duo inter se?
Multum, inquam: nam Clementia, in Regum soliis, ac
magistratuum tribunalibus, semper, aspicitur: mansue-
tudo vero fere semper in plano perambulat; quamvis
interdum solia etiam ac tribunalia condescendat, ac Regi-
bus & magistratibus sese permisceat. Mansuetudo, nun-
ciata Saulis & Absalonis morte, lacrimas Davidi mul-
tas excusfir; qui, quamvis esset omnium virtutum prin-
ceps, hac tamen una se efferebat, cum diceret, *Memento
Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Mansuetu-
do etiam Cæarem, viso Pompeji, generi sui, capite, ad
fletum adduxit: & quamvis eas nonnulli lacrimas cavil-
lentur ut fictas, ego tamen veras fruiſſe arbitror, atque
illi das, ob filiam. His dictis, homo modestus, ac mi-
nime pertinax, facile acquievit. Tum, ad alias Vrbis rui-
nas contemplandas, oculos animumque convertimus.

DIALOGVS
DECIMVS SEXTVS.
BARTOLDO NIHVSIO
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



Xtrema pars literarum tuarum , quæ proxime ad me misisti , pupugit me suu chirographo . Scribis enim quandoquidem locorum intervallo , quibus disjungimur , & etatis mea jam prope decurso , incommodo , quæ non est , ut olim , laboris itinerum patiens , omnis tibi , me coram videndi , salutandi , amplectendi , alloquendi , facultas adimitur , spem tamen esse , ut cœlestis patria , ad quam omnes , qui dirinis promissis sustentamur , tendimus , & in qua omnes nostras cogitationes , curas , & solicitudines , collocatas ac fixas habemus , tandem me tibi tradat , & in perpetuum conjungat . Atqui hæc , tam suavis ac dulcis , cœlestis patria memoratio , ad quam magnis itineribus ipse festinas , satis diu verbis non potest , quantum & quam ardens ejus obtinenda , in me , desiderium excitarerit . Sed continuo hamœam cupiditatem ab omni propemodum spe dejicit præterite vita , secus quam deceat acta , recordatio : qua me verti compellit , ne peccata , quorum conscientia obstrictus teneat , omnes mihi ad cœlum aditus intercludant . Verum , quia nullum tempus , dum vita suppetit , Deus , non esse idoneum ad illud promerendum , docuit exemplo illorum , qui hora diei undecima à patre familias , ad opus , in vineam conducti , raptiundem meruerant , quantum ii , qui , ab aurora usque ad diei extremum tempus , opus in ea fecerant ; spes mea collapsa restargunt , & cupiditatis ille ardor , extinctus , re vivisit . Sed rursum me novus terror invadit , ac pene sententia desistere , & ad ingenium redire compellit ; cum videlicet mecum ipse cogito , quanta cordis mundicia , quantusque nitor , regia

requiratur in eo , cui sit propositum , pedem intra cœli fines
 inferre , ibique cum Deo agere & vum ; quod nemini , ut legi-
 tur , sordido , nemini vel levibus quantumvis maculis inqui-
 nato , illuc pateat accessus . Nam statim mihi venit in men-
 tem , non solum voluptatibus esse carentium , sed omnibus et-
 jam animi remissionibus , quantumvis honestis ac liberali-
 bus , nuncium remittendum , ne quid fortasse ex illis sordium
 colligam , quod me à cœli aditu excludat atque rejiciat . quod
 nihil est aliud , nisi perpetuo sese mœrori luctibusque manda-
 nt , in eisque velle , ad extreum usque vita diem , permane-
 re ; quod natura aspernatur , ac malorum fere omnium esse
 maximum dicit . Itaque spiritualem mihi vitam , omnis pla-
 ne hilaritatis letitiaeque vacuam , ac solum mœroris tristitia-
 que plenam objicio . Sed , cum perpetua illorum , qui divina
 Iœi convenienter vivunt , oris animique serenitas atque
 tranquillitas , me falsa opinione duci convincat ; hunc mihi
 errorem hoc dialogo sum conatus eripere , ac pluribus rationi-
 bus persuadere , veram animi hilaritatem latitiamque , vel
 nuquam , in hac mortali ac misera vita , reperiri , vel apud
 eos esse , in quibus nulla unquam vincit cupiditas voluptas-
 que rationem , sed semper vera illa ac directa ratio superat
 manus rerum omnium cupiditates . Hanc ego brevem dispu-
 tationem , ad te , qui ejus instituenda pene auctor fuisti , tan-
 quam ad magistrum mitto , eumque magistrum , unde , tum
 ad formandam poliendamque orationem , tum ad pietatem ,
 in me , erga Deum excitandam augendamque , plura possim
 addiscere . Etenim , quantum in dicendo scribendoque va-
 leas , quantumque earum artium studio flagres , quibus ater-
 na illa ac conferta bonis omnibus vita comparatur , cuius
 erunt compotes ii , quos sua in cœlum merita vocabunt ,
 tum ex Illustrissimi viri Fabii Chisii , Apostolici apud Vbiros
 Nuncii , testimonio , tum ex elegantibus tuis literis , omni eru-
 ditione ac pietate refertis , intellecti . Eam igitur perlege , &
 si quid in oratione mea titubatum invenies , ad prudentissi-
 mi tui judicij normam revoca . Quod si etiam non dedigne-
 sis , tuam illi doctissimam manum admovere , & addendo
 detrahendoque , splendorem ac pulchritudinem addere , illud
 ei sibi evenisse intelliget , quod picturis mendosis ac vilibus ,
 quibus egregius aliquis magister , aliquot penicilli ductibus ,
 villa detraxerit , & virtutes inseverit . nam , ex vilibus

Sinvendibilibus, continuo precium & emptorem invi-
niunt. Vale, ac perge, vir optime atque doctissime, de Rep.
Christianæ, ac fide Catholica, bene mereri. Roma, VII Idus
Maji, CICIOCXLI.

DE SPIRITUALI VITA,

Quod sola ea referta sit gaudio &
voluptate.

EUPHROSYNUS. PHILOCALUS.

EUPHROSYNUS.



Æpe mihi venit in mentem, peccato-
rum conscientia, qua premor, adducto-
a prava superioris vitæ consuetudine
prorsus recedere, atque illud vitæ genus
persequi, quod sit rectum, honestum, &
cum officio probi honestique viri con-
junctum. sed hæc meditantem, tantus re-
pente mœror invadit, ut hanc tam probam mihi men-
tem eripiat, ac cogat, sententia desistere.

PHILOC. Vnde, obsecro, hic mœror exoritur?

EUPHR. Ab insita mihi in animo opinione, qua ita
alte infedit, ut extirpari ac convelli non possit: quod ni-
mitum spiritualis vita sit plane vacua ab omni hilaritate
& gaudio, & contra referta mœrore atque tristitia.

PHILOC. Dasne mihi, pie, juste, & caste viventes,
Sancti Spiritus gratia præditos esse?

EUPHR. Do quidem; neque dicere aliter audeo.

PHILOC. At, si concedis, in animum, ab omni la-
be purum, Spiritum Sanctum illabi, simul concedas o-
portet, eundem, non inanem ac vacuum, sed cum suis
ad eum fructibus ornamentisque prodire. Verum, inter
præcipuos Spiritus Sancti fructus, ab Apostolo enumera-
tatos, principem sere locum obtinet gaudium. Fructus
autem spiritus, inquit, est charitas, gaudium, patientia,
longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, mode-
stia, continentia, castitas. Videsne, gaudio in Spiritus
Sancti

Sancti donis fere primas , ab Apostolo dari ? Aut igitur neges , Spiritum Sanctum nihil ad spirituales viros pertinere , quod est impium affirmare ; vel , si concedas , simul concedas oportet , summum ac verum gaudium non posse ab eis esse sejunctum . Quid ? arguasne mendacii Davidem , qui animi voluptatem & gaudium , ab iis , qui pietatem & justitiam colunt , negat abesse ? stoliditasne eum stultitiaeque condemnes , qui toties , in suis carminibus , justos ac rectos corde , ad hilaritatem impellit ? modo enim ait , *Lætamini in Domino & exultate justi , & gloriamini omnes recti corde* ; modo , *Exultate justi in Domino , rectos decet collaudatio*. quid ? insanire etiam dicas Paulum Apostolum , qui , summa perfusus animi hilaritate & gaudio , claimat , exonerandum esse animum omni mcerore luctuque , eundemque omni voluptate & gaudio replendum ? *Gaudete , ait , in Domino semper ; item dico , gaudete ; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

EUPHR. Ut ista vera esse concedam ; quis enim audiat tot sacrarum literarum testimoniorum obseruare ? meo tamen animo persuaderi non potest , quod jucunda atque suavis ea vita sit dicenda , quæ à voluptatibus hominem avocet , & ad labores doloresque traducat , quæ à risu ad luctum , à Cerealibus coenis ad tenuem victum , vel ad jejunia potius , abstrahat , quæ somno indulgere prohibeat , ac vigiliis insistere jubeat , quæque corpus tractari moliter veler , & haberi aspere ac duriter imperet .

PHILOC. Quænam sunt istæ voluptates , quas absesse à spiritualibus viris existimas ?

EUPHR. Quas , nisi corporis ? his enim delinitus animus , ob societatem quam habet cum corpore , commovetur , atque ad lætandum & gaudendum impellitur .

PHILOC. Nullamne animi esse propriam voluptatem existimas ? nullasne in ipso , lætandi gaudendiique causas hærere , nisi eas , quasi mutuo , à corporis contracione , suscipiat ? Non ego tibi sanctissimos religionis nostræ viros in medium adducam , qui quamvis tristitiam in vultu præferre videantur , semper tamen , ut inquit Paulus Apostolus , redundant hilaritate & gaudio : neminem , inquam , ex nostris tibi propono , sed ex veteribus

ribus aliquot sisto, qui, veræ religionis ignari, ne suscipi cari quidem poterant, quid esset spiritu vivere; qui tamen, spretis ac repudiatis voluptatibus, in summa animi alacritate vixerunt. Si nihil jucundum est anino, nihil lætum, nihil hilare, quod non à corporis voluptate suppeditetur, quomodo semper lætus erat Socrates, quem uxor quotidie, cum eodem vultu exenitem domo, ac redeuntem, aspexit, cuius omnis voluptas in prætermittendis voluptatibus erat? quomodo semper hilaris Curio, qui, cum in sua villula, ad focum sedens, rapas in cœnam curaret, magnum auri pondus, sine quo voluntates corporis præsto esse non possunt, sibi oblatum à Samnitibus, repudiavit? tristis ergo Fabricius, qui regni Epirotarum societatem, à Pyrrho sibi delatam, constantissime repudiavit, ac Romæ in summa paupertate vivere maluit? Sunt omnino, si nescis, quædam voluntates animi propriæ, quæ solæ per se nituntur, nec quidquam corporis auxilio egent.

E U P H R. Si nulla re ita mens nostra, quam Horatius *divinæ particulam aure vocat*, se effert atque circumspicit, ut hac una, quod nimur liberas omnium rerum voluntates habeat; nonne, qui omnem illi eripit vivendi licentiam, libertatis etiam, sibi ingenitæ, munus admittit, simulque causas omnes lætandi gaudendique praecidit?

P H I L O C. Quantum audio, non satis, quid sit voluntas, intelligis. Itaque, quo minus voluntatis rationem assequeris, eo plura illi tribuis, quam veritas & natura ejusdem patiatur. Voluntas enim (utar definitione Stoicorum, qui mihi in hac re, subtilius quam ceteri, versari videntur, & proxime ad Christianam veritatem accedere,) voluntas, inquam, istis auctoribus, est, quæ quid cum ratione desiderat: quæ autem in ea, quæ sunt rationi contraria, toto impetu fertur, non voluntas, sed libido, & cupiditas effrenata, est appellanda. Quamobrem, cum voluntatem ad rationis terminos revocamus, non sua eum libertate spoliamus, sed in eam maxime vindicamus: quia tum præsertim illa, libertate sua frui tur, cum ad ea revolvitur, quæ sunt consentanea rationi: cum autem ad ea, quæ libido suaderet, attrahitur, libertate amit-

mitit, ac sit libidinis serva, neque digna est amplius, quam nomine voluntatis appelles, quandoquidem illud, una cum libertate, à se rejecit. Itaque, ut in pauca conferam, spirituale vitam agere, nihil fere est aliud, nisi voluntatem nostram in libertatem afferere; in eam, inquit, libertatem, in quam nos vocavit Christus, ut non amplius serviamus peccato, sed appetitus, longius evagantes, revocemus, cupiditates rationi inimicas coercentamus, ne, captivam nostram voluntatem velut in triumphum ducentes, rursum acerbissimo servitutis jugo subjiciant. At vide, quanto in errore versentur, qui temere, incognitam rem, pronunciantes, omnem à spirituali vita lætitiam hilaritatemque ajunt esse sejunctam. Adeo enim, lætitia, spirituali vitæ inimica non est, ut nihil sit tam illi conjunctum, tamque cohærens, neque quidquam verius affirmari possit, quam, solis spiritualibus viris vera ac solida gaudia contingere. Nam illud dicendum est gaudium, quo tum animus afficitur, cum tatione movetur, placide atque constanter: at quid constantiae tam inimicum, quam cupiditas? quid tranquillitat tam contrarium, quam perturbatio? Cum igitur cupidi in summa semper animi perturbatione versentur, contra pii ac religiosi viri, sedatis cupiditatum fluctibus, perpetuo otio ac pace perfruantur, nonne plane necessarium est dicere, verum ab illis gaudium abesse, istis autem, alte radicibus actis, hærere?

EUPHR. At ego, neminem video, neque majoribus gaudiis exultare, neque lætitia uberiore perfundi, quam homines, deliciis ac voluptatibus affuerint, unde perpetuo omne gaudium exulare contendis. nam, ubi istiusmodi homines vigent, ibi etiam regnat hilaritas, risus, jocus, ludus, Iepos, amcenitas.

PHILOC. Ego quoque idem dico; adjuvo te; in vita amcenia ac voluptaria inesse risum, jocum, ludumque affirmo. at hæc gaudii rationem habere, istuc est, quod nego: sed eas esse ajo elationes animi, sine ratione.

EUPHROSYNUS. Qnodnam igitur gaudium dicas esse?

PHILOC. Gaudium, ex Platone, jucunditatem quandam esse, definio, ex virtutis ac recte factorum conscientia.

scientia manantem : atque jucunditas hæc , quam gaudium esse dicimus, illud est animi pabulum , nectaris & ambrosia nomine significatum , in fabulis poëtarum. Hoc gaudium nunquam deficit , sed perpetuum ac perenne profluit, atque adeo in nostra est potestate ; ut nulla sit vis tanta , quæ possit illud nobis eripere. Ideoque Christus Apostolis , quorum illud erat animis concipiendum , *Gaudium* , inquit , *vestrum nemo tollet à vobis*. Hoc gaudium nunquam in vitium degenerat , quemadmodum lætitia ; quæ , non parum sape , effuse & immoderate se efferens , à ratione digreditur ; sed perpetuo placide , constanter , & cum ratione , animum movet. Ac si princeps poëtarum Virgilius dixit , *mala mentis gaudia* , diserte quidem elocutus est , sed non apte. quid enim tam pugnat , quam , malum aut vitium aliquod cum gaudio misceri ? Sed ille , communem loquendi rationem secutus , lætitiam illam gestientem ac nimiam , gaudi nomine complexus est : quemadmodum nos etiam interdum gaudium , non proprio , hilaritatis lætitiaeque , vocabulo signamus. Gaudii igitur domicilium ac sedes , est animus : ibi habitat , ibi hæret , ibi perennem illam suam jucunditatem large copioseque diffundit. at voluptariorum hominum risus , voluptas , hilaritas , oculis orique eorum extrinsecus advolat , nec in animum comeat . quod si liceret tibi , penetrare ad intima illorum cordium cubilia ; omnia intus voluptatis vacua , ac timoris , perturbationis , luctusque , à ratione repugnante profecti , referta conspiceres . pugnat enim pro se ratio , neque quietos eos esse patitur , qui ab ipsis imperio defecerunt. Hi sunt illi stimuli , hæ sunt illæ faces , quibus , veteres poëtæ , improborum semper animos agitati exurique , dixerunt . ratio quoque , est ille noster adversarius , de quo Christus in Euangelio nos admonet , ut nihil ab eo diffideamus , sed parem cum ipso animum voluntateque geramus. *Eslo* , inquit , *consentiens adversario tuo cito , dum es in via cum eo ; ne forte te tradat adversarius judici , & judex tradat te ministro . & in carcerem mittaris* . quamquam D. Augustinus divinæ legi , adversarii istius partes affigunt : sed ab eo , quod dicimus , nō aberrat ; cum divina lex , in animis hominū insita , nihil præcipiat . nisi

nisi quod ratio ipsa faciendum vel fugiendum præscribat.

EUPHR. Nunquam equidem arbitratns essem, divinam legem tam magnas nobiscum inimicitias gerere: & sine audiēram, principes potestates, ac rectores mundi, tenebrarum harum, perpetuos esse humani generis hostes, & habere nobis bellum semper atrox & acerbūm indictum; nunquam tamen suspicatus hoc idem essem de divina lege, cui nullas putabam nobiscum inimicitarum discordiarumque causas subesse.

PULLOC. Sunt quidem isti, quos memoras, genus humani hostes, atque hostes nimis acerbi ac feri, sed non ex eo genere, quibuscum, ex Christi Salvatoris nostri præcepto, convenire nobis debeat; sed propterea ex iis, à quibus, omnibus in rebus, capitali odio dissidendum sit: qui non idcirco nos bello persequuntur, ut salvos & incolumes præstent, sed ut secum una, perpetuum in incendium & interitum, trahant: contra verò, divina lex ideo adversus nos inimicitias suscipit, ut aeternum à capite nostro exitium ac pestem avertat. De hoc eodem adversario, non obscure indicavit Paulus Apostolus, illis verbis, *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; hac enim sibi invicem adversantur, ut non, quaecunque vultis, illa faciat.* quo loco, quatuor inter se pugnantes voluntates, tanquam in aciem, in pulverem & solem, educit Apostolus; carnis videlicet voluntatem, hoc est cupiditates pravas & noxias, & quas alio loco appellat carnis desideria; tum voluntatem spiritus, nimis effrenos quosdam impetus animi, ex nimia cupiditate ferendi patiendique pro Deo, corpus ad intermissionem dantes; quos spiritus cohibendos, & ad rationis terminos redigendos esse, idemmet Apostolus docet his verbis, *Rationabile sit obsequium vestrum;* deinde, voluntatem nostram, cui morem nefas est gerere; postremo, aliam quandam voluntatem, cui, nostra omissa ac repudiata, obsequi & obtemperare sit necesse: hæc autem est, legis aeternæ voluntas; contra quam si quis audiat venire, sentiet, quanto cum adversario, sibi futura res sit: nam vinculis omnibus constrictus, judici, hoc est Christo, tradetur. non enim Pater judicat quemquam, sed unum judicium dedit Filio; qui, non modo eum in futuro secu-

seculo, dæmonibus, æternis pœnis suppliciisque torquendum, objicit, verum etiam in hac vira, solicitudini, timori, molestiæ, perturbationibusque omnibus, tortibus sane non parum sævis acerbisque, distrahendum dilacerandumque permittet. Perspicuum est igitur, omnem ægritudinem animi, à voluntate nostra ortum habere, dum eadem, sibi nimium indulgens, divinæ legis voluntati justitiaeque conatur obſistere; sine qua justitia, nulla pax animo, nulla tranquillitas, nulla quies obtinet; cum ea fons &c origo sit omnis latitiae. *Iustitia enim Domini rectæ, letificantes corda.* Summa denique huicredit, ut intelligas, istam plane tristitiam, quæ te, de nova spirituali vita ineunda, cogitantem aggreditur, ac deſtentia dimovere conatur, inde ortum habere, quod adhuc iniquitatem tuam diligas, & Dei præcepta odio habeas. *Quid esse putas causæ, cur adolescens ille Evangelicus, cum audisset à Christo, ut, facta auctione bonorum, mercedem, quam coëgisset, in pauperes distribueret, tristis abiret; nisi quia caræ erant cordi suo divitiae illæ, & Christi sermo odiosus?* *Sermo enim Dei, inquit Augustinus, adversarius tuus est, si tu amicus sis iniquitatis tue; sermo Dei, amicus tuus est, & adversarius iniquitatis tue.*

E U R H R. Nimis tu quidem istud spiritualium viorum gaudium exageras: at ego nihil crebrius in eorum libris lego, nihil frequentius in eorum concionibus audio, quam, perpetuo flendum, querendum, ac dolendum ex animo esse; ut etiam concionatori illi priores deferantur, qui ubiores populo, fletus concitare possit, & maiores animorum permotiones afferre.

P H I L O C. Cum facundus aliquis & prudens sacrum literarum interpres, vel divinæ justitiae severitate narranda, vel peccatorum turpitudine detegenda, terrem aut fletum populo movere studet, non tam id agit (quanquam conatur id quoque,) ut timendi dolendique causas afferat, quam ut latandi gaudendique materiam objiciat.* Nam, ex Apostolo Paulo, duplex est genus tristitiae, secundum Deum una, & secundum seculum altera. at quæ, secundum Deum, est tristitia, quæ non est alia, nisi ea quæ ex peccatorum pœnitentia concipiatur,

tur, penitentiam, ad salutem, stabilem operatur, quæ tristitia, cum ex divina caritatis fonte descendat, omnes simul Spiritus Sancti fructus secum trahat oportet; quorum præcipuum est gaudium. seculi autem tristitia, quia commodum, honorem, aut voluptatem aliquam, nobis erectam queritur, mortem operatur, totaque redundat mœrore, atque tristitia: quæ non minus audacter ac strenue est propulsanda, cum adeat, quam ceteræ aliae cogitationes pernicioſæ vel turpes. Ab hac tristitia spiritualis vita nos liberat, atque in summa hilaritate & pace constituit. Nam docet, coercitas ac domitas habere cupiditates, atque libidines, unde omnis mœror luctusque in animum influit.

EUPHR. Non tam doctus, quam expertus, fateri jam cogor, vera ea esse, quæ narras. nunquam enim ita sum afflictus, ut cum ab aliqua cupiditate pervertor. Quamobrem ad bene feliciterque vivendum, non à pecunia, neque ab honoribus, neque à voluptatibus, auxilium esse petendum existimo.

PATRIC. Gaudeo vehementer, te, paucis his rationibus, de sententia esse deductum. sed alias, id est, cum plus ocii nocti erimus, plura, ex sanctorum patrum scriptis collecta, narrabo, quibus hæc tibi veritas in animo altius infideat.

V DIA-

DIALOGVS
DECIMVS SEPTIMVS.
BARTOLD O NIHVSIO
IANVS NICIVS ERYTHRÆVS
S. P. D.



*Aciam, Bartolde mi, ut te scripsisse
pœniteat, mea tibi scripta nec ingrata
nec injucunda accidere. Quod magis
gratia scilicet causa à te factum exi-
stimo, (jam enim tuus in me amor,
atque humanitas, satis nota est atque
perspecta,) quam quod vere ita sen-
tias. At in excolandis amicitiis que-
dam cautio est adhibenda; neque hoc officii genere cum iis
utendum, qui servare modum nesciunt, sed sibi plus sumunt,
quam datur. Et quoniam, semel modestia fines pertransi in-
sequor longius, & quod reliquum est sermonis, de pœnitentia
in ultimum vita tempus non differenda, ad te mitto: cui ac-
cedit hymnus peccatoris pœnitentis. & apparatus ad mortem;
ad quam rite, & ut Christianum virum decet, obcundam,
omnes nostri conatus, studia, & sollicitudines spectare debent.
Dabis mihi veniam, spero: quam eo facilius à te impetrare
debeo quod non postulo, ut mea, honoris gratia, tanquam Ho-
meri aliquod opus, in scrinio diligenter asserves, sed satis mil-
est, si semel, cum abundaveris otio, legas, deinde facias quod
lubet, vel ea, quasi inuiles cartas, in angulum aliquem re-
cias, vel consindas, vel uras. Peto à te majorem in modum,
ut me viro, pietatis doctrinaque laude longe clarissimo, (sic,
quem velim,) commendation habeas, ab eoq; summa vix petat,
ut, in suis ad Deum sacrificiis ac precibus, vera ac germana
mihi pœnitentia virtutem impetrare dignetur. Tu vero vale,
meque, sicut facis, dilige. Romæ, v. Kal. Iunij M D C X L I I L*

DE

DE P O E N I T E N T I A

in supremum diem non differenda.

EUPHROSYNUS. PHILOCALUS.

EUPHROSYNUS.



Vandoquidem certum est mihi, re ipsa experiri, quod iam satis rationibus persuasum est, cum spirituali vita, non mœtorem & luctum, sed jucunditatem & gaudium, esse coniunctum; aveo scire exte, quemnam mihi, ad hauc vitam, munire aditum possim, quarumque virtutum comitatu instructus, ad eandem accedere.

PHILOC. Sapienter tu quidem facis, id cum rogitas. nam, quemadmodum illi, qui quopiam inferre se postulet, removenda sunt prins quæ obstent, quæque omnes ad locum illum aditus obstruant; ita etiam, qui à lubrica atque corrupta mundi hujus vita discedere, & in eam immigrare, quæ spiritualis dicitur, cupit, impedimenta primum repellat oportet, latumque sibi ad eam aditum paret.

EUPHROS. At, quænam dicam esse illa, quæ suo interjectu, atque oppositu, nos ab hoc genere vitæ repellant?

PHILOC. Peccatorum tanquam parietes, de quibus Propheta inquit, *Peccata vestra divisierunt inter Deum vestrum & vos.* hi sunt primum demoliendi; tum materia diruti ædificii, de medio removenda, ne, occasione sedante, & prava consuetudine stimulante, ex redivivis, aliisque etiam lapidibus, novum opus, superiore etiam altius atque validius, exstruatur.

EUPHR. Quænam est, obsecro, vis tanta, quæ peccatorum moles, tam magnas, tam altas, tam ad inferos usque pertingentes, possit labefactare atque convellere? atque, si uspiam inveniri possit, magno ac longo eam ad rem opus est labore atque industria.

P H I L O C. Ostendam tibi machinam , quovis ariete alioque tormento validiorem ; quæ moles , quas dicis, nullo fere labore, ac momento pene temporis, possit subvertere atque diruere.

E U P H R. Quæso te, ne eam mihi graveris ostendere, cupio enim quam primum ; ad peccata mea dejicienda, destruenda, ac dissipanda, suscipere.

P H I L O C. Machina seu aries , ad expugnanda ac diruenda peccatorum propugnacula, uno verbo , poenitentia est , quæ præsertim intimo acerrimoque animi dolore, ex injuriis Deo factis, continetur, quem nuda, simplex & aperta, peccatorum eorundem confessio, ac satisfactio consequitur. hæc virtus, tam validis prædicta viribus est, ut peccata omnia , quamvis altissimis nixa radicibus, possit evellere. verum hæc poenitentia, cum sine ea, nulla nobis spes salutis reliqua sit, quamprimum est arripienda , & cum ea , ad peccatorum moles oppugnandas diruendasque , properandum ; neque committendum , ut prolatando , ac diem ex die ducendo , non sit integrum nobis ad poenitentiæ arma confugere, iisque contra peccata salutariter uti. nam mors omnibus horis , vel momentis potius , gladii cuiusdam instar , è lacunari, seta equina appensi , cervicibus nostris impendet ; cum nemini sit exploratum, quamdiu ipse sit victurus. Si igitur antea contingat, ab ea nos opprimi , quain peccatorum nostrorum poeniteat ; ex Christi dicto, actum est, illicet, perivimus ; qui , disertis verbis , *Nisi* , inquit , poenitentiam egeritis , omnes simul peribitis.

E U P H R O S. At hoc esse video commune vitium ac pervagatum. pleraque enim pars hominum, totam hanc rem in tempus mortis rejicit ; quo tempore fore sibi facile atque expeditum existimat , poenitentiam, tanquam si in arcula aliqua inclusam, vel parieti , quasi gladium, suspensam habeat, accipere , eaquæ suum ad arbitrium uti. Atque interim fas sibi pntant, dare operam voluptibus, nihilque sibi denegare, quod in animum incidat.

P H I L O C. Bene agis , Euphrosyne ; & se isto modo res haber. non enim potest numerus eorum iniri , quos callidus ac veterator humani generis hostis, hac stulta & inani fiducia , in fraudem illexit , secumque æternum ad

ad interitum rapuit; dum nempe, quod debuerunt, præstare distulerunt; quia, et si vis fuerint spondere voluntatem, nunquam tamen eam in effectum deduxere; quibus Philosophi, non voluntatem, sed velleitatem, tribuunt, ut non male dictum sit à non nemine, miseram illam inferorum sedem, æternum illud mortis domicilium, ac damnatorum carcerem, refertum esse velleitatibus.

EUPHR. Rem sane commovisti, alia disputatione dignam, & quoniam, in pœnitentia celeriter suscipienda, tantum esse ais momenti ad salutem, aveo te, de tota hac re, copiose differentem audire, quo falsa hæc hominum opinio, ac mea etiam, si ab ea me imbui aliquando contingat, castigetur, atque una cum aliis intelligam, quam perniciose desipient, quibus sit consilium, huic spei, tanquam fiatui se committere, quo impellente, vix pauci, ac ne vix quidem, rectum ad salutem cursum tenere, ac portum aspicere potuerunt.

PHILOC. Nihil tibi erit in me moræ; age, roga, interroga; nunquam tibi pércontanti, aut quærenti aliquid, deero.

EUPHROS. Nihil est quod te interrogem; jam tennes, qua de re sit agendum; continentem orationem desidero; me autem ita tibi attentum fore profiteor, ut, ne sciscitandi quidem aliquid gratia, te sim interpellaturus.

PHILOC. Rem igitur omnem, breviter in capita distribuam, quo explicari facilius ac retineri memoria possit. Ac primum ab illis Christi verbis apud Matthæum exordiar, *Orate, ut non fiat fuga vestra, hyeme vel sabbato;* tum causas, quibus hoc minime expediat, enumerabo.

C A P. I.

Orate, inquit Christus, ut non fiat fuga vestra, hyeme vel sabbato. quibus amantissimis Christi verbis admoneamus, incredibili celeritate fugam à nobis istam esse arripiendam; nimirum discessiōnem à peccato, cui vel minimum temporis spaciū hærere, horribile est ac for-

formidandum. verum , summa vi animi , & efficacissi-
 mis sane verbis, petendum est à Deo , ut , si nos salvos
 esse velit , efficiat , ne fuga hæc incidat in tempus hye-
 mis , vel sabbati diem. Etenim, hæc duo tempora , fu-
 gientibus sunt inopportuna , & incommoda maxime ;
 sed quid inquam , fugientibus ? ipsis etiam viatoribus ,
 placide ac pedetentim iter habentibus , sunt inimica.
 Fugæ vocabulum , & necessitatem celeritatis , & longi-
 tudinem spaci , quod decurrentum sit , indicat ; ut . nisi
 quanta potest pedum celeritas abhibeat , verendum
 sit , ut temporis tantum suppetat , quantum sit properan-
 ti necesse. Ac primum properandi vim & necessitatem ,
 periculi magnitudo , qua urgemur , imponit. nam , si
 cunctemur , si paululum simus in mora , facile nobis
 eveniet , quod innumeris fere contingit , ut antea Orci
 fauibus absorbeamur , quam , diversum ab illis iter ar-
 ripiamus. tum , Deus & peccatum , res infinito inter-
 vallo inter se disjunctæ , immensitatem itineris , quod
 decurrentum sit , edocent. itaque , cupientibus à pecca-
 to recedere , & curriculo ad Deum contendere , nihil
 est incommodum magis , quam tempus hybernum ; hoc
 est interclusio animæ , & angustia spiritus ; quo tempo-
 re , ut itineris tantum conficiatur , nimirum ut in poenitentia
 regionem perveniatur , fieri vix potest. nam pri-
 mum , hyeme ita dies in arctum contrahuntur , vix ut
 sol exoriatur , cum occidit ; quamobrem , cui perquam
 longissimum sit iter fuscipiendum , dierum brevitatem ex-
 clusus , in aliud illud tempus rejicere cogitur. tum , hye-
 me , decadentes è cœlo imbres , volentem se itineribus
 dare , deterrent , & intra domus suæ claustra compel-
 lunt. deinde , corruptæ imbris viae , ac limus , ad fal-
 lenda vestigia , pedibus subjacens , currentis vim at-
 que impetum tardant. ad hæc , torrentes , decurrentium ,
 ex propinquis montibus , aquarum mole , ancti inflati-
 que , properantibus iter occludunt. præterea , validissi-
 mi undique flatus erumpunt , fævi turbines adsunt , ca-
 lum nubibus clauditur , tonitribus contremittit , solis lu-
 men eripitur , atque , ejus loco , horrificaè è nubibus
 flamme coruscant. Hæc omnia , ad hyemis similitudi-
 gem , in mortis tempore , deprehenduntur. nam tuin ,
 &

& brevissimi illucescunt dies , adeo ut , cui propositum sit , discessione m à peccato , & reversionem ad Deum , quos inter , ut diximus , immensum atque adeo infinitum interjectum est spaciū , in illud tempus rejicere , alterutrum fere contingat oportet , vel , ut desperatione debilitatus , omnem ejusmodi profectionis , pœnitentiæ nimirum , cogitationem , abjiciat , vel , si illud sit iter ingressus , antea à nocte , hoc est , à morte opprimatur , quam ut illud possit confidere . deinde , ex anteactæ vita flagitiis , tanquam ex solo , conceptis humoribus gradio , terti pestiferique complures emergunt halitus , qui , vel in turbines terroris , vel in temptationum fatus convertuntur , adeo saevos , adeo foedos , ut , vel morientibus , pœnitendi consilium extorqueant , vel in luto , unde conantur emergere , eosdem altius infigant . deinceps , qui æstus , qui terror , quæ tenebræ , eorum animis obversantur , qui perpetuis sese sceleribus contaminarunt , cum venit in mentem , inexorabilis judicis , ad quem venturi sunt , severissimi judicii , unde eos , nec cujusquam eloquentia , nec gratia , nec potentia præripiet ! tum , quam magni , quantasque trahentes undas , dolorum , ac cruciatum corporis , quasi torrentes , in extremum vitæ casum adductos fere circumfluunt ! qui quasi torrentes , institutum illis iter interrumpunt , & ad preces , ad lamenta , ac lacrimas , ire cupientibus , aditum intercludunt . Etenim , qui sic affecti sunt , neque animum ad cogitandum instituere , neque , in quantum suæ salutis æternæ discrimen sint adducti , satis possunt aspicere . ita enim à natura comparatum videatur , ut curæ & solicitudines animi , à doloribus corporis , si cum illis concurrant , obruantur , vel consopitæ te deantur , hinc sit , ut , cum animus , in quapiam vehementi ægritudine , motuque turbulento , cupiditatis , vel iræ , verlatur , si summus aliquis corporis cruciatus , vel dolor accedit , continuo suæ sibi ægritudines leviores fiant , ac fere se totum ab illis abducat , & ad corporis morbos cruciatisque convertat . Orate igitur , ut non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato . Sabbati mentio , temporis angustias , quibus morti jam proximi premuntur , ante oculos ponit . Etenim definitum erat lege , quate-

nus quis progredi posset; cuius instituti meminit etiam Lucas in Actibus Apostolorum; cum spacium illud quod montem inter , qui vocatur Oliveti , & Ierusalem , interjectum est, itineris , quod sabbato fieri poterat, mensuram habuisse commemorat. Mortis dies , dies est, quieti magis & ocio, quam itinerum laboribus, adductus & traditus. etenim , ex illo , ab hujus vita periculis molestiisque , quidam quasi aditus est ad æternam illam requiem , qua nullis interrupta motibus animi, à ratione alienis, nullis perturbata doloribus corporis , in celo beati fruuntur : at , si cui tum libeat , dare se se itineri, sabbati sit illud iter oportet , hoc est, planum , rectum, & paucis quibusdam passibus definitum : hoc iter esse dixerim , breves alias , & caritatis ardore incensas preces , quæ, tanquam ex cordis arcu emissæ , jaciantur in Deum , suspiria , ex intimis animi visceribus petita, ex æternæ pacis desiderio , & pauca quædam alia , his similia. quamobrem, ut videre licet ex iis quæ diximus, quibus consilium est , tam arduum , tam pericolosum , tam anceps , pœnitentia negocitum in tempus mortis differre , hi sibi pessime consulunt, suaque incuria ac negligentia , contra Christi monita , prudentes scientesque ad interitum ruunt voluntarium; qui Christus , vota precesque hominum , non alio magis referendas esse admonet , quam eo , ut impetremus à Deo , ne fugam istam , nempe pœnitentiam nostram , in tam iniquum tamque incommodum anni . vita nostræ , tempus finat incidere.

CAP. II. *De causis, quibus pœnitentiam in supremum tempus differre non liceat.*

Multa superiori capite indicata sunt , unde peccatori minime expediat , pœnitentiam in supremum vitæ tempus rejicere ; sed quatuor se se in primis aperuerunt , quæ acrius obstare videantur; primum, desperatione , in quam ex recordatione peccatorum , quorum ipsum non pœnituit , facile peccator impellitur ; tum, temporis angustiæ , in quas se esse redactum sentit ; deinde

inde corporis animique cruciatus , quibus varie vehe-
menterque distrahitur ; postremo difficultates vere uti-
literque pœnitendi , quibus circumsepitur. per hæc igi-
tur quatuor breviter percurramus; ac primum de despe-
ratione dicamus.

CAP. III. *Quod saepe eorum spes multum
infringatur , qui pœnitentiam , ad ulti-
mum vitæ tempus , reservant.*

PAUCITAS dierum meorum finietur brevi ; dimitte me ergo , ut plangam paululum dolorem meum , antequam vadam & non revertar ad terram tenebrosam ; &c. lob. x. Adeo severum , adeo formidabile , adeo horrendum est illud judicium , quod statim post mortem uniuscujusque consequitur , ut viri omnium sanctissimi , qui in hac cogitatione defixi versantur , ex eo vix se evasuros existiment , quamvis multos annos , superioris vitæ peccatis recolendis deplorandisque , tradiderint ; quamobrem interdum dilationem mortis , à Deo in beneficio & gratia depositum , quo diligentius , pœnitentiæ quasi lava-
cro , peccatorum suorum maculas eluant. Talis erat Abbas Sylois , qui morti proximus , ac beatioris vitæ spe certus , Christum , quem oculis intuebatur , enixius orabat , ut diuturnioris sibi incis usuram , ad poenitendum daret ; Permitte me , inquit , adhuc modicum pœnitere . in hunc eundem numerum referendus est David ; unde illud frequenter exaudiebatur , *Amplius lava me Domine ab iniquitate mea; amplius lava me a peccato meo.* Et sane , si ad peccati magnitudinem gravitatemque spe-
ctetur , quo præsertim infinita Dei majestas offenditur , quam potest in se quisque pœnam , quod supplicium accipere , quod par sit culpæ , cui subest ? jure igitur pec-
cator , ad deploranda superioris vitæ flagitia , produci sibi vitam , efflagitat. D. Gregorius magneus , paulo secus hæc verba interpretatur , *Dimitte me , ut plangam paululum dolorem meum;* hoc est , cohibe vim timoris , quem ex recordatione peccatorum , & futuri judicii severitate percipio , ne meānum lacrimarum cursum impedit.

nam vir, inquit, pius ac probus, dum sua sibi peccata in animum subjicit, Deumque ante oculos statuit, ad quem iudicem est venturus, eo interdum metu terrore que concutitur, ut prope à sensibus deseratur; adeo ut nec ullam vocem edere, nec ullam lacrimam dare, nec ullum è pectore suspirium emittere valeat. Quæ sancti viri interpretatio non longe à philosophorum inventis aberrat, qui docent, lætitiam, metum, terrorem, ceteraque animi perturbationes, si ita abundant, ut eas nequeat animus capere, in sensus ipsos redundare, eosque ad sua munia exsequenda, stupidos ac tardos efficeret. Arque, ut de iis taceam, quos ex historiis accepimus, lætitia metuque, aut aliqua ejusmodi ægritudine nimia, ad insaniam fuisse redactos; nonne quotidie experimur in nobis, quemadmodum, perturbatione aliqua vehementer abrepti, infantes stupidique reddamus? Vtraque interpretatione, mirum in modum, rem de qua loquimur, explicat, ut, si homines innocentissimi, sola cogitatione divini judicii, ita afficiebantur, ut vel longiorem vitam, quo plenius Deo satisfacerent, in gratia depositerent, vel, formidine oppressi, prope de statu mentis, ac de omni spe devolverentur; nihilne improbos ac sceleratos, aut desperatione debilitandos, aut metu concutiendos existimamus, cum mors aderit, cum judicii terror in oculis erit, cum inferorum fauces, ad eos excipiendos absorbendosque, fere patebunt? Multi sunt anni, cum erat hic Romæ cœnobita quidam ex cucullatorum familia, religione ac probitate, ejus cœnobii facile primus; hic cum ad ultimum vitæ suæ diem pervenisset, ac prope animam ageret, cœpit repente versare se, æstuare, ingemiscere; cumque ii, qui aderant morienti, intelligerent, in ejus animo spem metumque versari, pro se quisque sedulo faciebat, quo eam illi ægritudinem deineret; & in primis monebant, ut bono animo esset, ut meminisset, se Patrum cucullatorum familiæ nomen dedisse, in eaque multos annos pie religioseque vixisse; tum ille, his vocibus erectus, & quasi ad se ipsum rediens, dicitur convertisse oculos ad cilicium, quo erat tectus, illudque exosculatus, in suorum complexibus, Deo animam reddidisse, nempe illi, æternæ

æternæ damnationis metus , ab animo , omnium recte
 factorum memoriam excusserat. ô quantos timori ac
 desperationi de se ludos parant , qui finem peccandi non
 faciunt ! Tria in primis esse arbitror , quæ possint cui-
 piām , in morte , spem maximam addere; priūm , ami-
 citiam , & quasi cognationem cum Deo , conciliante vir-
 tute contractam; tum , propinquitatē , sive potius præ-
 sentiam ipsius Dei; postremo , multa & maxima merita.
 & primum , ad Dei amicitiam quod attinet , quid in ea
 prædīi sibi positum esse existimabunt , qui , propter
 maxima vitia atque peccata , Deum infestissimum ha-
 beant ? ut propterea David nihil enixius à Deo prece-
 tur , quam , ne ab ipso in ira recedat , hoc est , ne inimico
 animo abeat. *ne recedas , inquit , in ira à servo tuo.* dici-
 tur interdum recessisse à nobis Deus , non quia vere re-
 cesserit , sed quod simulat recessisse. unde licet inter-
 dum aspicere , viros , omni virtutum laude præstantes ,
 urgentibus temptationibus , in eas animi angustias dolo-
 relque compelli , prope ut liceat suspicari , non illis
 Deum adesse ; sed tum , non declinat in ira , sed in misé-
 ricordia ; simulat enim discessisse , quo majore eos
 misericordia complectatur ac teneat , nempe ut majo-
 ribus eos meritis augeat , peccatorum reliquiis expur-
 get , purgatorii ignis supplicio præcipiat. à peccatori-
 bus autem , à quibus capitali odio diffidet , declinat in
 ira : nam ideo refugit , ut iram suam in eos evomat , ut ,
 pro eo ac meriti sunt , poenas atque supplicia constituat .
 nullum igitur improbis in Dei amicitia perfugium o-
 stenditur , à quo sibi pestis , exitium , & inferitus immi-
 net , à quo jam pene , funesto ejus sententiæ quasi telo , fe-
 riuntur , *Ite maledicti in ignem æternum.* Secundo loco
 multum valet , ad nos in spem erigendos confirmandos
 que , Dei propinquitas atque præsentia. quis animum
 abjiciat atque prosternat , cui Deus adsit , subveniat , op-
 tuletur ? at nihil ita Deum à nobis submovet , atque dis-
 cludit , ut peccatum ; immo , quemadmodum Iſaias loqui-
 tur , Deum inter ac nos , quosdam quasi parietes creat
 atque constituit . *peccata , inquit , vestra divisorunt , inter*
Deum vestrum & vos. atqui horum parietum , qui inter-
 jecti sunt inter peccatorem & Deum , Divus Bernardus

quinq-

quinque genera facit. primum genus ait esse legem illam in membris nostris, repugnantem legi Dei, vel, ut aliter explicat Paulus Apostolus, id, quod est in carne peccatum. sed felicem eum, quem solus hic paries à Deo separat atque disjungit, hoc est, cuius liber ad Deum cursus retinetur hujus custodia corporis, ex Adæ peccato corrupti. talis erat idem Apostolus, cui nihil longius videbatur, quam dum corporis sui moles dirueretur, quo posset evolare quam primum ad Christum, eique prorsus hærere. ex hoc erat numero sponsa, quæ hunc eundem parietem sibi obstare dicebat, quo minus irrueret in amplexum sponsi. *En ipse*, inquit, *stat post parietem, respiciens per cancellos, prospiciens per fenstras.* sed quis est tam alienus à culpa, qui vel statim distrahi, secerni, separari cupiat à corpore, ut in Dei conspectum excedat? D. Bernardus, se ejusmodi non esse, palam confitetur. imo nihil tam alienum esse à rationibus suis affirmat, quam celestem ac repentinum interitum. nam si subita, inquit, morte corripiar, vereor, ne, propter mea scelera atque peccata, quam remotissime à Deo disjunctus inveniar, ac propterea, à dæmonibus circumventus, in cruciatum abripiar sempiternum. Quid est, quod audio, Bernarde? tu mortem perhorrescis? tu dæmones times, atque à suppliciis æternis tibi esse periculum aies? tu, inquam, cuius virtutem, probitatem, innocentiam, omnium seculorum posteritas admirabitur; cuius, in vietu atque in omni vita, duritatem & asperitatem, etiam qui legent, horrebunt? neque id à te, joci vel gratiæ scilicet causa, esse prolatum existimo, sed quia sic tibi erat persuasum. quid igitur mihi erit misero, tot peccatis obruto, tot conscientiæ testimoniis evicto? quæ spes salutis hærebit, cum animo ita soluto & libero vivam, cum, ad placandam judicis iram, nullum adhuc de me illi supplicium tradam, laborans, ingemiscens, fugiens omnia, quibus voluptas vel solatium insit? ô me excordem, si hæc non cogito; stultum, si cogito, nec vitam emendo. Primus igitur paries, qui nos à Deo disjungit ac separat, naturalis illa propensio est & inclinatio, insita hominibus, ad peccandum. verum hic paries, si nihil aliud incercedat, ferendus erit: nam habet rimas & cancellos, ut diximus, & aliquando tandem diruetur

ruetur. alter paries est , voluntatis nostræ ad istam pro-
pensionem accessio; jamque hic ad eos parietes perveni-
tur, qui nos à Deo distrahunt, planeque disjungunt. ter-
tius est, cum mala mens, malus animus, ad rem conser-
tur, & flagitium ac scelus admittitur. quartus est, consue-
tudo peccandi. postremus, delectatio peccandi, cum, di-
vinis iussis imperiisque contemtis, ad voluptatem, tan-
quam ad finem , omnia diriguntur. Quid igitur faciat,
quo se conferat, quid consilii capiat extremo illo tem-
pore peccator, à Deo, hoc est, à salute sua, tot parietum
interpositū interjectuque , disjunctus ? profecto eundem
sibi exitum adesse perspiciet , quem habet membrum à
capite exsectum , ædificium à fundamento sejunctum,
fartementum à vite recisum. nam, quid membrum à capite
seclusum, nisi mors, sequitur? quid ædibus à fundamento
distractis impendet, nisi ruina ? quid fartementis à vite di-
valsis debetur , præter incendium ? Vnum de duobus , in-
quit Augustinus, palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in
vite non est , in igne erit. itaque cuius improbitas atque
nequitia, adversus Deum, tot tantasque sibi moles extru-
xit, properet eas demoliri atque destruere, dum tempus
& occasio se dant , & validissima de cœlo præsidia con-
veniunt; neq; diem ex die ducat; ne subito casu oppressus,
spe salutis abjecta, ad desperationem omnia convertat.

CAP. IV. *Quod memoria recte factorum in primis jacentem spem erigat.*

INTER illa tria, quæ, ad spem in nobis excitandam, uti-
lia esse commemoravimus, tertio loco posuimus me-
rita ; nempe ea, quæ quisque, divina ope adjutus, pie, ca-
ste, benigne, demisse, vel cum aliqua alia virtutis laude,
fecerit. Hæc res tantam vim habet, ut contra desperatio-
nem nulla plus possit. quam ob rem , inquit Gregorius,
cum , præteritæ vitæ peccatis objiciendis , dæmon nos
oppugnare instituit , atque in desperationem impellere,
opponenda sunt contra ejus impetus ea, quæ, ad placan-
dam divinam iracundiam , supplicii causa suscepimus.
Qui igitur, iam inde usque à pueritia, in omni pravitate,
& in summa morum perversitate versatus est, neque pro-
totius

totius vitæ peccatis Deo , quod fatis sit, fecerit , qui que
 animadverrit, subitam illam poenitentiam, qua afficitur,
 non ab odio peccati manare , sed à metu iudicij atque
 penarum exire, quo se præsidio tueatur , quo ore justissi-
 sum ac severissimum judicem appellare sustineat? de-
 spondebit illico animum, seque ipsum præcipitem ad in-
 feros dabit. neque mirum videri debeat. homines scle-
 rosi simul & stulti, ex ipsorum ingeniiis divinam miseri-
 cordiam spectant; ipsi, quia inimicis, quibus semel peper-
 cerunt, amplius non ignoscunt, si nova feriantur injuria,
 putant etiam, peccatorum multitudine, divinam clemen-
 tiam misericordiamque consumi. sed errant , inquam,
 conjectura domestica. non est similis ipsorum Deus. ejus
 namque clementia , quia infinita est , nullis hominum
 peccatis atque sceleribus , quamvis innumeris , quamvis
 ingentibus, exhaustitur. Verum fraus hæc, tam scelerata,
 tam impia, in quam labuntur, peccata commissa, tanquam
 pena, consequitur. neque novum est , ut peccatum aliud
 majus Deus , in penam alterius delicti , perpetrari per-
 mittat. Sed ut ad propositum redeam, unum me, in hac
 cogitatione versantem , non solum commovit , verum
 etiam ad incredibilem admirationem extulit, quod ani-
 madverti , viros omnium sanctissimos , qui omnia sem-
 per, quæ jucunda videntur esse, non modo his extraordi-
 nariis cupiditatibus , sed etiam ipsi naturæ ac necessitatí
 denegassent, qui que ætatem integræ, in laboribus, jeju-
 niis, atque vigiliis, contrivissent, usque adeo, à formidine
 divini iudicij, morientes suis invasos , ut nihil tam me-
 tuerent, quam, ne ad summam rerum omnium despera-
 tionem irruerent; neque potui , quin clamarem ac di-
 cerem , ô temeritatem , vel potius insaniam, atque stu-
 titiam eorum, qui peccata peccatis exaggerantes, in sum-
 ma tamen spe divinæ misericordiæ, vivunt! Frater Agi-
 dius , unus ex sociis sancti Francisci, fertur, quam coin-
 modissime respondisse, cum, à principibus quibusdam vi-
 ris rogatus , ut in suis ad Deum precibus , ipsorum me-
 minisset; se esse æquius , ait, illos sibi precatores apud
 Deum parare , qui majori spe prædicti essent. ego enim,
 inquit, cum tot annos pauperem hanc atque inopem vi-
 tam agam, & quantum potest, animum à rebus humanis
 abdu-

abducam, nihil mihi certi de salute mea polliceri audeo; at vos, in summa rerum omnium affluentia, in maximis atque perpetuis deliciis, tanquam securi salutis vestrae, ociosi vitam exigitis. Atque hic semper metus inerat iis, qui nullis se humanis virtutis contaminassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Angelorum. quid eos, qui, cum se flagitiis aliquot inquinassent, peccata commissa, novo atque incredibili genere pœnitentiæ diluerant, quo terrore, qua formidine exagitatos fuisse compereo? Legite, amabo, quæ Io. Climacus, non auditione aliqua, sed suis oculis, se accepisse commemorat, de sanctis illis peccatoribus, qui, pœnæ videlicet causa, eum in locum sponte confluxerant, qui Carcer appellabatur: quæ sunt ejusmodi, ut non modo legentibus admirationem faciant, sed etiam cogitantibus timorem incutiant. Deus bone, quæ eorum erant lacrimæ, quam perennes! quæ suspiria, quam crebra, quam alte petital quæ preces, quam acres, quam vehementes, quam non intermissæ! hic, dolore ex peccatis contracto, prope à sensibus aberat; ille, pectus verberibus cæsum, atque adeo cruento conspersum, novis insuper verberibus cumulabat; alter, ex perpetuis fletibus, minus oculis utebatur; alter, novis exemplis, miserum se, pro peccatis suis, habebat; alii alia faciebant, quæ non tam quia longa dictu, quam quod horribilia commemoratu sunt, fugit ac reformidat oratio. sed num, quia tam multa, tamque incredibilia, de se ultrò supplicia dedissent, vana aliqua fiducia elati, in morte sine cura erant? nihil minus; sed magis magisque rerum suarum fatagebant. itaque nulla nisi timoris signa præbebant, nullas nisi terroris voces edebant, verentes, ut pœnis illis sibi passus esset Deus satisfieri, ac proinde, latam in ipsos, damnationis æternæ, sententiam, firmitatem manere jussisset. Linquamus istos; veniamus ad Davidem, qui cinerem tanquam panem manducabat, & potum cum fletu miscebat; qui, suam ipse pœnitentiam commemorans, ita narrat; *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.* quam pœnitentiam D. Io. Chrysostomus, in hujus loci explicatione, non magis diserte quam vere, elegantissima amplificatione prosequitur, his verbis, *Audiant, qui lectos*
habent

habent argenteos, qualem Rex, & purpura induitus, ostendat
poenitentiam; audiamus & compungamur. non solum labo-
ravit, sed laboravit gemens; non solum lacrimatus est, sed
lacrimis lectum lavit; non solum dicit prateritum, sed etiam
futurum. non solum, inquit, David dolore ex peccatis
suscepto commovebatur, sed hunc dolori comites erant
lacrimæ luctusque permagni, qui luctus, lectum in quo
jacebat, irrigarent; atque adeo dolendo flendoque, satie-
tate ac lassitudine ulla, non defatigabatur, ut vellet etiam
in posterum, eam vim lacrimarum effundere, quæ am-
nium instar decurrerent, & cubile ipsum, quod adulterii
labe polluerat, inundarent: nos autem, inquit Chrysostomus,
de Christianis sui ævi loquens, *vix totum biduum,*
vel summum triduum, peccatis nostris deflendis damus, cum,
& fletu ad risum, & dolore atque tristitia ad inanem lætitiam
hilaritatemque traducimur. at ego pergo atque insequo
longius. ô negligentiam socordiamque nostrorum tem-
porum maxime deplorandam! non solum, quemadmo-
dum inquit Chrysostomus, nos biduum vel triduum,
dolendo flendoque, non consumimus, sed permagnum
quiddam præstissemus arbitramur, si peccata nostra repu-
tantes, unam ex oculis lacrimulam expresserimus, vel,
sumto in manus flagro, ad breve nescio quod tempus,
paucas corpori nostro plagas intulerimus, & statim de-
inde, non solum ad inanem lætitiam risumque reverti-
musr, sed utinam interdum eadem ad flagitia atque pec-
cata non revolveremur: & tamen David, cum memine-
rat, statim sibi post mortem ad Deum judicem esse ve-
niendum, ea cura metuque abripiebatur, ut nihil ab eo
enixius oraret, quain ne, apud ipsum judicem, causam
dicere cogeretur. & non intres in judicium cum servo tuo.
quid est, quod audio, David? ain' tu? etiam ne vereris ac
times? peccatum est à te graviter vehementerque; nemo
dicet secus; verum illis uberrimis fletibus, quos supra
narravimus, peccatorum tuorum maculas abstersisti; &
quod rem continet, optatissimum impetratæ à Deo ve-
niæ nuncium accepisti; cur igitur ejus tantopere conspe-
ctum reformidas? quia, inquit, quamvis ab omni con-
scientia sceleris remotus, affirmare liquido potest, se esse
omnino alienum à crimen; quod si quis tamen tantam
arro

arrogantiam , tantos spiritus sumserit , ut rectitudinis justitiaque sibi laudem usurpet, sciat, se hoc uno crimen peritum, quamvis ab omni alio scelere purus atq; integer inveniatur ; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ; vivens, inquit, hoc est, nemo, hujus custodia corporis septus, potest Deo judici dicere. justus sum, innocens sum; haec gloriatio ad futuram gloriam pertinet, quae revelabitur in nobis ; quo magis est nobis vigilandum actimendum, quandoquidem ignoramus , utrum odio ar amore digni simus. D. Paulus, nullis adeo conscientiae stimulis compungebatur, ut diceret, *Nihil mihi conscientius sum; num propterea sibi placebat? num propterea audebat se ex reis eximere?* nullo modo, verum subjiciebat, sed non in hoc justificatus sum ; videlicet non idcirco, me esse purum à crimen, assero ; adhuc paveo , adhuc contremisco. Si igitur David , in quo, præter pauca illa notissima crimina , nullum fere alterius peccati vestigium apparebat , qui illa ipsa delicta, tam horribili pœnitentia deleverat , qui ita cum Deo erat familiaritate conjunctus, ut nemo fere unquam , qui ad Dei voluntatem quodammodo factus videbatur , cum divini judicii veniebat in mentem , ita metuebat , ut recusaret , in eo causam dicere; qui metus esse, qui terror iis debeat, qui nullam horam, vacuam à scelere, à flagitio, abire patiuntur, qui oblatas sibi peccandi occasiones arripiunt, qui latentes ultro perquirunt , in quos omnis anteacta vita testimonium gravissimum dicit? Sed nunc abest hic metus à cogitatione eorum, ut tandem, extremo spiritu, integer ac sævior irrumpat. Ó diem horribilem atque funestum ! ó terorem acerrimum atque sævissimum! si ille, ut Gregorius ait, columnas firmissimas validissimasque concutiet, quid tabulatis infirmis ac miseris faciet ? si excelsas robustasque arbores pene dejicit , quo pacto arundines & virgulta convellet ? si ita eos jactabit , qui in acerrima atque attentissima mortis meditatione semper hæserunt, quam omni eos ratione vexabit , qui nunquam habitarunt in hac tam salutari ac necessaria cogitatione? si milites veteranos , ac fortis, prope in fugam convertet, quam cito tirones ac timidos pellet? si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt ?

C A P. V. *De aliis causis, quæ spem morientium infringunt.*

Neque istæ dumtaxat, quas diximus, desperandi causæ improbis in morte objiciuntur, verum alia etiam graves vehementesque proveniunt, quæ, sua vi atque impetu, miseros omni spe fere devolvunt. nam quemadmodum, hyberno tempore, ut ante diximus, flumina, non suis solum aquis tumida profluunt, sed imbris etiam atque torrentibus aucta, sese extra ripas evolvunt; ita etiam desperationis vis, quæ ab injuriis Deo illatis, & inopia meritorum, ad intercipiendas animas, tanquam flumen erumpit, aliis etiam cogitationibus, veluti auxiliaribus aquis, augetur, & ad summum excrescit. Atque ad eam explendam, duo præsertim illabuntur; primum, memoria ætatis, per luxum atque socordiam elapsæ. nam cum annos præteritos recordantur, & angustias temporis, ad quas redacti sunt, vident, venia potiundæ spem deserunt, cujus impetrandæ facultatem tot annorum spaciis neglexerunt, tum unum aut alterum mensem ex illis misere cupiunt, quos largiti sunt ocio ac voluptatibus, tum ejus maxime rei inopiam sentiunt, in qua profutissimi fuere. hoc est, quod apud Salomonem, in Proverbiis, legitur, *Memento paupertatis, tempore abundantiae;* videlicet cave, ne ullæ tibi particulæ temporis perperam excidant, sed quascunq; vel minimas tenuissimasque, avarissime retine, cum possit contingere, ut earum indigens sis. & quamvis non pauci, miserat illas vitæ reliquias, de tota ætatis summa sibi relictas, ad saltem impetrandam conferre studeant, interdum ramen, festinatione trepidi, à consilio dislanguuntur, nec quid primum, aut quid postremo agant, inveniunt; itaque prius mors opprimit, quam id assequantur, quod volunt. quid est, ut non solum stulta, verum etiam ridicula eorum virginum ratio habita sit, quæ in ipso pene adventu sponsi, oleo destitutæ, illud emtum ierunt, nisi quia ipsæ se impedierint, & à sponsi connubio domoque secluserint? quid enim erat causæ, ut se ab aliarum societate di-
vellerent? an, quia eas oleum defecerat? at si usque expe-
ciassent,

etassent, quoad sponsus venisset, facile hæc illis stoliditas
 negligentiaque à sponsi bonitate condonata esset, fuis-
 sentque una cum cæteris introductæ; erat nuptiarum
 tempus, erat hilaritatis dies: sed habet hoc culpa, cum
 prope est judicium & pœna, ut rationem perturbet, men-
 tem obruat, &c, dum quisque expedire se vult, induat. de-
 inde, quos desperationis quasi fluctus, ad ceteros inven-
 hent, occasionses, conjungendæ cum Deo amicitia, toties
 à nobis neglectæ atque conteintæ? quam hæc cogitatio-
 nos misere distraheret in quos gurgites auferet? non potest
 hic à nobis locus, ita ratione illuminari, ut illustravit
 enī Christus, eleganti illa similitudine patris familias,
 qui in nuptiis filii sui, multos secum ad cœnam invita-
 verat. refert enim, illum, postquam omnibus curasset re-
 bus instructum paratumque ut esset convivium, misisse
 servos suos, qui dicerent iis, quos invitaverat, ut, ubi li-
 beret, venirent accubitum; etenim parata esse omnia:
 quod cum illi audissent, omnes, ad unum, varias finxisse
 causas, ne venirent; tum patrem familias iratum dixisse,
 ne ninem eorum, quos invitasset, cœnæ ipsius particeps
 fore; Amen, inquit, dico vobis, nemo eorum, qui vocati sunt,
 gustabit cœnam meam. verisimile est, eos ita dixisse. Quid
 est id, quod nobis, tanquam magnum aliquod malum, in-
 terminatur? bene nobiscum agitur, si nihil pejus eveniat;
 bono enim isto, quod ab fore à nobis, pœnæ loco, prædi-
 citur, ipsi uti noluimus, illud ipsi à nobis repudiavimus.
 Itane illud ineft in hac re mali, ut, cum erit in animo
 venire, non sit futurum vobis in integro? scriptum est in
 sacris litteris, Esau redeuntem à venatione, occurrisse
 Iacob fratri suo, qui edulium quoddam, opinor è lenti-
 bus, in cœnam sibi paraverat; tum Esau multa eum vi-
 orasse, ut ejus edulii sibi gratiam faceret; Iacob, qui sci-
 ret uti foro, ut dicitur, sub ea conditione id se illi tradi-
 turum affirmasse, si primogeniti honorem & locum sibi
 antea remisisset; Esau, fame & labore ex itinere confe-
 stum, respondisse, Quem tu mihi primogenitum, quem
 honorem narras? da quod edam, atque eum tibi habe,
 cum Deo hominibusque volentibus: sed simul ac acce-
 pit, quarum benedictionum hæreditas fuisset in fratrem
 translata, seroque cognovit, quantum honoris & com-

modi, primogeniti nomen afferret, dolore amentem ingenuisse, & luctibus atque ulnulatibus omnia complesse; sed responsum accepisse, ut voci ac luctui parceret, ne se tantopere afflictaret; inanem enim à se operam sumi, & incassum omnes illas lacrimas fundi. Nihilo carius, imo etiam vilius, animam suam longe præstantissimam vendunt superbi, libidinosi, avari, quo indomitas atque effrenatas libidines suas paululum expleant ac satient; atque, ut Ieremias inquit, *preciosa quæque pro cibo ad se refocillandos effundunt.* quem locum exponens Origenes; cibi vocabulo, inquit, non quivis cibus intelligendus est, sed vilissimus, sed contemptissimus; panis neimpe ater ac siccus, lentium edulium, & quod pejus est, suum lutulentarum foedissimus pastus. Hac igitur tam iniqua mercede, pessimi isti venditores, rem adeo preciosam abjiciunt magis, quam vendunt. quod tum ab omnibus iis, qui quovis modo peccant, admittitur; tum foedius perpetratur ab illis, quibus præsertim libidines imperant. ò rem indignam ac turpem! quid voluptarii isti non faciunt? quo non descendunt, ut paululum libidinum famem, acriter in venis sævientem, turpium libidinum cœno demulceant? aspicite, ut hac illac concursent, ut foetida urbis loca perlustrent, ut cœnum omne odorentur, ut aliquid inde ad leniendam famem excerpant. faciunt idem, quod canes famelici, inertes ac vagi, qui popinas, culinas, ac lanienas oïnnes circumvent, ut delapsas ex coquorum vel laniorum manibus carnes, hianti ore præripiant. *circuibunt,* inquit David, *civitatem, ut canes;* ac, si eorum aliquem seducas tibi solum soli, amiceque objurges, inquiens; Frater, vocat te Christus; adeas, ne sis illi in mora; etenim te amplectetur, inter amicos referet, adhibebit convivam sibi, innumerabilibus divitiis atque opibus locupletabit; ne obsecro occasionem hanc amittas tam bonam, cuius facultas in posterum tibi fortasse non erit; ne tantum tibi mali crees, ne te eas perditum; Quid mihi odiosus es? respondet; id quod mihi damnosissimum prædicas fore, in lucre repono; tum enim damnum facerem, si occasiones, quas dicis, amplecterer; nam per hanc rationem libidines meæ cohíberentur, meus ad honores cursus impeditur,

diretur, omnesque mihi ad voluptates aditus intercluderentur. At ego, fore tempus, tibi prædico, quo tempore, millies periisse malles, quam commodum, quod nunc datur, prætermissee. Ne igitur in hunc casum veniamus, oblatam nobis recte faciendi occasionem, ne patiamur elabi de manibus. ita enim, quod bene fecerimus, precium habebimus. adhibeamus in nostris rebus omnibus, divini judicii metum, quo utiliter metuamus. Æ quam longe utilius est metuere, ante promeritum malum, quam postea! prior metus spem habet; posterior vix à desperatione sejungitur. scitum est igitur, metum nostrum conferre in tempus, cum proficit nobis. ne multa; unicum remedium est contra metum, metus ipse; oportet semper timere, ne timeas; *Beatus homo, qui semper est pavidus.*

CAP. VI. *Quod sæpe corporis animique cruciatus ægris, ad extremum casum adductis, veram pœnitentiam adimant.*

Inter eos quasi torrentes, quos sæva atque acerba summi temporis hyeme superandos esse jam diximus, merito secundum locum obtinent corporis animique dolores; quibus ita æger opprimitur, ut vix credibile videatur, posse illum, puncto fere temporis, omnia, quæ sunt ad veram pœnitentiam utilia ac necessaria, colligere. Sed primum, quis fidem in hoc suam obligavit, quis obsides dedit, quis tibi promisit, fore, ut eo tempore, peccatorum tuorum, vere utiliterque pœniteat, ut divina tibi auxilia, ad hoc, largiter suppeditant? O quam multis hic error in exitium attraxit. Etenim divinæ gratiæ lumen, quo peccatorum tenebræ disjiciuntur, non est simile lumini solis, quod certis horarum spaciis revocatur; quo sit, ut qui sunt in opere, vel in itinere, si nox urgeat, opus vel iter in crastinum differant, certi, discussis tenebris, non ita multo post, diem esse venturum. at cave, tibi istuc de divina gratia pollicearis; non enim est consequens, ut, qui se in peccati noctem detruserit, continuo divinæ gratiæ lumine illustretur, sed hoc propemodum

in Dei voluntate totum est positum. unde inquit David
Vanum est vobis ante lucem surgere; hoc est, irriti, inanes,
vestri, ad vos excitandos, conatus sunt, antea quam vobis
Christi gratia illucescat; quæ gratia ex Dei voluntate,
non ex vestra libidine, suum semper lumen aperuit. cur
igitur id, quod obtineri sine summa ac peculiari Dei ope
non potest, fore semper nobis promptum atque paratum
effingimus? cur id, quod situm est in largientis volunta-
te, arbitrium nostrum facimus? deinde, ut institui dicere,
eorum ego rationem satis mirari non possum, qui id,
quod in primis acerrimam attentissimamque cogitatio-
nem efflagitat, rejiciunt in tempus, quo animus ad cogi-
tandum institui nequeat. quæ hæc est ratio? si nunc, cum
recte valemus, cum nullis corporis doloribus correpti,
à cogitando repellimur, tam difficulter, effusum in variis
solicitudinibus animum colligimus, &c in contempla-
tione rerum spiritualium collocamus, si ægre retine-
mus, ne eodem relabatur, unde divellimus; putamus,
tunc temporis fore facilium nobis, concilium cogita-
tionum nostrarum convocare, & peccata nostra, pro eo-
rum magnitudine gravitateque deflere, cum nos acer-
bissimis doloribus distrahi, acutissimis mortis aculeis
perfodi, frigidoque sudore perfundi senserimus, cum no-
bis sensus eripi, mentis aciem præstingui, denique horri-
bilis illa contingere, quæ mortem anteire solent? quæ
subjiciens sibi Christus in horto, ea formidine oppressus
est, ut, quemadmodum Euangelistæ tradiderunt, cooperit
tœdere, pavere, contristari, & moestus esse; quem illi me-
tum atque formidinem, præsertim mortis cogitationem
fecisse, communis sanctorum Patrum sententia fatetur.
profecto hæc erunt ejusmodi, ut te à cogitationibus
tuis abductura sint maxime, ac de statu mentis consilioq;
deductura. Atqui, si ad perturbandum animum, tanta vis
inest in cruciatibus corporis, quam porro eundem ani-
mum labefactabunt atque convellent ii dolores, qui sunt
peculiares ipsius, ipsumque præsertim excruciant atque
dilacerant? O quam acriter vehementerque nos, cupidos
vivendi, primus dolor percutiet, vox videlicet medici,
præmonentis, ut, ecclesiasticis sacris fuscipendiis, nos ad
mortem muniamus? quo nuncio perinde feriemur, ac si,
damnavi

amnati ad supplicium, carnifici traderemur! ô quam
 magnum, quamque acerbum nobis dolorem inuret mi-
 sericordia corporis nostri, daturi mox epulas vermbus!
 quod corpus ita semper nitide lauteque curavimus, cu-
 jus cupiditatibus nihil unquam denegavimus, cuius cau-
 sa toties Dei iussa atque iaudata negleximus. postremo
 non animum nostrum cruciatu diveller ac distrahet subi-
 ta earum rerum derelictio, quarum amore semper exarsis-
 mus, quibus nos totos addiximus? ô quam durum, aspe-
 rum, intolerandum videbitur, nos in perpetuum ab eo-
 rum societate sejungere, in quibus omnes nostras cogita-
 tiones & curas defixas habuimus! arbuscula, quæ non ita
 alte radices egit, hand longo labore divellitur; at vero an-
 nosam quercum, quæ sese innumeris circumPLICavit ter-
 ra radicibus, conari protrahere, longum ac difficile in
 primis negocium existimatur; multum temporis, mul-
 tum laboris efflagitat; ac plerunq; nisi ferrum, nisi securis
 adhibeat, omnis in ea evellenda labor atque opera lu-
 ditur. similis est eorum ratio, quorum improbitas con-
 fuetudine peccandi latius serpsit, quorum animos liberi,
 pecunia, voluptas, honores, abstulerunt sibi que conglu-
 tinarunt. nonne vides, ut nulla vi alia ab ejusmodi rebus,
 nisi sectari, hoc est, nisi morte dirimantur? at nihil arden-
 tius Io. Baptista loquebatur, nihil majore impetu ac vo-
 ce, ad solitudines, ad saxa clamabat, nisi securim esse ad ra-
 dicem arboris. quid hoc est, securis est ad radicem arboris,
 nisi in proximo mors est, ut hominum spes & cogitatio-
 nes, humi defixas, sua vi feriat, planeq; concidat? D. Gre-
 gorius magnus, exponens ea Iobi verba, *Spiritus meus*
attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi supereft
*sepulchrum; non peccavi, & in amaritudinibus moratur occi-
 lus meu;* quid est hoc, inquit, quod vir sanctissimus ait,
 spiritum suum quotidie tenuiorem fieri, diesque ipsius
 contractiores existere, nisi, probos viros ac metuentes
 Deum, quo longius ætate procedunt, eo etiam in notan-
 dis animadvertisque suis ipsorum vitiis, aciores ac
 vehementiores evadere? sume tibi unum aliquem ex
 istis vere piis ac religiosis viris; propemodum invenies,
 quam vehementer in se inquirat, ut tenuissimas qua-
 que noxas perseguatur, ut domitas habeat cupiditates, ut

ſuarum affectionum cubilia investiget atque perquirat,
& ſi ullam uſpiam, præterquam in Deo, hærentem offendit, ut statim funditus eradicet, extirpet, evellet. quid multa? ipsa etiam recte facta, incipit ſucepta habere, metuens videlicet, ne ea Deo iudici, propter occultum aliquod ipſi vitium, propiora ſceleri quam religioni eſſe videantur, contra iniquiſſimo inquinatiſſimoque cuique, quantum aetatis accedit, tantum etiam, ut ita dicam, hebetudinis ſpiritus additur. nam licet improbi, statim a principio, conſcientiae ſtimulis non nihil agantur, attamen poſt paulo, uſu consuetudineque peccandi affuefacti, iis etiam aculeis; quaſi callum obducunt, ſequunt ab eis, ut antea, perfodi compungique non ſentiantur; quam obrem, effractis pudoris metusque repagulis, libere, latum improbitatis nequitiæque campum excurrunt. nam quid eſt aliud, id quod tam multi committunt, ſine ullo pudore, in bonis aliorum prædari, creditum abjurare, fidei fallere, flagitiis omnibus adhærefcere, niſi conſcientiae ſtimulis non affici? & tamen ſpiritus Iob, tam tenuis, cui fuifet minima cum corpore contagio, qui ab omnibus rebus humanis, quantum poterat, animum fevocafet, tam magnis curarum ac ſollicitudinum fluctibus complebatur. Quid? ab omnine moleſtia atque dolore animi, peccatores homines, in morte, vacuos fore existimamus quorum ſpiritus, terrenis cupiditatibus imbuti, quotidie turpius hebefcunt, quorum mentes, in omni vitorum cœno demersæ, in eodem ſefe altius ſemper infi- gunt? Nullo modo; ſed, tanquam in profundo ac ſæviffinis procellis agitato mari, fluctuant, pellumque rapientur.

CAP. VII. *Quod morientium poenitentia inutilis ſæpe ſit, cum eos peccatorum ſuorum, mortis metu, non recti amore, poeniteat.*

Verum, inſtat etiam urgetque non nemo, quem, in maximis ſceleribus atque flagitiis, peccandi conſuetudo delectat, atque, nulos ſibi corporis animique cruciatus, fore impedimento, conſirmat, quo minus, cum uiceſſe

necesse sit; verum peccatorum odium concipiatur; atque utiles quorundam poenitentias in medium affert, quorum, usque ad extremum spiritum, est provecta nequitia. Sed ut assentiar orationi illius, ut dem hoc illi, corporis animique dolorem, poenitendi facultatem nulli præripere, non tamen mihi negaverit, perquam paucis accidere, ut séra hæc poenitentia procedat in numerum; ex contrario, pene innumerabilem esse eorum multitudinem, quibus eadem foede atque infeliciter cadat. Non est dubium, quin tam diu nobis promerenda salutis nostræ ratio suppetat, quam diu vita contingat. quamobrem si quem, vel ultimo vitæ spiritu, peccatorum suorum poeniteat, certum est, illum, à divina misericordia non rejici, sed dimissis omnibus noxis, æternæ hereditatis sorte donari: verum rite atque ex animo penitente, ita magnum est negotium, ita arduum, ut temeritatis stultitiaeque vitium sit maximum, ad rem tantam capessendam, interclusionem animæ, & angustias spiritus expectare. D. Bonaventura, libro Sententiarum iv, de poenitentia peccantium disputans, sic ait: Statim ut peccator, quantum in se est, fecerit, quamvis sit improbus, sceleratus, vitiorum omnium princeps, continuo divinam sibi benignitatem misericordiamque conciliat, ac judicialis diei severitatem evadit; verum Deus, utpote intimorum cordis recessum ac latebrarum acutissimus indagator atque perspector, nullis humanæ malitiæ simulationibus illudi potest ac decipi: tum vero peccator, quantum in se est, facit, cum à sceleribus atque flagitiis abalienatur, quatenus justo opposita sunt, divinasque leges & iussa dissolvunt, vel, ut planius loquar, cum, Dei ac virtutis amore, vitia detestatur, ac divina ope fretus, daturum se operam pollicetur, ne quid in posterum, contra Dei voluntatem, cogitet, loquatnr, ac faciat: quod si qui nulla re commoti alia, nisi metu poenæ, vel instantis vel futuræ, paululum à flagitiis animum flectant, hi, quantum in ipsis est, adhuc peccatis atque sceleribus delectantur; &, si quod in ea odium conceperunt, id est ejusmodi, ut propriæ utilitatis ratio, magis, quam justitiae amor, ab invitis expressisse videatur; itaque, si poena removeatur, redeatque peccandi licentia, iidem inventur,

nientur, qui semper fuerunt. at ejusmodi hac poenitentia, justo illi judici, satisfieri nullo pacto potest. in hoc genere poenitentiae inveniuntur ii, quos voluptatibus diffuentes, ex improviso mors opprimit, atque, ne id à me fingi puretur, convertite animum, si placet, ad eos, qui ex gravi aliquo periculo quoque morbo convaluerunt; quam paucos eorum invenietis, illud vitae emendandæ propofitum, quod ægri suscepérunt, sanos conservare! multi omnino, immo fere omnes, ad veterem consuetudinem, præcipiti lapsu revolvuntur. quos cum cogito, incurro in memoriam populi Hebræorum, qui quam diu terræ motibus, tonitruis, fulguribus, ignibus, qui ex vertice montis Sinai erumpabant, perterritus est, tam diu esse facturum constituit, quæ scita essent in Dei institutis ac legibus; sed, simul ac primum eo terrore metuque solitus est, statim sententia destitit, vitulumque, ex auro, sibi conflavit, cui divinos honores haberet. unde semper mihi suspectæ fuerunt hæ quotidianæ confitentium pollicitationes atque promissa. nam vix ex confessarii pedibus, quibus erant advoluti, consurgunt, cum ad ingenium redeunt. ex quo facilis est conjectura, omnia illa proposita atque promissa, à consuetudine quadam potius, quam à vera virtutis voluntate prodire. nam cui sit credibile, si ea, officii religio, ac non potius temporis ratio, eliciisset, ut tam cito è memoria elaborerentur? Extat, de rata hac re, in sacris litteris, tritum quidem atque vulgare, scelerati regis exemplum; sed quia rem, de qua agitur, ut est in Iurisconsultoru formulis, multum adjuvat, non verebor afferre. Subeat igitur regis Antiochi; quid non promiserat se facturum, si aliquod mortis effugium invenisset? pollicebatur, se ornatius, quam antea, templum donis cumulaturum, atque annuam pecuniam ad res sacras faciendas attributurum; parum est; addebat, se saturum, ut secum una cuncti ex suo regno atque ditione, Iudeorum sacræ initiantur, Hebræique omnes, quos antea vita indignos existimabat, pares Atheniensibus fierent, jure ac dignitate; non est satis; affirmabat, omnia se Palæstinæ loca pedibus lustraturum; ne hoc quidem est satis; subjeciebat, se concionatoris partes suscepturnum, maximaque voce, toto orbe terrarum prædicatum,

turam, solum Hebræorum deum, dignum esse Dei honore ac nomine, reliquam deorum turbam, ab hominum superstitione inductam, aut esse vana, sine re, nomina, aut impurissimos & iniquinatissimos dæmones, sub Dei vocabulo, tanquam sub aliqua persona, latentes, ut fortasse, qui circa eum de Iudeis erant, admirantes dicerent, Nunquam desperandum est de peccatore, nunquam divinæ misericordiæ spes abjicienda; vel rex, cuius tanta modo erant scelera atque peccata, qui tam multa, in Deum atque homines, impie nefarieque commiserat, ut totus sibi nunc displiceret! ut magna doloris sui signa praebet! & tamen, ut sacræ litteræ inquiunt, *Orabat scelerus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* quid est hoc? illis tam demissis ac supplicibus precibus, non est passus Deus se exorari? illa tam insigni pœnitentia non est placatus, pater misericordiarum, cuius benignitas nullis terminis continetur? norat videlicet Deus, qui nou irridetur, vota illa atque promissa, quamvis ingentia, quamvis cum sensu doloris expressa, magis multo desiderium recuperandæ valetudinis, quam dolorem injuriarum ipsi factarum, habere; ideo indignum eum censuit, cuius ipse misereretur, cujusque peccata in obliuionem adduceret. in multos ego Antiochos incidi, qui cum, secus quam decuit, vixissent, votis atque promissis tanquam pacisci cum Deo videbantur, ne interirent, qui tamen non potuerunt impetrare, quod exorabant, & mortui sunt. at vereor, ne istorum pœnitentia, cum nihil nisi salute in corporis spectasse visa fit, inanis atque irrita fuerit, ac propterea, una cum Antiocho, apud inferos, sempiternis ignibus traditi, improbitatis stultitiaeque ipsorum pœnas debitam ferant.

CAP. VIII. Conclusio, ac peroratio.

SI igitur satis ex iis, quæ diximus, constat, pessime rebus suis consulere, stulte, insipienter facere eum, qui conversionem suam ad Deum, in ultimum vitæ diem, reservat; consequens est, ut, omni cunctatione remota, saluti nostræ quam primum prospiciamus, neque tempori, perfidiosissimo animorum prædoni, fidem aliquam habeamus.

beamus. si fieri tibi insidias à furibus intelligeres, si id
 agi, id parari sentires, ut, una cum bonis omnibus, vita
 eriperetur, esse ne adeo excors, ut oculum somnumque
 persequereris, adeo stultus, ut omnes, ad te oppri-
 dum, aditus apertos atque obvios haberes? non opinor,
 imo tibi metus, ab oculis somnum excluderet, ingenium
 ad præcavendum acueret, diligentiam, ad insidias dete-
 gendas, adjungeret. Moneo, prædicto, instructæ tibi sunt
 insidiæ; fur est in proximo, nempe mors; cave, cave, in-
 quam; namque omnia ejus consilia, omnes conatus, eo
 denique referuntur, ut imparatos invadat, oscitantes op-
 primat, omni cura solutos interimat. neque hanc mortis
 cum fure similitudinem, velut minus aptam, ejicias; ab
 Apostolorum principe, & quod gravius est, è Christi ser-
 monibus, non ex meo sensu, de prompta, narratur. uter-
 que enim morti, furis artes & fraudes assignat; neque
 cuiusvis furis, sed sagacissimi, sed insidiosissimi, nempe
 nocturni. Veniet, inquit Petrus Apostolus, dies Domini,
 sicut fur, in nocte. nihil est, ad insidias tectius, nihil ad ra-
 pacitatem avarius, nihil ad crudelitatem acerbius, fure
 nocturno. itaque hæc omnia, atque etiam crudeliora, ti-
 bi, nisi caves, à morte expecta. Atque utinam non plura
 quotidie, ejus nobis crudelitatis perfidiaeque exempla
 proponerentur. etenim alios videimus, ambitionis labore
 districtos, alios, in augenda re familiari sollicitos, alios in
 rebus turpissimis occupatos, crudelissime vita privari &
 quod caput est, æternis poenis suppliciisque mandari: &
 tamen, quasi non possit, vel non debeat, idem casus ad
 nos accidere, variis ac prope infinitis cupiditatibus &
 studiis; & quo minus vitae restat, eo magis de vita co-
 gitamus. ô cæcam humanarum mentium caliginem!
 quam omnia, quæ uspiam floruerunt, disertorum ingenia
 neque satis mirari, neque, si in hoc unum, eloquentiz
 nervos intendant, satis conqueri possint. Quid est quod
 corporis tanta in primis ratio habeatur, animæ vero sa-
 lus ita immisericorditer negligatur? cur, quæ optimo ju-
 re, propter singularem ipsius dignitatem, esse deberet,
 huic præcipua lex injuriæ definitur? Si cui de re aliqua
 pud judicem lis est, si de stillicidiis, de finibus, vel de re
 quavis parva, contentio, videre licet, ut circum patronos
 curi-

cursit et, ut recte atque ordine, suæ causæ defensionem
 instituat, ut judices adeat, doceat, roget. Dei atque ho-
 minum fidem imploret, ut omnia faciat, ne secundum
 adversarium lis derur: infelix vero anima, quæ non so-
 lum propter peccatum, carnifici, hoc est, dæmoni tradi-
 tu est, verum etiam ad supplicium, quanta maxima potest
 celeritate, protrahitur, ea inquam celeritate, qua primus
 in celo orbis convolvitur, quæ tanta est, ut ne cogita-
 tione quidem percipi queat; misera, inquam, anima, ad
 hunc extremum perducta casum, à cura, atque adeo à co-
 gitatione nostra repellitur, neque magis respicitur, quam
 si nihil ejus ad nos damnatio pertineret. Sed fit hoc for-
 tasse, quia, quæ de judicio animarum post mortem, ac de
 suppliciis damnatorum, memorantur, jam pro fictis fa-
 bolis audiuntur; at si esset uspiciam, hinc nobis despectus
 in inferos, & fas esset aspicere loca illa tenebris obsita,
 tormentis horrenda, flammis ardentia, atque in his hor-
 ribiles dæmonum formas, si præterea liceret audire cre-
 pitum flamarum, ejulatus stridentium dentibus, gemi-
 tus plorantium, denique ea omnia semel oculis auribus-
 que percipere, quæ apud illos aspera, sæva, & formido-
 losa narrantur; profecto rerum humanarum precia, quæ
 nunc in cælum effterimus, prorsus æstimatione nostra
 conciderent, quique in præsentia nihil melius, homini,
 nihil magis expetendum, nihil præstantius voluptatibus,
 divitiis, honoribus judicamus, tum ex contrario, ni-
 hil eisdem fœdus, nihil detestabilius, hominum generi
 posse accidere fatemimur, & pœnitentiam, à qua tanto-
 pere abhorremus, in rebus optimis maximeque expe-
 tendis duceremus: sed quonia[m] jam hæc sub oculos ve-
 nire non possunt, eadem, mente animoque, intueamur,
 eorumque cogitatione, velut aspectu, perterrefacti, no-
 vamente inscipiamus, vitam emendemus, peccata
 lacrimis eluamus. sed obsecro, ne cunctemur, ne tem-
 pus consultando extrahamus. nam volat ætas, ut dixi-
 mus; nobisque, aliud cogitantibus, supra caput mors
 est, quod si post ultimum vitæ spiritum, in tabulis dñini
 illius judicis, reos nos reperiri contigerit, omnis erit
 nobis spes salutis amittenda, atque sempiterni sup-
 plicii poena, una cum ceteris improbis subeunda. quid

ad

ad hæc Euphrosyne , dicis ? satisne tibi elocutus video?

E U P H R O S. Satis ? inquis. ita aperte ipsam rem locutus es, ut nil circuitione verborum , nil, ut nunc mos est, inanibus sententiarum flosculis, ad eam exornandam usus sis. sed vellem mihi dari carmen aliquod , quod ad mea peccata deflenda , & ad veram poenitentiam in me excitandam, adhiberem.

P H I L O C. Audi illud , quo ego uti consuevi ; &, si tibi placeat, edisce.

De poenitentia, Hymnus, ad Christum,

O Christe, poenitentium
Spes, vita, virtus, gaudium,

Audi reum teterrimum ,

Multis gravatum nexibus.

Quæ lingua, grates , sufficit ,
Tibi referre debitas ?

Tu me, ruentem in Tartara,
Dextro reducis numinè.

Mens horret, & cor contremitt ,
Cum fixa tendo lumina ,
Loca ad profunda, horrentia ,
Pallentis Orci limina ;

In quæ , citatis gressibus ,
Miser ruebam perditè ,
Ac pene me jam faucibus
Trux Orcus intus hauserat .

Phdet pigetque proloqui ,
Quæ duxerum solatia ,
Luto tenaci ac sordido
Hærere totis sensibus.

Quod est genus, tam sordidum
Culpe implicantis spiritum ,
Quo turpiter me nullies ,
Non illigerim perditum ?

Nam si quod usquam cernerem ,
Oleum cœnum foetidum ,
Conabar illuc tendere ,
Aura & sagittis oxyus :

Ego

*Eoque membra protinus,
Suis modo, perfundere,
Et ore foedo carpere
Ferae Ditis pabulum.*

*O turpe factum, ô impium,
Audere falsa ac turbida,
Cœnum, lutumque, & pulverem,
Præferre cœlo, ac Numini !*

*Nefas sed istud improbum,
Impune nequidquam abstuli;
Nam, gaudio semper comes,
Luctus perennis adfuit.*

*Insanit ille nequiter,
O Iesu, amor dulcissime,
Qui inter caduca & noxia,
Intacta vult solatia.*

*At os ruborem contrahit,
Roremque multum colligit;
Cum mens recurrit anxia,
Decursa vita tempora.*

*Hinc ille dixit optimus
Magister & dux gentium;
Quos inde fructus colligit,
Vnde erubescit, improbus?*

*Sed præstat hic depellere,
Fletu, & rubore, crimina,
Quam mox severo judici
Adstare, plenum sordibus.*

*Si, que nitent hic clarius,
Nos angue pejus sauciant;
Iam non opes, non gloriam,
Sed paenitens cor flagito.*

*Risus recedant ludicri,
Ad sint dolores serii,
Et sit voluptas, luctibus
Sanare cordis vulnera.*

*Pius adesto vocibus,
E corde missis intimo;
Quibusque te nunc postulo,
Preces benignus accipe.*

*Ne postulatis annuas,
Obstare culpas, sat scio;
Sed flebilis vox afferat,
Quod foeda facta detrahunt.*

E U P H R. Placet mihi carmen; ac, si ejus mihi copia fiat, libenter ediscam. Sed quoniam, in morte recte ob-eunda, tantum momenti est, ut omnia in hoc uno posita esse dicas, vellem aliqua à te mihi præcepta ad eam rem dari, quibus obtemperans, temporis illi, tam ancipi-ti, tamque periculis pleno, securus occurram.

P H I L O C. Faciam libenter, atque ea proferam, qua soleo mihi proponere, quæque tibi etiam, magno esse usui posse intelligo.

Præparatio ad mortem.

I. Illud persuadere sibi quisque debet, (si Dei in se beneficia recensere velit, quibus ingratissimus extitit,) se mortales omnes, improbitate, & ingrati animi vicio, antecessisse; ideo æquum esse, ut eos etiam, poenitentia aliisque virtutibus, anteire contendat. Ante omnia, summa danda est opera à nobis, ut maximo atque intimo cordis dolore, ex memoria peccatorum suscepimus, afficiamur. Cui rei, multum proderit, laudabilem illam, planeque salutarem exercitationem nobis proponere, qua sanctos omnes viros uti solitos esse dídicimus; vide-licet frequentes contritionis actus edendi, quo, Spiritus Sancti ope adjuti, lapidem cor nostrum, quod divinæ voluntati constantissime restitit, contritionis, ut ita dicam, malleo, contundamus & comminuamus. II. Fi-xum ac deliberatum esse nobis debet, millies antea, per summos cruciatus, vitam amittere, quam rursus ad in-genium, hoc est, ad veteris vitæ consuetudinem nsum-que, recidere, aut aliquam vel minimam Deo injuriam & contumeliam imponere; &c, quemadmodum de qui-busdam creaturis vilibus abominabilibusque interdum optavimus (utrum majore stultitia, an improbitate, non dico,) ut perpetuo cum illis amore, usque ad extremum vitæ spiritum, conglutinati hæreremus; ita pie sapienter-que optare debemus, ut arctissimo caritatis vinculo, cum Deo

Deo constricti conjunctique vivamus. III. Per omnia
 vita nostræ tempora , acri ac diligentí cogitatione, per-
 curramus , quæque in Deum impie nefarieque comini-
 simus , investigemus ac perquiramus , & inventa atque
 notata sacerdoti, cum lacrimis, aperiamus. V. Si quid
 à nobis, vel à parentibus nostris, jure cuiquam debeatur,
 id statim eidem totum, cum fide , solvamus. V. Su-
 mma ope, quantum in nobis erit, enitamur, atque ad eam
 rem divinum etiam auxilium inprolemus, ut fraternum
 adversus eos animum suscipiamus ac geramus, à quibus
 injuria vel damno sumus affecti; ut nobis vicissim Deus,
 quas ipsi fecimus, injurias remittat atque condonet. tum
 demus operam sedulo, ut inimicis nostris , quoties usus
 veniat, honorem pro contumelia , beneficium pro inju-
 rìa, utilitatem pro damno rependamus, ut simus veri at-
 que germani, patris nostri filii, qui solem suum oriri facit ,
 super bonos & malos , & pluit, super justos & injustos. po-
 stremo , eorum unumquemque sigillatiū quotidie me-
 minerimus, Deoque enixe commendemus. VI. Testa-
 mentum, quam primum condamus, eosque, qui nobis vi-
 debuntur, heredes instituamus ; ita tamen, ut etiam Dei
 ac pauperum meminerimus , ut , cum defecerimus , reci-
 piant nos in æterna tabernacula ; neque expectemus inter-
 clusionem animæ & angustias spiritus ; quo tempore, a-
 guntur omnia raptim atque turbate , ac sedulæ amico-
 rum ac familiarium & propinquorum voces , pro cuiusque
 libidine admonentium , ut partem bonorum illi vel
 illi legemus, molestiores solent esse, quam morbus ; ne-
 que quidquam tam extremo illo tempore convenit fa-
 cere , quam omissis ceteris curis , animæ suæ negocium
 agere; videlicet operam dando, ut ad divinum amorem,
 & ad veram ac perfectam pœnitentiam obtinendam, se-
 dulo animum excitemus. VII. Erit vehementer utile
 ac necessarium, tabulas rei familiaris confiscere, in eisque
 omnes facultates nostras notatas ac descriptas habere ,
 tum quas à parentibus nobis relictas accepimus , tum
 quas ex eo, quod comparsimus, ipsi peperimus ; præter-
 ea dies, menses , & annos, quibus singula quæque gesta
 sunt, & nomina scribarum, in quorum tabulariis publi-
 ca earum rerum instrumenta servantur , item æs alien-

num, tum nostrum, tum patris, tum aliorum, quod ex nostra pecunia dissolvimus, quoque in loco, creditorum chirographa condita maneant, quibus nobis cautum ab illis est, amplius, eo nomine, neininem, cuius petitio sit, petiturum; ne forte quis malus, heredibus nostris, iis de rebus molestus esse possit, vel aliquid ab eis, terrore litium, abradere. **VIII.** Omnino æquum est, ut corpus nostrum, quod toties suis illecebris animum perdit, poenit ultro susceptis coercentur, ac corripiantur, ut purgatorii ignis penas, si fieri possit, post hujus vitaæ finem effugiamus, ac libero in cælum cursu evolemus, vel saltem mitiores eas offendamus. Itaque deberet unusquisque, singulis hebdomadibus, ternis in se verberationibus animadvertere, seque flagris, ad unius saltem Psalmi *Miserere* spacium cædere, ac singulas verberationes, conversa ad Deum oratione, concludere, ut ad veram poenitentiam nos perducere dignetur. Feria secunda, quo die mos est in Ecclesia, orare pro defunctis, faberum erit, aliquod pro illis sacrum faciendum curare, Deo preces offerre, eas præsertim, quæ eorum officio continentur, vel ejusmodi aliquid agere. ita enim spes erit, fore, ut nos etiam auxiliis eisdem sublevemur, quæ aliis impertiri studuimus. Sabbato, die B.V. sacro, honoris illius gratia, si cum salute nostra fiat, & sponte nostræ simus, ab ovis ac lacte abstineamus, corpori nostro cilicum admovereamus, nec antea removeamus, quam nos lectus excipiat. Bis in dies singulos, mane scilicet & vespere, introeamus in nosmet ipsos, & introspiciamus in mentem nostram ipsi; eamque omni cogitatione pertractantes, videamus, num cuncta, quæ diximus, fecimus, cogitavimus, exacte divinæ legis normæ respondeant, &c, si in aliquo offenderimus, illud, ex animo, doleamus, ac corrigendum emendandumque curemus, ac demus in primis operam, ut ab iis nos maxime vitiis expurgemus, in quæ, naturali quadam inclinacione, deflectimus, adhibita, ut ita dicam, contrariarum virtutum medicina. videlicet, si longius efferantur ira, atque superbia, revocemus animum ad mansuetudinem, ac demissionem, memoria patientiae & mansuetudinis Christi, & cogitatione vilitatis & humilitatis humanæ;

si in

si inflammemur avaritia atque libidine, ejusmodi cupi-
ditatum flaminas, majoris incendii, hoc est, aeternorum
suppliciorum metu cohibeamus; atque ad excitandum
in nobis castitatis amorem, magnam vim habebit, in
Sanctorum vitas inspicere; ubi innumerabilium pene
adolescentium ac puellarum exempla se offerent, quæ
atatem illam fluxam ac teneram, vel cum vita jactura,
continuerunt, ne in aliquam sese voluptatem diffunde-
ret. si in oratione luctuque dejiciamur, sublevemus nos,
meditatione felicitatis æternæ, quæ paratissima erit iis,
qui divinis imperiis jussisque praesto fuerint. porro, li-
bertas, sive potius procacitas linguae in aliorum factis
notandis, animadvertiscet, reprehendendisque, reprime-
tur, si, in suam quisque vitam, intentam cogitationem
habere voluerit; etenim tam multa in ea, odio ac repre-
hensione digna, inveniet, ut, si singula animadvertere pla-
ceat, non multum illi superfuturum sit ocii, ad aliorum
facta notanda. Verborum autem obscenitas omnino
vitabitur, si illud Christi Domini dictum perpetuo no-
bis infixum hæreat in animis, *de omni verbo ocioso, quod*
locuti fuerint homines, rationem esse reddendam. nam, *et*
Deus ita severè vindicaturus est verba, inepte prolata,
qua pena suppicioque constringet improba ac flagitio-
sa, vel quæ in obscenum intellectum communis vita
consuetudo detorquet, vel quæ, junctura verborum, de-
formiter sonant? I X. Ex singulis centenis scutis, quæ
ex facultatibus nostris quotannis accepimus, minimum
dena pauperibus, eleemosynæ nomine, largiamur; ne-
que futuram ex eo inopiam, vel famem, pertimescamus.
nam neminem legimus, ob eleemosynas ad mendicita-
tem fuisse compulsum. X. Illud in primis urgeamus o-
portet, ut à rebus caducis ac fluxis animum abducamus,
& in æternis ac certis collocemus; ut, cum erit exeun-
dum è vita, liberius alacriusque, ab his vinculis evole-
mus. X I. Summa divinæ severitatis formidine animum
oppressum teneamus, ne commovere se audeat, atque in
aliquam libidinem rursus effundere: quod si ii, qui ab
omnibus se volupratibus abstinuerint, totosque se in op-
timo vita statu collocassent, hac semper cura metue
continebantur, quid eum facere oporteat, qui ab ineun-

548 DIAL. XVIL DE POEN. NON DIFFER.
te ætate totum se libidinibus possidendum tradiderit?
XII. Summis à Deo precibus, & uberrimis lacrimis,
in beneficio & gratia petamus, ut eum nobis nostri con-
temtum ac despicientiam attribuat, eumque mortifica-
tionis amorem studiumque conciliet, ut, quoties ab ali-
quo deridebimus vel contemnemus, non modo non
commoveamur, neque perturbemus, sed ultiro gaudio ac
voluptate afficiamur: cui rei maximo adjumento erit,
aliquid diei tempus, in acri atque attenta Christi con-
tumeliarum meditatione consumere.

EUPHR. Audivi equidem omnia; ac magnam tibi,
hac de re, habeo gratiam. tu mihi à Deo, precibus tuis,
impetra, ut ad hæc præcepta, quæ tradis, quod reliquum
est vitæ, instituam,

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

Pag. 9. lin. 21. lege opportuna. p. 67. l. 3. Acheronti. p. 80.
l. ult. Hannibali. p. 127. lin. ult. post morietur, ponatur comma.
p. 280. l. 22. lege homini. Si qua fuerint reliqua, letiter emendari
poterit ipsemet.